


BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
36
13 C
18
FONDO

maica

ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΕΣΧΑΤΑ

QVATVOR

HOMINVM NOVISSIMA,

Mors.

Iudicium.

Infernus.

Gaudia Cœli.



XXIIII. CONCIONIBVS SACRIS, PER F. Laurentium Cuperum, S. T. Licent. Carmelitarum Infer. Germaniæ P. Prouincialem, diligenter explicata, verbi Dei preconibus vtilissima.

Eiuſdem,
Ad ſtudium Spiritualis militiæ PARACLESIS ſiue adhortatio.

Acceſſit
Index verborum & rerum maximè memorabilium.



COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
M. D. LXXXIII.
Cum Gratia & Priuileg. Cæſ. Maieſt.

REVERENDISS. DOMINO, DN. MAXIMILIANO MORILLONO, TORNACENSIum Episcopo, Antonij Perenotti Cardinalis Grandvellani Archiepiscopi Mechlinien. Vicario, ac præposito Ariensi. Patrono & Dn. suo colendiss. Laurentius Cuperus S.P.D.



Iamdudum gestiebat animus, Præsul amplissime grati erga D. T. animi mei significationem aliquam dare, quando peroportunè familiaris, ac communis noster amicus, Dn. Ioan Hauchinus, Officialis Bruxell. Brabant. designatum te à regia Maiestate exeunte Aprili, anno M.D.LXXXII. antistitem Tornacensium litteris ad me suis Septembri proximo (quas ego ad Calendas Nouembr. accepi) mihi perscripsit. nam quia longius absum, audio omnia serius, maximè quod huc omnia propter obsessas vias, atq; immania latrocinia tardissimè perferuntur. Ceterùm sera gratulatio, *vt Curioni suo Cic. scribit,* nõ solet reprehẽdi, si nulla negligẽtia ꝑtermissa est, *sempiternæ igitur laudi episcopatus iste tibi sit: neq; n. tibi solum gratulor, sed et nostræ Car-* Lib. 2. epistola 6.

Carmelitanæ familiæ, cuius es patronus indefessus, plurimum gaudeo, quum huius accessione dignitatis accresset in immensum, quæ aliâs magna erat autoritas. Tornacus enim vt longè vetustissima, ita et florentissima ciuitas, mercatorum concursu & opibus celeberrima est: quanquam enim de prima huius vrbis origine nihil habeam, quod pro vero ausim asserere, illud tamen historica veritate dignissimum est, quod C. Iulius Cæsar in Commentarijs suis attestatur, Ab Ambianis tridui itinére descendenti sibi ad flumen Sabim, qui hodie Sambra appellatur, occurrisse Neruios, quorum proximè trans flumen sedes erant, quorum de natura Cæsar cùm quæreret, sic reperiebat, nullum aditum esse ad eos mercatoribus, nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus elanguescere animos, & remitti virtutem existimarent, esse homines feros magnæque virtutis. *Hæc Cæsar. Qui Neruios à fortitudine sic appellare videtur, vt Neruam à fortitudine gressuum Romani cognominauerunt, sed quum nullis alijs deuictis prouincijs noua indiderit nomina, & antiqua earundem, barbara licet, oppidorum, ducum, regum, regionum, & fluuiorum leniter ad formam Latinam inflexit, gentile nomen ex regionali sermone inuentum et institutum, nō à Latinis deriuatum, Neruij habuerint oportet. Iam quæ veterum Neruiorum ante intro ductā*

De bello Gal. lib. 2.

istuc Gallicam, (qua nunc vtuntur semi Latinam) vernacula eorum lingua fuerit, ipse nos Cæsar docet, vbi Belgas omnes á Germanis ortos scribit. *Lingua ergò sub Cæsaris aduentum vtebantur Germanica, & se Narungers siue Nairungers vocabant. Narung autem siue nairung Teutonicè significat alimoniam, Narungers seu nairungers opinor dicti, quod arcu, sagittis & aucupijs alimenta sibi expediebant, aut cassibus feras in alimoniam venabantur, et captabāt quasi Naijfengers, aut Nairuengers. Scribit enim Cæsar, id temporis Neruios densissimas incoluisse siluas, eosque ipsum in tantum adduxisse discrimen, vt nisi vni militum detracto scuto, ipsemet in acie primus inter pedites procedens (quod in vltima duntaxat necessitate Imperatori licet) labantes animos suorum confirmasset, actum eo die de Romanis fuisset. Nam LX. milibus armatorum duce Bodegnoto Cæsarem castra locantem adorti, ex improuiso in fugam verso eius equitatu, septimam & duodecimam legiones, & vniuersos earum centuriones trucidauerunt, at Cæsar profugientes suos, vt dictum est, reuocabat. Repugnauerúntque Neruij tam fortiter vsque ad internecionem. vt ex LX. milibus vix quinquaginta euaderent, & ex Consularibus eorum viris, qui sexcenti erant, tres tātum superessent incolumes. Cæsar tamen post tam cruentam victoriam (pro consueta misericordia sua) imbellibus senibus, quos vna cum*

Lib. 1. de bel. Gall.

Lib. 2.

pueris mulieribsúque, in æstuaria paludesque, ad quos exercitui aditus non esset, abduxerat cũ impedimẽtis suis, vti suis finib. & oppidis iussit: sed ea non nominat, cuius rei hæc causa fuisse potest, quod vt Cornelius Tacitus scribit, nullas Germanorum populis habitari vrbes tunc, vt nunc, vsus erat, ne patiebantur quidem, inter se cohærentibus domibus sedes, suam quisque spacio domum circundabat. *siue aduersus casus ignis remedio, siue inscitia ædificãdi. Et sanè vbi oppidorum muros Gallicos describit, apparet quàm infirmæ tunc vrbes fuerint: quanquam sequutis ætatibus oppida, aucta virium copia, & docentibus Romanis longè firmissima exædificata cernuntur.*

Libro de situ & moribus Ger.

In hisce Neruijs Tornacus nunc vrbs primaria est, sed quod sub Iulij Cæsaris aduentum nõdum extitisse creditur, quia in suis Commentarijs eam nusquam nominat. colligi non potest alioqui quum nulla ibidem nominet, sequeretur etiam, quod dictu absurdum tamen esset, nulla in Neruijs tunc fuisse oppida, quos tamen suis finibus & oppidis vti Cæsar iusserit. Extitisse autem id temporis Tornacum vicum saltem vel oppidum, etymologia nominis arguit, si nomina rerum ex propria cuiusque vernaculæ linguæ significatione inquirenda & æstimanda sunt. Tornacus enim ex duabus simplicibus componitur

nitur dictionibus Germanicis, qua lingua Neruios tunc locutos esse supra docui, nempè Doerne, id est Spina: & Vuijc, id est, vicus: ex quibus compositum est Doerne vuijc, sed euphoniæ causa & breuitatis ergò, qua in compositionibus Germani gaudent, dixere Doernijc, quasi Spinæ vicus. Sanè Cæsar vbi Neruios densissimas incoluisse siluas scribit, addit eos spinetis ac rubis circumflexis & complexis insimul pro muris vsos esse: sicut & hac tempestate familia est antiquissimi nominis, quod princeps Antoniæ illis locis gerit, qui sese principem Espinoij vocat, quasi dicas principem Spinaium seu Spineti, qui Tornacensium longo tempore Senescallus seu protector extitit.

Porrò quanquam apud Cæsarem, qui sexagesimò circiter ante CHRISTVM natum anno, deuicit Gallias, Tornaci nomen expressum non est sicut neque Cameraci: hoc non multum earundem ciuitatum derogat antiquitati, quia post CHRISTVM passum anno CXL. Romanorum Imperator Antoninus Pius in Itinerario suo, vtriusque nominatim meminit, ibique hæc nomina Tornacus & Cameracus in vsu esse inueniuntur. Deinde qui hunc Pium ducentis pòst annis sequutus est Diuus Hieronymus, diserte Tom. 1. epist.

disertè Tornaci meminit, scribens ad Gerontiam in hæc verba: Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini. Tornacus, Nemetæ, hi sunt Spirenses, & Argentoratus, translati in Germaniã. *Hæc ille: Francones enim trans Rhenum habitantes in Franconia, duce Pharamundo, & post eum, rege filio eius Clodio capillato, paulatim in Sicambriam, nunc Geldriam, tunc trans Rhenum positam descendentes, tandem anno à Christo passo circiter quadringentesimo traiecerunt etiam Rhenum, & Romanos Belgio inferiori exturbare cœperunt, quod propter diutina semper bella, tam quæ Belgæ pro libertate contra Romanos nequicquam & frustra gerebant, quàm quæ coniunctis viribus cum Romanis contra Vandalos, Sarmatas, & Quados anno post Christum CCLXIII, & iterum contra Hũnos Attila duce anno salutis CCC, & postmodum anno CCCLXXI. sub Atthalarico contra Gothos gesserant, per has frequentes incursiones etiam Burgundionum, eneruata, & ad resistendũ, inualida virtute Belgarum factu difficile non admodum iam erat, maximè Rom Imperatoribus Constantinopoli agentibus. Quapropter superato Tornaco & Cameraco apud Parisdis vrbem, Francones noui hospites sedem & regnum collocarunt suum, atque ita Belgas Germanis ortos Germaniæ reddiderunt. Videmur*

pro-

fectò Belgæ infernates in consimilia nunc iterum deuenisse tempora & calamitates, si non à Gothis, tamen à Scotis: si non ab Alanis & Vandalis, attamen ab Albanis & Epirotis: si non à Franconibus veteribus, certè à Francis vicinis, & deinde ab omni illuuie, fœtéque terrarum, vt quos habuerunt amicos, nunc perferant hostes.

Verùm enimuerò si delassati iam rebelles Belgæ aliquando rursum ex animo suas cum Hispanis & Regè suo hæreditario eorum Principe vires coniunxerint, & abiurata omni contra sanctam Ecclesiam Catholicam hæresi, ad eandem postliminio reuertantur spontè, antequàm extrema paupertate cogantur, sperauerim equidem horum adhuc tumultuum placidum finem. Dabit Deus his quoque finem, quando suæ diuinæ clementissimæ Maiestati nobis vtile videbitur. Durate, inquit Æneas ille, & rebus vosmet seruate secundis. Sed ad institutum redeo. Quomodo demum Sabis à meridie Neruios ambit, & Neruiorum metropolim Tornacum aliud celebrius flumen Scaldis intersecat, in cuius ripa vlteriore ad Occidentem intra muros arx etiam est munitissima, ab Anglorum Rege Henrico VIII. patrum nostrorum memoria exædificata, Maximiliano Cæsare, nepotum suorum Caroli & Ferdinandi, & reliquorum tutore, vrbis huius impe-

imperium ei permittēte sub annum M.D. XIII. & quando ab Atrebatensi episcopo, opinor S. Vedasto, erecta primum Tornaci sedes episcopalis est, quia desunt libri, sed ea omnia apud Iacobum Maierium in Annalibus Flandriæ, & apud Christianum Massæum in Chronico mundi me antehac legisse omnia memini, ad hos Lectorem remitto: quia enim Tornaci necdum fui, agnosco me Plinianum illud sequi debere, ut situm huius ciuitatis & amplitudinem, ijs diligentissimè explanandum relinquā, qui aut inde prodierunt aut suis oculis omnia suut contemplati.

Lib. 11. natu. hist.

Reliquum ergo nunc est, & quidē operæpreciū, ut ijs respondeam, qui scriptum hoc nostrum superuacaneum existimabunt, obijcientes illud Salomonis, quod Plures faciendi libros nullus est finis. *Itaque extare iam scriptores quamplurimos, qui hunc locum de quatuor hominum nouissimis, vel ad nauseam vsque tractauerunt neque id ego inficias iuerim, quippe qui authores eos, qui ante me hoc argumentum sunt persequuti, in ipso huius libri principio candide quos inuenire potui recensens enumero. Scio etiā insanabile quibusdam inesse scribendi cacoethes, qui, ut ait Cicero,* Quum mandare litteris cogitationes suas conantur, tamen nec disponere, nec illustrare possunt, nec delectatione aliqua lectorem allicere, homines sunt intemperanter abutentes otio & litteris: *et propterea*

Eccles. 12.

Li. 1. Tus.

rea Horatius rectè suadens ait: Ludere qui nescit campestribus abstinet armis. *Equidem attamen spero, me nullam hic lusisse operam, nec oleum perdidisse etiam in argumento vulgari. nam ut idem ait:* In arte poë. In art. poë.

Publica materies priuati iuris erit, si
Non circa vilem patulumque moraberis orbem.

Diuus quoque Hieronymus ad Gerontiam scribens, laudaturus viduitatem, quam antiquā, detritam materiem sciebat, sese in vetere via nouam semitam quærere dicebat, *ut non* eadem viderentur quæ dicturus esset, & tamen reipsa essent eadem, *quippe qui vetus argumentū nouo scribendi genere perstrinxisset: sic & ego palam affirmare possum, neminem ante nos hanc materiē per tabulas, & è tabulis artificio dialectico cōcinnatis, prosa denuo oratione in conciones sacras per locos cōmunes digessisse, easdemq; demegorias tā scripturis sacris, quàm sanctorū ecclesiæ catholicæ patrum scriptis vsqueadeo locupletasse, historiarumque & humaniorū litterarū veluti emblematis exornasse. At ne mihi quid minis Suffenus sim, lectori iudiciū lubēs relinquo. Per me sit suum cuiq; pulchrum, attamen quanquam eodem Deo, non tamen eodē cibo viuitur vsq; & ut est apud Theognidem* ἀνθρώπους μὲν ναῦς μὴ μία πάντας ἄγει: *Nō.n. qui ad vnū eūdēq; portū contendūt, oēs vna nauisagit. Quapropter nihil phibet, quin vnū idēq; argumen-* Epist. tom. 1. Theognis.

mentum alio atque alio scribendi genere à multis pertractetur, sicut Diuus Aurelius Augustinus attestatur, cuius hæc sunt verba. Non omnia quæ scribuntur ab omnibus, in omnium manus veniunt, & fieri potest, vt nõnulli, qui hæc nostra intelligere valent, illos planiores non inueniant libros: Ideoq; vtile est de ijsdem quæstionibus plures à pluribus fieri libros, diuerso stylo, non diuersa fide. *Hæc ille. Neq; mihi igitur aut tractationis varietas, aut styli dissimilitudo vertenda crimini fuerint. Sed hæc missa faciamus.*

De Trinitate lib. 1. cap. 3.

Quia verò ingenui est hominis fateri per quē didiceris, equidem quidquid huius sit rei, agnoscam. Ioannes enim Bellerus honestus ciuis, mercator librarius, & Typographus Antvuerpiens. commoranti mihi id temporis ibidem è Nundinis Francfordianis reuersus, Tabulas obtulit, quas Reueren. P. DN. Ioachymus Abbas Staingadensis per quendam è suis Monachis Ioan. Schvueinbergerum ex vniuerso de Quatuor hominum Nouiss argumento colligi, disponi, & in tabularum formam redigi curauit: has ego id tēporis in hūc modum aperui, diduxi, explicatasque pro concione, nonnullorum tunc magno cum fructu & gaudio Antvuerpiæ pronūciaui. Atque iam nonus aut decimus quo hoc factum est, vertitur annus, iuxta illud Horatianum Nonum prematur in annum: *Quamobrem quū nullus sit, quod equidem sciam, qui tabulas hasce in con*

ciones

ciones digessit, quin mea in easdem commentariola ederem, Reuerendiss. T.D. dedicarem, omittere non potui. Tabulas quoq; ipsas, ab authore editas apud me habeo, sed quia eadem ex titulis singularum concionum sine negotio rursum compingi possunt, typographus huic libello addendas non censuit. Sumpsi materiam nostris ego viribus aequam, qui carpere volet meliora dabit oportet, meminerit attamen dicti Isocratici, quòd facilius sit carpere quàm imitari: & qui in tenui laborem hunc esse, & trito argumento impensum mirabitur, quasi authorũ hac de re sit plus satis, hic ita à nobis sibi responsum habeat, vnam quidem aut alteram homini posse sufficere vestem, non tamen aliae propterea reijciuntur. Pontificum & Romanorum Imp. quàm varij scripsêre vitas: locos item Theologicos de Sacrificio, Iustificatione, Ecclesia, Sacramentis, et sexcentis alijs rebus, quàm innumeri conscripserunt, qui omnes eundem torsêre funem, incudem eandem oẽs tutuderunt, & idem saxum voluerunt ac reuoluerunt, crambemq; eandem recoxerunt, & tamen, vt est teste Plinio, natura humana nouitatis auida, suum est interim cuiq; pulchrum. Et quid esse debet Christiana philosophia aliud, quàm assidua mortis, & reliquorum Christiani hominis extremorum meditatio. Hoc igitur xeniolum antistes sacrate eam obrem tibi inscribendum existimaui, simul vt aliquo officio gratificari T D. possem, simul vt verbi Dei concionatores mortalibus, tã

in vestra Diœcesi, quàm passim per vniuersum orbem Christianum, facilem inculcandi Nouissimam rerum omnium lineam haberent methodus. Neq; enim tibi viro longè doctissimo. & longo rerum vsu mundanæ inconstantiæ experientissimo ista scribuntur, sed vt tibi gratias agant, qui nostra quasi opella & doctiores, & meliores euadent, vtq; quod Ioannes postulat: Qui iustus est, Apoc. 21. *iustificetur adhuc, lætamq; vitæ suæ catastrophen imponere, & colophonem Dei Opt. Max gratia atq; adiumento præeunte, concomitante, & semp consequente possit. Bene vale præsul Reuerendiss. His enim te commendo summo pastori animarũ nostrarum Christo Ihesu, qui est benedictus in æuum. Apud Vbiorum Coloniam Agrippinam, ex Cœnobio nostro Carmelitano. Anno Domini M.D.LXXXIII. Calendis Ianuarijs.*

CONCIONVM DE QVATVOR hominum nouissimis, Index.

FINIS.

HOMINVM NOVISSIMA QVATVOR QVÆ SVNT?

I. MORS,
II. IVDICIVM,
III. INFERNVS,
IIII. GAVDIA COELI.

Per Fr. Laurentium Cuparum Carmelitanum Montis-Gerardi, S. Theolog. L. Concionibus viginti quatuor explicata.

CONCIO I.

Quid Mors? quotuplex ea sit? quæ causa eius? & an metuenda.



Ogitanti mihi, auditores optimi, ecquidnam per hoc sacrum tempus Aduentus Christi, quo nulli dietim ab Ecclesia contextus Euangelici proponuntur) ex amplissimo diuinarum literarum penu depromere possem, quod eum vitæ cursum

Ioan.ca. 16 collect.in vigil. Nat. Christi.

tenere nos doceret, vt eundem Iesum, quē exiuisse scimus & cōfitemur à patre, & venisse in mundum; vt pro salute nostra moreretur, venturum quoq; iudicem securi videamus, atq; ita prȩsentis vitȩ ȩrumnosæ pericula trāsire possimus, vt mortui ab eo non adiudicemur æternȩ morti, sed prȩternauigatis inferni doloribus, ad gaudia cæli ipse nos perducat: visum est mihi & eleg s, & multorum tā veterū, quàm recentiorum libris cælebratum argumentū, *De quatuor nouissimis*, quod sanè vt à pluribus tractari æquissimum foret, ita & ab omnibus altissima mente reponi debet, si tamen nos vlla cura salutis angit. Scopus ergo nostrarum concionum erunt verba Iesu Syrach, mortalem quemlibet ita admonētis:

Eccle. 7.

In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Si porrò quȩ sint hæc interrogas, respondens S. Bernardus, ipsa sunt, inquit, Mors, Iudicium, Gehenna, & Cælum. De his etiam passim sacra scriptura loquitur, sicuti Dauid Propheta; Quis, inquit, est homo qui viuet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi. Nā teste Apostolo Paulo: Statutum est omnib. hominibus semel mori, & post hóc iudiciū. Quod iudiciū tā de particulari in morte vniuscuiusq;, quàm de vniuersali in resurrectione omnium finali

Ser. de primordijs medijs & nouissimis.

Psal. 88.

Mors.

Hebr. 9.

intelligi debet. Nam (vt ait B. Augustinus) illud rectiſsimè & valdè ſalubriter creditur iudicari oés quum de corpore exeunt, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iã redditis corporibus iudicari: quis enim aduerſus Euangelium tanta obſtinatione mentis abſurduit, vt iſta non audiat in *Lazaro, qui in ſinum Abrahæ ablatus eſt*, & in diuite cuius, ibidem infernalis cruciatus exponitur. Iam verò quid ſubſequetur geminum illud iudicium, Chriſti verba nos docent: *Filius*, inquit, *hominis venturus eſt in gloria patris ſui, cum angelis ſuis, & tunc reddet vnicuiq; ſecundum opera eius.* Quid verò redditurus ſit explicat in Euangelio Ioannis. *Nam procedent qui bona fecerunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignẽ æternum.* Hęc nouiſsima quatuor ita generalia ſunt, & omnibus communia, vt nemo ſit vel fuerit, aut futurus ſit, cui tria ex hiſce quatuor non ſint veriſsimè aliquando ſentienda. Oés enim mori, & oés ſimul ante tribunal Chriſti manifeſtari oportet. Iá verò bonis cæleſtia gaudia, malis aũt pœnas in inferno ſempiternas eſſe pręparatas, paſsim in ſacris literis aptiſsimè docemur, quapropter ſi quis eò demẽtiæ progreſſus eſt, vt ex eorũ memoria diligenti nõ poſsit moueri, corrigi, & ad virtutũ tramitẽ reduci, de ſalute eius actum & conclamatũ erit.

De anima & eius origine, lib. 2. cap. 4.

Lucæ 16.

Iudicium Particulare Vniuerſale

Matth. 16.

Gehenna.

Ioan. 5.

Matt. 25.

Cœlum.

Hæc igitur per hoc sacrum tempus per partes exponere decreuimus, verùm quia Christus dicit, Sine me nihil potestis facere, obscuratum enim ex nobis ipsis intellectú habemus, et, quia neq; qui plantat neq qui rigat est aliquid, sed, qui dat incrementú, Deus; vt hanc de Nouiss. doctrinam atque materiem incipere benè, melius continuare, & optimè valeamus consummare, imploremus cómunib. votis auxiliú spiritus sancti, assumamusq; nobiscum interpellaturam Mariam virginem matrem pro nobis, angelica salutatione breuiter eam compellantes ac dicentes, (1. Cor. 3.)

AVE MARIA.

Núc igitur inuocato diuini numinis præsidio, quid mors, eaq; quotuplex, quæ causa eius, & an metuenda sit, ex ordine dicã. Gentes olim, vt narrat Nicolaus Perottus, hãc crediderunt esse deã, quæ telo seu spiculo cuncta viuẽtia super terram occidere posset, quapropter & eidem litabant, vt defunctis manibus esset propitia, quod attestatur Virgilius: (In Cornucopię siue commentario linguæ latinæ.)

(Aeneid. 11.) *Multa boum circa mactantur corpora morti.*

(Mors an dea, an dea?) Hanc Cicero Noctis & Erebi filiam esse scribit, nec id quidem absurdè, si per noctem, peccatum nos Christiani intellexerimus, & per erebum ipsius *erebi principem*,

nem-

nempè diabolum: ἔρεβος enim caliginem & tenebras significat, *quarũ principem Apostolus diabolum vocat.* Nam vt in consequẽtibus mox docebimus ex Sathanæ inuidia & peccato primorum parentum mors intrauit in mundum. Neque Ethnici tantũ, sed Iudæi quoq; in idololatriam & varia scelera prolapsi, hanc deam esse credentes, colere cœperunt, vt eis improperat vates: Dixistis, inquit, *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Ac si dicere vellent, placauimus mortem sacrificijs, non est nobis nocitura, sicut & in eodẽ capite apud prophetam dicũt: Flagellum inundans cùm transierit nõ veniet super nos. Sed respondet eis propheta eodem loco: Delebitur fœdus vestrum cum morte. & pactum vestrum cum inferno non stabit. Nã mors neque Deus, neque dea est, quod enim Ioannes vidit in Apocalypsi, allegoricẽs seu in alio sensu intelligendum est, scribit.n.illic Apostolus: *Et cùm aperuisset sigillũ quartũ, audiui vocẽ quarti animalis dicẽtis: Veni & vide; & ecce equus pallidus, & qui sedebat desuper, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est ei potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame & morte, & bestijs terræ.* Hæc enim reuelatio significat partem Christi, hoc est, cœ-

Ephes.6.

Esai.28.

Apoc.6.

tum piorum esse vnum, sanctum, Catholicum, sed partem diaboli esse quadripartitam (vt pius quidam scriptor explicat idem caput) nempè in Gentiles, Iudęos, hęreticos, & malos Christianos, qui omnes quatuor illis plagarum modis à principe mortis & inferni, nempè diabolo, interficientur. Omissis igitur ethnicorum & perfidorum Iudęorùm fabulis, vndę deductũ hoc nomen, & q̃ notatio sit huius, inquiramus. Mors Græcis dicta est μόρος παρὰ τὸ μείρω. Moros ergo sortem, partemq; significat à verbo μείρω, id est, distribuo, quòd omnib. ex æquo sit distributa Pontificib. Imperatoribus, Regib. satrapis æquè ac colonis & mędicis. Latini vocabulũ hoc paulò aliter intelligunt & deriuãt à verbo mereo seu mereor, quæ significant propriè lucri causa operari. hinc emereor, pēsum persoluo, & emeritus ab opere absolutus, vndè emeriti milites sunt veterani, qui exauthorati, quietiorem vitam agunt: vnde & mortem ab emerita vita, hoc est, acta & absoluta nominatã volunt; & mortuos quasi emeritos appellatos, q̃ à mortali laboriosa & ærumnosa vita exauthorati & absoluti sunt. Itaq; græci dicunt, quòd mors omniũ hominũ pars siuę portio & sors sit. Latini aũt aiunt, quòd eadem omniũ sit absolutio

Amb. Ansbertus.

Etymologia nominis mors, & mors vnde dicta.

Perottus.

lutio & relaxatio seu resolutio. Et quidem
vtriq; rectè, sed B. August. eiusdem vocu- Li. 1. Hypo
læ interpretationem aliá inuenit sacris li- gnost. con-
teris conformiorem, dicens: Opinor nanq; tra Pelag.
quòd ideo mors hoc vocabulū accepit, eò
quòd morsu quodam venenosi serpentis,
id est, diaboli, in Paradyso Adam fuerit Gene. 3.
interemptus. *Tunc enim serpens morsu dece-*
pit Adam, quando per concupiscentiā mor-
dere, hoc est, edere suasit illicita, & ꝓpter-
eà mors à morsu nomē accepit, sicut & do
minus morti minitans dicit: *Ero mors tua,* Oseæ 13.
ô mors, morsus tuus ero Inferne: Mors et infer
nus diaboli persona intelligūtur, Christus
enim mortem & infernum destruxit. Hęc
August. Et hactenus quidem, vnde origi-
nem & verā appellationem seu ἐτυμολογί-
αν habeat mortis nomen, dictum est satis.

Iam quia hoc idem vocabulum mors, in 4. Metaph.
scriptura sacra ambiguum est, & nos vtili- ca. 4. & 11.
ter monet Aristoteles, vt quotiescunque Meta. ca. 4.
multa significās, nomen in disputationem
venit, ad ꝗ significatū id feratur, ostenda-
mus (quia, multiplex indistinctū parit cō- 1. de cęlo &
fusionē, & paruus error in principio, mag mundo, c. 5
nus fit in fine) priusq̄ aut definiamꝰ, aut de
scribamus mortem, quotuplex ea in sacris
inueniatur paginis, exponamus oportet, vt
deinde quid vnaquęq; sit, clarius cognosca

Beatus quidem Ambr. super Lucam lib. 5 dicit triplicem esse mortem, Naturæ, Culpæ, & Gratiæ seu mortificatoriæ, sed non meminit gehēnæ seu ęternę. Est ergo mors quadruplex, Naturalis, Spiritualis, Aeterna, Transformatoria. Mors naturalis est separatio animæ à corpore. Spiritualis est separatio Dei ab animo. Quemadmodum enim anima est vita corporis, ita Deus est vita animæ. Hęc mors animę peperit mortem corporis, quod ad necessitaté attinet, vt est sanè pia veterum Theologorum sententia. Sed quia de morte corporis præcipuè tractare decreuimus, idcircò quatenus illud mortale vel immortale formatum ęrat à Deo, postmodum statim fusius loquemur: quum prius reliqua mortis hæc genera declarauimus. Est ergo prima species, mors corporis, quæ dicitur etiam mors naturalis. quæ tunc contingit, quando à corpore discedit anima. Secunda species, est mors animæ, quæ etiam vocatur mors spiritualis, quando per culpam & peccatum moritur spiritus noster, Deo subtrahente gratiam, non quidem adhuc à corpore nostro, sed ab anima. Tertia est, mors æterna, quæ est separatio & decessus Dei à corpore & animo nostro, quæ etiā vocatur mors gehennæ & æternæ damnationis: ex vtraque

Mors quadruplex, Naturalis, Spiritualis, Aeterna, Transformatoria.

Aug. li. 13. de ciui. c. 2.

que ergo præcedenti naſcitur hæc tertia, quia poſt mortem corporis ei (cuius anima à Deo ſeparata erat) nullus locus eſt pœnitentiæ. *In inferno enim nulla eſt redemtio, quia chaos magnum firmatum eſt inter nos et vos (ait Abraham diuiti epuloni(vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſunt, neque inde huc tranſmeare.* Sed obſeruandum eſt, B. Ioannem primam morté videlicet corporis, tam paruifacere, vt eam non numeret, quia mors corporalis in ſacra ſcriptura frequentius quietis & ſomni voce ſignificatur. *Sic Lazarus dormire dicitur, Ioan. 11* Et in 1. Theſſa. 4. dicit Apoſtolus: *Nolumus vos ignorare de dormientibus*, id eſt, de mortuis, qui loquendi modus eſt Hebræorũ, ſpe plenus, quo ſignificabant reſurrectionem mortuorum tam eſſe certam, quàm ſi ex ſomno tantum excitarentur: hinc & locus in quo ſepeliuntur mortui, cœmiterium dicitur; quaſi dicas, mortuorum dormitoriũ. Hoc. n. propriè vocat græca vox κοιμητήριον. Idcircò B. Ioannes mortem ſpiritualem, quæ eſt animæ, facit primam; & mortem hanc gehennæ ipſe appellat ſecũdam, dicens: *Beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima* (quæ eſt reſurrectio animæ à morte vitiorũ) *in his*, inquit, *ſecunda mors non habet poteſtatem.* Et quæ ſit

Luc. 1.

Apocal. 20.

secunda mors, explicat in calce eiusdem capitis, dicens: Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis, hæc est mors secunda, q.d. infernus, hoc est, omnes cacadæmones; & mors, hoc est, oés corpore & animo mortui, missi sunt in ignem æternũ, quia non sunt inuenti esse scripti in libro vitæ. Hæc ergò mors secunda iuxta B. Ioannis supputationem, siue mors tertia, secundum nostram diuisionem, quæ est mors æterna, & interminabilis, est summè pertimescenda, quia vt ait Propheta: *Mors peccatorũ pessima.* Nam vt dicit Salomon: *Mortuo homine impio, nulla erit vltra spes. Nolite ergo*, inquit Christus *timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, sed potiùs timete eũ, qui potest & animã & corpus perdere in gehennã.* Ibi teste August. homines nec ante morté, nec post morté, sed semper in morte erũt. Sed de hac morte latius loquemur alio tempore, quando de tertio nouissimo scilicet inferno differemus. Superest mors quarta, quã quidam vocant mortem spiritus, nos transformatoriã nominamus, qua trãsformamur ab imagine veteris Adæ, in imaginem noui Adæ, qui est Christus dominus. Hęc est separatio carnis à spiritu. Hæc mors omnino expetéda est, summoq; studio p omnem vitã meditanda, qã sancta & salutifera est, quia separat animã

Psalm. 33.
Prou. 11.
Matt. 10.
13. de ciuit. dei, ca. 11.
Mors spiritualis seu transformatoria.

à terrenis, & à peccato, moritur .n. homo peccato, viuit Deo, moritur satanæ, viuit Christo: Ad hanc mortē seu mortificationem exhortantur nos prophetæ. Hinc est illud Dauidis: *Quis est homo qui vult vitā diligit dies videre bonos? phibe linguā tuā à malo, et labia tua ne loquantur dolum, diuerte à malo, et fac bonū, inquire pacem et persequere eam.* Et Ezechiel clamitat; *Viuo ego, dicit do. minus, nolo mortem peccatoris, sed magis vt cōuertatur & viuat.* Et iterum: *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatib. vestris, et non erit vobis in ruinā iniquitas.* Et rursum: *Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, in quib. præuaricati estis, et facite vobis cor nouū, & spiritum nouū.* Et sanè qui illos sanctorū Dauidis & Ezechiæ regū clamores cōsiderauerit: inprimis Dauidis: *Laboraui in gemitu meo lauabo per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratū meum rigabo.* Item: *Amplius laua me ab iniquitate mea, et à peccato meo mundā me: tibi soli peccaui, et malū corā te feci* Deinde et Ezechię: *Recogitabo tibi oēs annos meos in amaritudine animæ meæ:* & alios huius generis, facilè intelliget eos ex vehementi quodā anteactæ vitę odio, & ingenti peccatorū detestatione, vitiorūq; mortificatiōe emanasse. Est ergo hęc mortificatio asidua cū peccatis lucta, nec spes

Psalm. 33. | Ezech. 18. | Ibidem. | Ibidem. | Psal. 6. | Psal. 50. | Esai. 38.

ſpes quidem eſſet vlla victorię, niſi Chriſti
Roman. 8. *ſpiritus adiuuaret infirmitatem carnis noſtræ.*
Sed illius gratia in nobis occidit veterem
hominē, vt iam agamur nō ſpiritu noſtro,
ſed ſpiritu Dei, nec ipſi viuamus, ſed viuat
in nobis Chriſtus. Hęc fęliciſsima mors an
cuiquam ad plenum obtigerit in hac vita,
De natura & gratia, cap. 36. audi quid ſentiat ſanctus Auguſtinus: Excepta virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullā prorſus habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quòd ei plus collatū fuit gratiæ ad vincendū omni ex parte peccatum, quia concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Hac ergo virgine excepta; ſi omnes ſanctos & ſanctas, cum hic viuerent, congregare poſſem, & interrogare, vtrùm eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus, niſi quod ait Ioannes:
1. Ioan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & mendacem facimus eum, & veritas in nobis non eſt.* Hæc propter illos potiſsimū adduxi, q poſtq̄ aliqualiter ſpiritu ambulare cœperunt, *confidunt in ſe*
Lucæ 18. 1. Petr. 5. *tanquam iuſti, et aſpernantur ceteros, vt tales humilientur ſub potenti manu Dei*; Cæterùm ne quis puſillanimis fiat, Domini liberalitas, quod nōſtræ deeſt imbecillitati, de ſuo ſupplere dignatur. Fit enim hæc mors potiſsi-

tiſsimùm in baptiſmo, vbi moritur vetus Adam, & poſt baptiſmum per pœnitentiam, & iugem ſui mortificationem, de qua paſsim Apoſtolus in ſuis epiſtolis, & primùm ad Romanos: Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? *An ignoratis fratres, quicunq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius* (hoc eſt, ad inſtar mortis eius) *baptizati ſumus?* Rom. 6
Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmũ in mortem; vt quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus: hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Galath. 5
Deinde paucis interiectis concludit dicens: *Itaq; exiſtimate,* vos mortuos eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu. Rurſus ad Galatas ſcribit: *Qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs et concupiſcentijs.* Et ad Epheſios iterum ait: *Deponentes vos ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris, & induite nouum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate dignitatis.* Et ad Coloſ-

ſen.

Colloss. 3. sen. *Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram*. Non iubet erui oculos, aut amputari manus, aut execari genitalia, sed quæ membra? Addit, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus Sed quid mare magnum ingredior scripturarum, quum nihil aliud sonent, quàm vt moriamur peccato, & viuamus spiritu: hæc enim mors est mater vitæ spiritualis, quemadmodum peccatum est pater mortis corporis, animę & gehennæ.

Li. I. Tusc. quæst. Verum omissis cæteris, de morte corporis nunc latius agamus. Cicero mortem ait esse decessum, & emigrationem animi à corpore, & hoc à Platone habuit, qui ait ὁ θάνατος ἐστὶ ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις, hoc est, mors est animæ & corporis dissolutio. Nam vt vita est vnio animæ cum corpore suo, ita à contrario mors est separatio. Atque vterque benè dicit, fuerunt enim (& vtinam modo non sint) qui censerent nullam fieri separationem, sed animam simul cum corpore mori, sibi persuaderent.

Cæterùm, tametsi multò melius eiusmodi Epicureis senserint hi duo philosophi, neuter tamen totum dixit, neque plenè definiuit. Proinde, Mors est decessus & se-

ſeparatio animi à corpore non perpetua, ſed temporaria, vſque ad diem Oecumenici iudicij, quo omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque prout geſsit in corpore ſuo, ſiue bonum, ſiue malum, vt eant boni in vitã æternam, mali verò in ſupplicium æternũ. Hæc mors, vt ait B. Auguſtinus, eſt priuatio ſeu ablatio vitæ, nomen tantùm habens, & non eſſentiam: Sicut enim fames, eſcarum defectus dicitur, ſitis, egentia potus, tenebræ, lucis abſentia, ſterilitas, fœtus defectus, ſilentium, carentia vocis, inopia, priuatio facultatum, ſic & mors nihil eſt niſi nomen, recedente vita.

Mors corporis definitur ſic.

Li. 1. Hypognoſt. contra Pelag.

Cæterùm, quia tunc planè & perfectè rem aliquam ſcire quiſque cenſetur, teſte Ariſtotele, quando omnem cauſam, per quam res eſt, ita ipſius rei cauſam eſſe cognoſcit, vt non poſſe omninò rem aliter habere perſpiciat, agè vnde mors originem habeat, & quæ cauſa eius efficiens ſit, proximum eſt vt dicamus. Et primùm quidem, quia vt iam diximus, mors eſt ablatio & ſpoliatio, & annihilatio, nomen tantùm habens, & non eſſentiam aliquam,

In Analyt. poſter.

Cauſa mortis deus nõ eſt.

col-

Lib.1.Hypom. collegit B. August. loco proxime citato, quod deus mortis creator dici non potest, his verbis: Quidquid enim Deum fecisse dicimus, habet essentiam, id est, species est: Mors igitur quom recedente vita nihil sit, Deus eius causa non est, nec auctor, tametsi in pœnam peccati illam homini inflixerit, & *aduersus eum mortis sententiam tulerit*, Sed aliud est ferre sententiam mortis, & esse causam mortis. Audiamus quid super ea re dicat Sapiens: *Deus (inquit) mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim, vt essent, omnia: & sanabiles fecit nationes orbis terrarũ.* Deus.n.quũ sit auctor vitæ, quomodo esset mortis creator? Non enim putãdum est, Deum ideo creasse hominẽ vt moreretur, qui vt hominẽ à morte reuocaret & liberaret homo factus est, & mortuus à nemine coactus, sed vltro & volens. Ita enim pronũciat apostolus: *Quia pueri (eius) communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem; vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium,* id est, diabolum. Vnde igitur mors, quis auctor, quæ causa eius? Audi B. Iacobum: *Nemo quum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, ipse enim neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscen-*

Gen. 1.
Sap. 1.
Hebr. 2.
Iacob. 1.

piſcentia quum conceperit, parit peccatum:
peccatum verò quum conſummatum fuerit ge Eccl. 7.
nerat mortem. Sed dicas mihi *Fecit Deus ho-* Eccl. 15.
minem rectum, & reliquit eum in manu con- Gen. 3.
ſilij ſui; & nullam in ſe habuit concupiſcen
tiam ſeu propenſionem ad peccandum. Sapien. 2.
Reſpondeo id verum quidem eſſe, ſed ſer
pens ſeduxit Euam, atque ita, vt dicit ſapi- Ioan. 8.
ens, *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem*
terrarum. Et vt ait Chriſtus: *Ille homicida*
eſt ab initio. Qui videns hominem tanto be-
neficio gratiæ à Deo Opt. Max. exorna-
tum eſſet, vt quemadmodum Diuus Au- Lib. 6, c. 25.
guſtinus ſcribit in libr. de Geneſi ad litte-
ram, vt quodãmodo creatus eſſet immor-
talis, non quidẽ abſolutè, ita vt non poſ- Immortalitas Adami conditionata.
ſet mori: ſed ex conditione immortalis e-
rat: hoc eſt, poterat non mori, ſi non pecca
ret, moreretur autem ſi peccaret. Quomo-
do autem immortalitatem eam conſeruaſ-
ſet, B. Augu. alibi explicans: Caro Adę, in- Lib. quæſt. vet & noui Teſta. c. 19.
quit, ante peccatũ ita immortalis creata eſt
vt per alimoniam adiuta futura eſſet dolo
ris & mortis expers. Sic enim immortalis
& incorruptibilis cõdita eſt caro hominis,
vt ſuam immortalitatem & incorruptio-
nem per obſeruantiã mandatorum Dei cu
ſtodiret. In quibus mandatis hoc contine-
batur, vt de illis lignis conceſsis manduca-

ret,& ab interdicto abstineret. Per horum edulium immortalitatis donum conseruaret, donec corporalibus incrementis per ductus ad ætatem quæ conditori placeret, multiplicata progenie, ipso iubente sumeret de ligno vitę quo perfectè immortalis factus, cibi alimenta v terius non requireret. Hęc Aug. Vidit ergò diabolus hominē per obedientiā illò subuehendum, vnde ipse miser deiectus erat. Vidit & inuidit. Inuidia hæc operata est deceptionem, deceptio trangresionem, transgresio inobedientiam, inobedientia peccatum, peccatum mortem. Non enim in arboris fructu (inquit Chrysost.) sed in hominis cōtemptu mors ipsa pendebat. Fabricauit quidem diabolus ensem quem exacuit inuidia, obtulit serpens, accepit mulier, seducta n. muliebri leuitate, credidit serpenti, nempè futurū esse vt dij fierent, si pomum vetitū comederent, comedit & se iugulauit, obtulitq; viro necis gustū, qui cōcedit, non quidē seductus (nō n tam leuis erat, vt crederet se deum fore) sed vt cōplaceret vxori, quod attestatur Apostolus dicens; *Adam non est seductus, sed mulier in prauaricatione fuit.* Vndè & interrogatus, non ait: *Mulier seduxit me*: sed, *dedit mihi et comedi*: Mulier verò dixit: *Serpens seduxit me* Ex his perspicuum fit, Deum nec peccati, nec mortis auctorē esse,

Vide Ma. sent. libr. 2. dist. 19.

Chrysost.

1. Timot. 2.
Gen. 3.
Vide Ma. ent libr. 2. distinct. 22

sed cacadæmonem, q suggessit, & Adamũ, qui p liberum arbitrium suum consensit. *Deus enim*, vt ait Iesus Sirach, *ab initio consti-tuit hoiẽm, et reliquit eũ in manu cõsily sui, ad iecit mandata et pcepta sua: si volueris manda ta seruare, conseruabunt te, & imperpetuũ fidẽ placitã facere. Apposuit tibi aquam & ignem, ad q volueris porrige manũ tuã. Ante hoiẽm vita & mors, bonũ & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Et ibidem rursum paucis interiectis: *Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit spatiũ peccandi, non enim concupiscit multitudinẽ filiorũ infideliũ & inutiliũ.* Eccl.15.

Nec sibi solùm obfuit Adam sua inobedientia, verum etiã in lumbis ipsius totus vitiatus est mundus, illiusq; culpa mors oĩm est. Sic.n. scribit Apostolus: *Per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundũ, & p peccatũ mors, et ita in oẽs homines mors pertrãsijt.* Rom.5.

Vita ergo nostra nauiganti similis est, inqt Gregor. is nanq; qui nauigat, stet, sedeat, iaceat, vadatq;, impulsu nauis ducitur, ita & nos: quia siue vigilãtes, siue dormiẽtes, siue iacentes, siue ambulãtes, siue volentes, siue nolentes p momenta temporũ ad finẽ ducimur. Neq; est q quisq̃ dicat, nesciebã me moriturũ, nã (vt ait pius ille & doctus Hugo de S. Vict.) tres sunt nuntij mortis, q vnus post alium ad nos veniunt, Casus, In- In Registro Libr.2.de clauſtro animæ.

Tres nuncij mortis.

mitas, senectus. Casus seu infortunium nũciat mortem dubiam & latentem; ideo prę sertim vt homo purius viuat in seipso, & conuersetur humanius cum proximo, operetur q; vtilius & communius, sicut etiam monet Christus dicens; *Vigilate quia nescitis diem neque horam.* Et apud Lucam: *Estote ergo parati, quia qua hora non putatis, &c.* Et rursum: *Aderant quidam nuntiantes illi de Galilais, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificijs eorum: & respondens ait, illis, an putatis quod hi Galilai pra omnibus peccatores fuerint: sicut & illi decem & octo super quos cecidit turris in Siloë debitores fuerint pra omnibus habitantibus in Hierusalē? Non, dico vobis, sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Illi enim casus reliquis exemplo esse debent, Infirmitas nunciat grauitatem doloris, quasi mortem videamus apparentem præ oculis, & audiamus illud quod dicit Iesus Syrach: *Memor esto, quoniam mors non tardat.* Porrò senectus nuntiat mortem nobis præsentem, quod prudenter considerans senex ille Symeon, præcabatur: Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuũ in pace. Atq; in actionibus quidem forensibus quidam tardiusculi litigatores exspectant vnam & alteram citationem, siue pri mum

Marc. 13.
Luc. 12.
Eccl. 14
Lucę. 2.

mum & secundum nuntium, sed hoc periculosum valdè est in tribunali Dei. Quædam enim infirmitates & morbi, eius sūt generis, vt nullum dent spacium deliberādi, ne iam commemorem casus inopinatos & subitaneos, q licet non oēs opprimāt, omnib. tamē sunt expectādi, quia possunt omnib. accidere. Quemadmodum accidit stulto illi Euāgelico, qui sibi pollicitus lō gam ac suauem vitā, audit: *Stulte hac nocte repetunt abs te animam tuam, & quæ congregasti cuius erunt?* Expauescunt, deprecantur & crucis se signo omnes muniunt contra mortem subitaneam & improuisam. Siquidem nusquam non audimus has voces: A subitanea & improuisa morte libera nos domine. Sed quid est q orāt isti, an omnis inopinata mors detestanda est? Nequaquā, *Iustus enim quacunque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Nam (vt ait B. Augustinus (Mala mors putanda non est, quantumuis subita fuerit, quam bona vita præcessit. Neque enim malam facit mortē, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum est eis, qui necessariò mori turi sunt, quid accidat vt moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Cùm igitur omnes Christiani nouerint longè meliorem fuisse religiosi *pauperis mortem inter*

Luc. 12.

An omnis mors mala

Sap. 4.

Lib. 1. de ciui. ca. 11.

Luc. 16.

lingentium canum linguas, quàm impij diuitis in purpura & bysso, horrenda illa genera mortium, quid mortuis obfuerunt, qui bo nè vixerunt. Cæterùm ex his verbis quæ-
Mors an metuenda? ſtio oriri poſſet, an igitur metuenda mors non ſit? Et maximè quidē, reſpondeo. Sed in mortis generibus præpoſterē ſe gerunt pleriq; mortales. Ad memoriam corporalis mortis omnes inhorreſcimus, & ad mortem animæ, quæ horribilior eſt ſexcentis mortibus corporis, vltrò alacreſque feſti-
Prou.2. namus, *glorianies quum mala fecerimus, et exultantes in rebus peſſimis*. An non vulgus hominum in delicijs ac voluptatibus carnis volutari, vocat viuere? At qui ſic viuunt, bis mortui ſunt, primùm quia ſpiritu Dei vacāt, dein, quia iā tum filij ſunt gehennę. Sicut ergô mors gratiæ (ſeu mortificās peccata) ſummè eſt expetenda & amplexanda, ita & mors animæ, quæ per culpam ſeparatur à Deo, & mors Gehennæ ſummè ſunt metuendæ. Mors autem corporis quātum ſit metuenda, ex his quæ præcedunt, concomitantur, & ſequuntur, hoc eſt, ex effectibus mortis cras oſtendemus. Largiatur ergò nobis interim Deus, vt mortui mundo & peccatis, viuamus Deo & iuſtitiæ. Hæc enim mors ſola metuenda nō eſt, quam vita bona pręceſsit, In hoc etiam ſen ſu

su accipiendum erat illud sanctæ memoriæ Ambrosij dictum, quod in vita sancti Augustini scribit Posidonius Mori ait, nõ timeo, quia habemus bonum Dominum Beatus vir qui sperat eo. Faxit ita Pater, Filius & spiritus Sanctus, Amen.

Tomo 1. operum B. Aug. de vita eius, c. 27

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET.

CONCIO II.

Quæ sint mortis annexa, antecedentia, præsertim & arma ægroto pugnaturo necessaria.

QVAE sint hominum quatuor nouissima, & quid mors, eaque quotuplex sit, qui sint mortis nuncij, eaque quatenus metuenda, hesterno die diximus, cæterùm quia de formidine mortis, heri satis loqui nequiuimus: quãtùm ea metuenda sit, nũc porrò latiùs differemus, quod vt possimus & docere & audire, atque vitæ actionibus exprimere, rogemus patrem cælestem, à quo *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens*, vt spiritũ suum nobis emittat, & vt hoc fiat citius, oretq; etiam pro nobis. salutemus deiparã virginẽ, verbis Archãgeli Gabrielis, dicentes:

Iacob. 1.

AVE MARIA.

Prouerb. 12 *Non contristabit iustum, quidquid acciderit ei*; ait Salomon, sed ipse de illo loquitur
1. Thessa. 4 dolore & pauore, quem & Apostolus prohibet Thessalonicensibus: *Nolo vos ignorare de dormientibus* (hoc est, de mortuis) *vt non contristemini sicut et cæteri qui spē non habent*. Itaque non metum mortis, sed pusillanimitatem & diffidentiam prohibet. Nā
Prouer. 18. idem ipse postmodum scripsit: *Beatus homo qui semp est pauidus, qui verò mētis est dura, corruet in malum*. Et quid ni tremāt homines peccatis obnoxij, quem tremunt angelorum exercitus? Est enim affectio merè naturalis exhorrescere mortem; pro varietate corporum in alijs moderatior, in alijs vehementior. Diuus Hieronymus scribit Platonem maximi nominis philosophum, relicta amœnissima Athenarum vrbe cum aliquot discipulis suis commigrasse in villam quandam antiquā & ruinosam, frequenti terræmotu & tempestatibus propemodum euersam quatenus timore periculorum ac mortis assiduè præmeditarentur mortem, & ad eandem se præpararent. Neque tantùm Plato, sed & Dauid Propheta dicens: *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super*

Naturale est mortē metuere.

Contr. Iouia. lib. 2.

Esaiæ 38.

Psal. 54.

per me: Timor & tremor venerunt super me & contexerūt me tenebræ. Sic mortem exhorruit Ezechias vir, qui corde perfecto versatus fuit apud Deum, exhorruit autem non obmurmurans Deo, sed cum lachrymis deprecans & exauditus est. Vt enim non statim fortitudinis aut fidei signum est mortem nō expauescere, nam interdùm est amentiæ, aut etiam malitiæ, interdùm & Schyticæ cuiusdam immanitatis argumétum; ita ad mortem imminentem expauescere, non semper est diffidentiæ aut malæ conscientiæ signum. Rudes nautæ & alij temerarij homines, quoties quenquam in periculis aquarū & alijs consimilibus trepidantem vident, ohe, inquiunt, is non viuit, vt mori vellet: sed hi parùm meminerunt verborum Iob dicētis: *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Ita & alios non paucos viros pietatis opinione celebres, accepimus sub mortem magno tremore fuisse conturbatos, dum omnia mortis annexa, & præcedentia, & concomitātia atque sequentia apud se expendere cœperunt. Imò & Christus Iesus, qui morti nihil debebat, *& in quem princeps huius mundi diabolus non habebat quicquam, & cuius sancta caro corrumpi non poterat*, etiāsi ad horam sentiret mortem,

Iob. 9.

Ioan. 14.
Psal. 15.

nónne tamen morti propinquans, ex naturali mortis horrore sponte assumpto, *cœpit pauere, tædere, ac contristari, dicens:*
Marci 14. *Pater si fieri potest* (scilicet redemptio humani generis sine mea morte) *transeat à me calix iste.* Poterat quidem fieri absoluta dei voluntate, sed nullo cõuenientiori modo charitatis, quàm per mortem filij sui, quem diligebat summè, vnigeniti. Et Apo-
Philip. 1. stolus Paulus, qui tam confidenter scribit:
2. Cor. 5. *Cupio dissolui & esse cum CHristo,* tamen ad Corinthios scribit: *Qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati, eò quòd nolumus expoliari,* hoc est, nolumus exuere per mortem hoc corpus, sed cuperemus sine exutione corporis & sine morte corporali superindui vestem immortalitatis. Sed hoc fieri nequit, quia *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem & mortale hoc induere immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus*
1. Cor. 15. Oseæ 13. *est, Vbi est mors victoria tua, vbi est mors stimulus tuus.* Ergo vetus subucula exuenda per mortem, vt noua immortalitatis stola induatur. Sed hoc opus, hic labor est. Si ergo gentiles vt Plato, si Iudæi vt Ezechias, si CHristus, si Paulus, imò & Augustinus, Benedictus & Bernardus, similes voces emiserunt, quoties omnia mortis pericula, tentationes & circumstantias si-

bi ob

bi ob óculos ponebant, quid nos ſordidi & imbecilles vermiculi faciemus? Videmus ergo verum eſſe quod vulgò dicitur: inſcitia confidentiam, ſed prudentia cunctationem parit. Quod B. Hieronymus alijs verbis, ſed eodem ſenſu, confirmat dicens: imperitia confidentiam, eruditio timorem creat. Affectus igitur iſti naturæ non arguunt diffidentiam, ſed (dum virtute ſuperantur) augent coronam: ignauiſſimus n. & fugaciſſimus quiſq; miles, rídens arma corripit (eſt. n. dulce bellum inexpertis) ſed generoſus & fortis miles arma tremẽs quidem induit, ac laceſſitus quàm infracto ſit animo oſtendit. Trãſeamus iam ad mortis annexa, quæ, quum præſenti animo cernũtur, timorem homini diximus ingenerare, & quæ ſint mortis circumſtantiæ, & qui effectus atq; præſagia ipſam eãdẽ antecedũt, cõtemplemur. Intuere ergo quẽadmodũ imminẽte terribili hora ſeparationis animę à corpore ſuo, ad qđ naturalem habet inclinationem & amorem, totus homo cõmutatur; frõs obduratur, cutiſq. eius diſtenditur, vnde & ſudor frigidus erũpit: pupillæ oculorum caligant & contabeſcunt, & intolerabili pœnarum anguſtia circumtorquentur: aures ſurdeſcũt, naſus exacuitur, nares replentur putredine vul-

In calce epiſt. de Melchiſedech ad Euagriũ

Mortis antecedẽtia, nempe: id eſt, Senſuũ exteriorũ defatigatio.

vultus liueſcit, genæ flacceſcunt; os contra hitur, guſtus peruertitur, anhelitus malè olet, palleſcunt labia, halitus quoq; ex pro fundo pectore ſeipſum recolligens deficit, mentum ruit; manus frigeſcunt, vngues nigreſcunt, brachia decidunt præ languore, pulſus languidus, atq; minimus ſed creberrimus, modó ſeſe intermittens, modò formicans, modò vermiculans, pedes rigeſcunt, & tota caro vertitur ad corruptionem. Eadem hæc quę iam diximus con-

Lib. 2. de contẽptu mundi

firmat Innocentius, tertius ſui nominis, Pont. Max. de miſeria humanæ cõditionis dicẽs: anguſtia corporea tanta & tã grauis eſt quanta vel fuit vel erit, quòd tametſi non in omnibus, in quibuſdam tamen videre eſt ſe diſcerpentibus, qui caſus licet non omnes opprimant, omnibus tamen ſunt expectandi, quia poſſunt omnibus accidere. Fortis enim eſt & incomparabilis illa violentia quando nexus illi, & vitales nodi inter corpus & animam diſſoluuntur. Hanc anguſtiam Dauid meditatus eſt frequenter, vt potè qui ſæpè in extremis verſabatur periculis mortis, qualia inciderat cùm à Saulis exercitu cinctus eſſet, & diceret; *Circumdederunt me gemitus mortis, & pericula inferni inuenerũt me*. Quemadmodum & ad Ionathan filium Saul querebatur, di-

Pſalm. 114
1. Regũ 20

tur dicens: *Viuit Dominus, & viuit anima tua; quia vno tantum (vt ita dicam) gradu, ego morsq́; diuidimur.* Nullum enim tunc est membrũ, non articulus in corpore, qui nõ inuoluatur illo inexplicabili dolore. Sanctus igitur Bernardus contra prauas cogitationes remedium daturus, scribit: Considera, inquiens, quomodo morieris, quã do aliqua graui infirmitate vexatus, & ad extrema deductus, & ibi ad terram proiectus, inter longa suspiria, & difficiles singultus, inter diuersos dolores & timores animam expirabis. Tunc veniet corpus in pallorem, & horrorem, in saniem, & fœtorem, animam verò mox capient & rapient laruales illæ facies, quæ eam in exitu præstolantur, & ex omni parte terrebunt eam; cogita quis eam defendet à rugientibus præparatis ad escam. Et multa alia plura, quæ ibi Bernardus habet. Et quod his maius est in agonizãte etiam sensuũ interiorum defatigatio plærumq́; superuenit, intellectus hebetatur, voluntas deficit, memoria extinguitur. Est fortasse qui cogitet quum eò deuentum fuerit, vt seriò ægrotem mox deplorabo vitam malè actã, accersam confessarium, & accepta peccatorum remissione seriò expiabo peccatũ, Interim fruar mundo. Sed vt tempus suppetat,

Libr. de interiori domo. seu de consi. ædificanda. ca.38.

2. Sensuũ interiorũ delassatio.

petat, quis tibi pollicitus est istam voluntatem, quis istum intellectum, & omnium peccatorum recordationem, vt possis & cupias amplecti pœnitentiam pro voluptatibus, quum non tu eas sed ipse te, etiam nolentem, deserant. *An nescis, q̃ nō est hominis via eius nec viri est vt dirigat gressus suos.*

Hier. 10. In quam sententiam & Christus dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit*

Ioan. 6. *me traxerit illum.* Similiter Paulus. *Scio, ait,*

Rom. 7. *quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum: nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod odi malum hoc

Rom. 9. ago: Igitur, inquit idem paulò pòst, *non est volentis neq; currētis, sed miserentis Dei.* Imò

2. Cor. 3. (vt idem Apostolus scribit Corinth.) *non*

Philip. 2. *sumus sufficientes ex nobis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis boni, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Idem inculcat Philippensibus, dicens: *Deus dat velle, & pro bona voluntate perficere.* Similibus sententijs tota passim scriptura scatet. Ille aūt liberè dat, quibus vult, & quādo vult. Certè qđ ad peccatorē attinet obstinatum, iam nunc in gehenna est. An non prodigiosa cœcitas intellectus, an non peruersa voluntas & stupida memoria, vt homo qui in tam horribili statu sit, sibi diem præfigat, ad

quam

quam velit reſipiſcere, cui in puteum de- Simile.
lapſo, aut in carcerem coniecto, lenta vi-
deretur omnis educentiũ feſtinatio? E pu-
teo ſtatim inclamaret opem hominis, &
in tantis malis conſtitutus, non protinus
implorat auxilium Dei, qui ſolus excitat
mortuos. Quiſquis ergo in vita mortem
transformatoriam (de qua diximus heri)
diligenter meditatus fuerit, & mortem
ſpiritualem ſeu animæ, ac gehennæ vehe- In homil. Sint lubi.
menter horruerit, minus horrebit immi-
nentem mortem corporis; Nam vt ait Gre
gor. ſic mors cùm venerit vincitur, ſi pri-
uſquàm veniat, ſemper timeatur, quæ talẽ
hominem non ſeparat à Deo, ſed ei propi-
us coniungit. *Si mors peccatorum peſſima; et* Pſal 33.
contra precioſa in conſpectu domini mors ſan- Pſal. 115.
ctorum eius, da operam, vt ſis hæc de nume-
ro piorum. Nam primus ad iuſtitiam gra-
dus eſt, ex corde agnoſcere ac damnare in-
iuſtitiam ſuam, deinde ad aſylum diuinæ
miſericordiæ confugere, & ad ſalutife-
ra pœnitentiæ remedia. At qui per om-
nem vitam, perinde quaſi ſint immorta-
les, indulgent affectibus ſuis, ad voces
Dei toties tam amanter prouocantis ad pę
nitentiam Toronæo littore, vt aiunt, ſur-
diores, quid mirũ, ſi perturbantur tam ex-
terioribus q̃ interioribus ſẽſibus, cũ vrget
extre-

extrema necessitas? Sed contra, qui mortem assiduè præmeditati sunt, tunc maximè valét & exterioribus, & interioribus præsertim, sensibus, vt attestatur B. Gregorius; interdum, inquit, cõtingit iustis vt in morte sua sanctorum præcedentium visiones aspiciant, ne ipsam mortis suę sen tentiam pœnalem pertimescant, & dum eorum menti ciuium internorum societas ostenditur, à carnis suæ copula, sine doloris & formidinis fatigatione soluantur. Aliquando in consolatione egredientis animæ ipse apparere solet auctor & retributor vitæ. Est & aliud morté antecedens eiq; annexum malum, cur summè metuenda mors sit & ad eandem tempori nos prę paremus oportet; tunc enim res est cùm morbo, qui non sinit quicquam aliud agi, quia (vt dicit B. Hieron.) illuc rapitur intétio mẽtis vbi est vis doloris, vbi.n. quisq; dolet, ibi & manum habet, negotium item est cum medicis, cum hæredibus, cum legatarijs & captatoribus, cum creditoribus ac debitoribus, cum vxore ac liberis, cum œconomis ac famulis cum amicis & inimicis, cum exequijs ac sepultura, cum confessionibus, dispensationibus ac censuris, cum restitutionibus ac placationibus, cũ varijs conscientiæ scrupulis, & cum fidei dog-

Lib. 4. Dialogorum.

3. molestatio vana.

dogmatibus. Adde his cum mundo, quem, quoniam nimis dilexit, inuitus relinquit, insuper cum ipsa morte corporis, ad quã præparatus non est, denique cum sathana qui tunc omnibus vrget machinis, cum gehenna, quæ tunc omnes terriculamentorum suorum laruas ingerit. Sicut enim arx antequam viribus capiatur, multos patitur assultus; ita & corpus asperis plerunq; morbis atteritur & angustijs, antequàm à morte superetur. Quomodo igitur ad tantum negociorum agmen sufficiat ille temporis articulus ad benè moriendum? Roget igitur aliquis, quid ergo faciam. Dico, formida & prospice, atque audi non me, sed Iesum Syrach: *Ante iudicium para iustitiam, tibi autem languorem adhibe medicinã, & ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem, ante languorem humilia te, & in tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam.* Salubre consilium, etiamsi notus nobis esset dies mortis. Quid igitur sibi volunt, qui ad Chyromantas, Astrologos, Physiognomuntas, Genethliacos, Ventriloquos, numeros Babylonios & Magos currunt, vt sciant æui modum. Clamat Ecclesiastes: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur*

Eccl. 18.

Eccl. 9.

 homi-

homines in tempore malo, cùm eis ex templo superuenerit. Et nos ab his volumus ſcire finem noſtrum, qui ipſi finem ſuum neſciunt? An quòd Chriſtus æterna veritas neſciri voluit, quia ſciri non expedit, inuito Chriſto diſcent à vanis hominibus? An
1. Reg. 28. Chriſtianis placet *exemplum impij Saulis? quid ei profuit malefica*, niſi vt bis moreretur. Optimum ergò conſilium eſt, vt omnes illas moleſtias paulò antè enumeratas, ita digeramus & componamus, vt nihil neceſſe ſit in morbo, & in morte curis hu-
Teſtamēta iuſmodi intempeſtiuis torqueri. Quidam enim abhorrent à condendo teſtamento, quaſi hîc inſit aliquid funeſti ominis. Hæc eſt noſtræ carnis infirmitas. Atqui teſtamentum, ô bone, conditum non efficiet, vt citius moriaris, ſed vt quietius. Hac in parte felicior eſt in cœnobijs bene moratis agentium conditio, quòd ab omnibus curis teſtamentarijs liberi ſint. Cæterùm, qui liberos habent, aut fratres, aut alioqui legitimos hæredes, prouideant ne qua in diuidundis bonis naſcatur inter fratres, & affines contentio, ne relinquant poſteris litium ac rapinæ materiam. Rectè faciunt, qui morientes legant opum ſuarum partem in ſubſidium pauperum, ſed victima fuerit multò gratior CHriſto, ſi pro

pro modulo facultatum ipse subleues proximorum inopiam. Nec enim semper peruenit ad egenos, quod illis destinauit moriens, & si peruenit, iam alienum est, non tuum quod impenditur. Da tua, dum tua sunt, post mortem tūc tua non sunt. Præ- Casus perplexi. tereà si quibus perplexis casibus inuolutus est aliquis, putà de matrimonio, de spurijs, de nothis, de censuris ecclesiasticis, de votis, de restitutionibus, aut reconciliationibus, eos sanus ac valens explicet, nec vllas tricas reseruet in extremum diem. Rectè faciunt qui morientes hæ- Restitutio. redibus mandant restitionem fraude partorum, sed longè consultius faciunt, qui valentes id faciunt, quod alijs sæpenumerò mandatur frustra.

Itidem rectè faciunt, qui morituri con- Reconciliatio. donant offensas omnibus, à quibus læsi sunt, ac vicissim orant sibi condonari, si quid in quem deliquerunt, sed longè Deo gratius faciunt, & ad conscientiæ quietem tutiùs, si idem faciant volentes, non ob mortis metum, sed amorem Christi, qui dicit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi* Matth. 5. *recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum ad altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres, &c.*

Quidam hæc longum valere iubent, & differunt in plenam confeßionem ante mortem, ſub quam optant integram exomologeſim, Euchariſtiam & extremam vnctionem, non diſsimili (vt apparet) animo, atque olim quidam prorogabant baptiſmum in extremum vſque diem: nec prius accerſebatur Baptiſta, quàm medicus profiteretur in arte ſua parùm eſſe præſidij. Cur ſemel optamus contingere & tam ſerò, quod ſani & viuentes deberemus facere? Non eſt quòd quiſquam dicat, diſtineor varijs negotijs non vacat. Ne erres, ô bone, talis mors erit, qualis vita fuit. Et quantulo quæſo temporis ſpacio opus eſt ad rem tam neceſſariam? Sanè non quarta pars horæ, vt quiſque ſuam conſcientiam, priuſquam ſe ſomno tradat, diligenter excutiat, & ſi quod crimen eo die commiſſum deprehenderit, tundat pectus & cum lachrymis à Domino veniam poſtulet, & implorata ope diuina, certum ſumat propoſitum vitæ correctioris. Cogita quantum eſt diſcriminis in eo ſtatu obdormiſcere, in quo ſi nos opprimat mors ſomni germana, & ſoror fratrem excipiat, in æternum perierimus. Tantum periculum breuiſsima cogitatione licet effugere. Hoc quotidiè apud Deum, apud ſacerdotem ve-

Cõfeſſio ſacramẽtalis.

verò Dei vicarium ter aut quater, aut sæpius in anno syncera confessione expurgare conscientiam, plurimum attulerit tranquillitatis, efficietque, vt morientem non admodum torqueat confessionis anxietas. Quod nisi faciamus, solet plerunque morti annexa esse ægra & infructuosa pœnitentia, vel propter rarum pœnitentiæ vsum, vel propter grauitatem delictorum, vel propter sensuum interiorum & exteriorum, vt paulò antè diximus, delassationem. De qua sic scribit B. Augustinus: Si quis positus in vltima necessitate, voluerit accipere pœnitentiam & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis non illi negamus quod petit, sed nō præsumimus quia benè hinc exit Si securꝰ hinc exierit, ego nescio. Pœnitentiā dare possumus, securitatem verò nō. Nunquid dico damnabitur? sed nec dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? age pœnitētiam dum sanus es. In homine sano pœnitentia sana, in infirmo pœnitentia est infirma, in mortuo pœnitentia mortua. Si sic agis, dico tibi quod securus es, quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Pœnitentia sera, ra

4. Aegra & infructuosa pœnitentia.

Lib. 50. homiliar. homilia 41. Et de pœn. dist. 7. ca. Si quis.

De vera & falsa pœn. cap. 17.

Luc. 23. rò est vera. Quia, vt idem ait, non inueni-
De vera & falsa pœn. cap. 18 tur, nisi vnus scilicet *latro in cruce qui verè pœnituit*. Itaque idem adhuc B. August. eo dem libro sic nos admonet: Studeat ergo quisque sic delicta corrigere, vt post mortem non oporteat pœnam tolerare. Quædam enim peccata mortalia in pœnitentia fiunt venalia non tamen mox sanantur, sępè enim infirmus moreretur, si non medicaretur, non tamen medicatus statim sanatur, languet victurus, qui prius erat moriturus. Qui autem impœnitens moritur, omninò moritur & ęternaliter cruciatur, si enim semper viueret, semper peccaret. Hæc ille: Ex quibus verbis disertè intelligimus, quòd qui hîc pœnitentiam non cõplent, ignem purgatorium sentient, & grauius punientur, inquit Magi. Sent. quàm si
Hebr. 10. hic egissent pœnitentiam; *Horrēdum est enim incidere in manus Dei viuentis*. Sed de pœnis post mortem expurgantibus, infrà adhuc loquemur, quando de lustricis animarum, seu manium sedibus tractabimus, quando ad ea annexa atq; circumstantias, quæ mortem sequuntur, materia nostra
5. Infestatio & tentatio à caca. dæmonib. deducta erit. Nunc transeamus ad quintũ annexum quod mortem præcedit, quod est infestatio variaq; tentatio dæmonum. Quanquàm verò omnium terribiliũ maximè terribilis est mors corporis, vt ait q-

dam magni nominis philoſophus, nullo Ariſt.3.E-
tamen modo, morti animæ conferẽda eſt. thicorũ.
Grauior enim eſt mors vnius animæ, quã
mille corporum, imò, vt B Bernardus ait, Epiſt.54.
totus mundus non ſufficeret ad æſtimatio
nem vnius animæ. Quod haud dubiè ſen-
tentiæ ſaluatoris optimè conſentit apud
Matthęũ dicentis: *Quid prodeſt homini, ſi v-* Matt.16.
niuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ
detrimentum patiatur, aut quam commutatio
nẽ dabit homo pro anima ſua. Mors igitur a-
nimę oĩm maximè metuenda eſt, ꝗ corpo
re infinitis modis nobilior ſit & precioſi-
or. Cuius rei nõ ignarus ſathan, generis hu
mani capitalis inimicus oẽs vires adhibet,
vt hominẽ vnà ſecum in mortẽ pręcipitet
ſempiternam multiplici tentationum ge-
nere eundem infeſtans & diuexans potiſsi-
mùm, quando morti proximus lecto decũ
bit, quapropter nos admonet Ioannes: *De-* Apoc.12.
ſcendit, inquiens, *ad vos diabolus habens irã*
magnã, ſciens quia modicũ tempus habet. Cal
lidiſsimus atq; nequiſsimus hoſtis ſcit hãc
poſtremã eſſe pugnã, q̃ tecum confligere
poſsit, quaq; peracta aut ſecũ, ſi victor ex-
titerit, ꝑpetuò torqueberis, aut cũ angelis,
ſi ſuperas eũ, cœleſti ſerto perenniter coro
naberis. Vide igitur ne ſuccũbas. Quomo-
do.n. fit in prælio, vt ignauus ac timidus

miles ſtatim atque vidit hoſtem, clypeum & haſtam abijcit, fugitque quantum poteſt, & inſequens eum hoſtis à tergo perimit, quum ei qui ſteterit, nihil tale eueniat, ſed integro corpore ſaluus redit è prælio: ſic qui aſſultus ſathanæ ferre nolentes, abijciunt ſeſe, conculcantur, ſuperantur ac pereunt, ſed qui reſiſtunt, euadunt ſuperiores. Vndè Iacobus *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Is aduerſarios aduerſus molles & effœminatos leone truculentior, ſed aduerſus fidentes & intrepidos lepore timidior & fugacior eſt. *Accipite ergò*, vt Paulus monet, *armaturam Dei, vt poſſitis ſtare in die malo* (tentationis videlicet) *& in omnibus perfecti ſtare.* Nemo inermis audet cum hoſte corporali congredi, quantò minus nos cum ſathana. Porrò, *arma militiæ noſtræ carnalia non ſunt.* Non pecunia, quæ belli neruus eſt, non gladius verſatilis, non ſcutum æneum aut thorax, atque brachialia ferrea, non bombarda, non lingua blandiloqua, iſta ſunt arma carnis, quibus hoſtis ille tartareus non læditur. Non enim eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, hoc eſt, contra homines paſsibiles noſtri ſimiles, ſed aduerſus ſpirituales nequitias nō ſolùm viribus potentes, verumetiam ſpirituali verſutia inſtructos, qui &

Iacob. 4.

Epheſ. 6.

2. Corin. 10
Arma militi Chriſtiano morituro neceſſaria.

leuiores & agiliores, quàm vt comprehendi posśint. Aduersus id genus hostium non prosunt arma humana, solis armis Dei tutus quilibet esse poterit, hæc enim sola principis huius mundi munitiones omnes & machinas destruere & euertere possunt. Roget quispiam quænam sunt hæc? Audiamus de his Apostolum ad Ephesios scribentem: *State*, inquit, *lumbos vestros succincti in veritate, induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, qui est verbum Dei.* Auditis qualia sunt arma, quæ nobis proponit Apostolus? Hæc magis radiant quàm clypei aurei vel argentei, horum fulgorem dæmon ferre nō potest. Qui cum homine commissuri sunt certamen, primùm vndique se contegunt, ne qua pateant telis hostium; deinde parant quo feriant impetentem hostem. Baltheo nanque laminis contexto, tegunt media corporis, vtpotè molliora, thorace superiora communiunt, suras & pedes ocreis, caput operiunt galea, & clypeus sinistra circumagitur ad omnem telorum assultum. At nobis cum sceleratis spiritibus cōflicturis, pro baltheo spirituali erit veritas

Ephes. 6.

Baltheus veritatis.

quæ lumbos animi noſtri præcingat, qua ſemper erecti ſtemus & immobiles contra omnes falſorum bonorum, & impiorum dogmatum illecebras, atque Satanæ ſuaſiones & ſuggeſtiones pernicioſiſſimas. Nemo tunc audiat quid loquatur inimicus ille, quoniam loquetur perniciem & blaſphemias, loquetur deſperationem, impatientiam, & mortem ſempiternam. Sed audiat ægrotus, quid loquatur in eo Dominus, quoniã *loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Ad patriã igitur cæleſtem properantes mortiferos ſtygiarũ ſyrenũ cantus, vt quondã Vlyſſes, ſurda aure trãſeamus. Poſt baltheum veritatis ſumendus eſt thorax ſiue lorica iuſtitiæ & innocentiæ, quæ mentis præcordia omnium virtutũ ſquamis muniat. Sicut .n. lorica multis annulis intexitur, ita & iuſtitia diuerſis virtutum ſpeciebus connectitur, quæ munit non ſolùm pectoris cõſcientiam, verumetiã ventris continentiã, & fœmorum libidinẽ conſtringit, hanc dũ viuimus & valemus, charitatis, omniumq; virtutum officijs (vt nobis in morte tutamini ſit & ornamento) intexere debemus. Pro ocreis quibus ſuræ teguntur, erit nobis purus affectus, nihil appetens præter cœleſtia, nihil formidãs præter peccatum, hoc affectu oẽm contumeli-

Pſal. 84.

Thorax iuſtitiæ.

Ocreę puri affectus.

am, omnemq́;iniuriã in nos admissam remittemus proximo, hoc affectu curremus ad præparandã cũ omnibus pacem, ad quã non eundem duntaxat, sed curriculo properãdũ est. Sed & vndiq; in prõptu habendum est scutũ fidei, quo tegamur nihil omnino diffidentes promissis diuinis Scutum .n. reliquorũ armorũ defensio est, sine quo infirma sunt cætera omnia: ita & cæteræ virtutes quantumuis præclaræ, si non adsit fides, saluare non possunt, quia accedentem ad Deum oportet credere, & *sine fide impossibile est placere Deo.* Hęc est, inquit Ioannes, *victoria quæ vincit mũdum fides nostra.* Et sicut scutum omnia tela respuit, & excutit iniecta: ita & fides omnes diaboli suggestiones, aut arcet aut profligat. Deinde galea muniendum est caput nostrum, ea est spes, sicut alio loco Apostolus scribit: *Accipite galeam spem salutis*: Hæc spes est certa expectatio æternę beatitudinis ex gratia Dei & bonis nostris operibus proueniens. Hanc spem Apost. Paulus comparat ancoræ, dicens: Spem sicut aucoram habemus animæ tutam ac firmam. Postremò in dextra gladius spiritualis, quo hostem iugulemus, qui est verbum Dei, accipiendus est. Nemo enim ad pugnam absque clypeo & gladio miles proficiscitur, multò minus ad tam arduã pugnam miles christianus absq;

Scutũ fidei

Hebr. 11.

1. Ioan. 5.

Galea spei.

1. Thess. 5.

Hebr. 6.

Gladius verbi Dei.

ense hoc debet accedere, vt sit instructus multis locis scripturarum, quibus omnes funes & laqueos tentationum sathanæ abscindat. Sunt & alia arma tunc temporis minimè negligenda, ecclesiæ videlicet sacramenta, quæ ex Christi passione & glorioso certamine vim suam habent. Horum tria potissimum sunt morituro suscipienda, Pœnitentia, Eucharistia sacra, & vnctio postrema. Et quamuis contingat aliquando morientem sine susceptione Eucharistiæ, & extrema vnctione saluari modò desit contemptus, & adsit alius vrgens casus vel impedimentum, sine tamen pœnitentię virtute nemo peccator adultus seruatur. Postquàm ergo ægrotus hunc in modum se præparauerit, & his armis se munierit, voluntati diuinæ in omnibus se committet, pro sacrificio voluntatem suam illi offerens, omnem suam confidentiam in merito passionis Christi collocans, quam sæpissimè recolet, & in secreto cordis sui iugiter ruminabit. Et quanquam à Sathana tunc vehementiùs tentabitur, quàm in omni anteacta vita sua est tentatus, si tamen hac Panoplia instructus est, superabit, non enim deerunt ei beatorum spirituum auxilia, & inspirationes bonæ.

Sacramenta tria ab ęgroto, si fieri potest, deuotè suscipienda.

Cras de tentationibus sathanæ morituro ho-

homini propositis particulariùs differemus. Faxit Deus vt mortis formido non ad desperationem, sed ad animi munitionem & consolationem nos pertrahat, vt viuamus in æternum, Amen.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET. Ecclesi. 7.

CONCIO III.

Quinque præcipua tentationum genera, quibus sathan ægrotos inuadit.

QVantum metuenda mors sit, ex consideratione earũ rerum quę eandem antecedunt, diximus heri; sed quia vltimum mortis antecedẽs nempè infestationem dęmonum percurrere non potuimus, hodiè quod reliquũ est, absoluemus. Quinq; .n. sunt genera primariarum tentationũ, quibus sathan in agonia mortis cõstitutum solet aggredi, vt eũdem ad interitum trahat. Prima est de incredulitate aut infidelitate. Secunda de desperatione. Tertia de impatientia. Quarta de auaritia. Quinta de vana gloria seu præsumptione, de quibus per ordinem differemus, postquàm diuini numinis præsidium inuocauimus, & virginẽ matrem salutauimus.

AVE MARIA.

Frustra quarumlibet artium magistri fuerimus, nisi artem benè moriendi perdi dicerimus. non enim vnico tentationis iaculo nos ferit sathan, sed alios homines alijs atq; alijs oppugnat tentationibus, nam doctos ad abnegationem fidei, rudes & indoctos ad impatiētiam; bonos ad præsumptionem; malos ad desperationem; diuites ad nimiam circa terrena curam solicitat. Sed iam ad primam tentationem accedamus. Considerans sathan hostis noster capitalis fidem esse totius virtutis fundamētum ac humanę salutis initium, sine qua nemo in numerum filiorum Dei ascribi potest, & qua absente, omnis labor noster cassus est & irritus ad vitam æternam consequendam pro viribus hoc fundamentum euertere satagit; & hominem in extremo vitæ periculo constitutum à fide prorsus auertere, aut certè à nonnullis fidei articulis discedere suadet, multa dubia de inferno, de animarum sedibus lustricis, de paradiso, & sacramentis ecclesiæ, & præsertim de his, quæ ad sacramentum corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi spectant, decumbentis ęgroti memoriæ & intellectui proponens, & in hunc modū suggerēs: O, inquit, infelix & miser existimas

1. tentatio de incredulitate.

vera esse quæcunque credis, aut quicquid è suggestu audisti? Erras vehementer, si hoc tibi persuades. Arbitraris in Missa Christi corpus & sanguinem (vt dici solet) integra subsistere? Extremæ dementię est, quòd eò credulitatis adductus sis. Nam fieri non potest, & humano repugnat intellectui credere, sub tam exigua particula hostię tam immensę molis corpus contineri. Prætereà existimas infernũ esse puniendis scelerib. destinatum, aut purgatoriũ expiandis animab. præparatum, nec non paradisum iustis præmio afficiendis reseruatũ? Minimè gentium. Intuere cunctos mortales qui naturæ debita soluunt, nónne oĩm idem est exitus? *Vnus ergò introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.* Sapien. 7. Credat homo quicquid voluerit, faciat quidquid animo collubitum fuerit, agat pœnitentiam siue non, Deum colat, siue idola, sacraméta esse credat, siue non, nónne mors omnibus est vltima linea rerum, nónne omnes ad eundem finem perueniunt, nónne omnes iusti & iniusti simili vitæ exitu clauduntur? Quis vnquam ex inferis rediјt ad superos, qui nobis referat quæ in purgatorio, vel in inferno, vel in patria beatorum geruntur? Hinc vides, *quando moritur homo, omnia cum eo simul interire, quia non est*

resti-

Sapien.2. *refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis, ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus, quia exstinctus cinis erit corpus nostrum.* & fidem tuam nihil quàm somnium ac dementiam esse. Has & similes peruersas cogitationes ægroti phantasiæ & intellectui offert sathan, vt secum eundem in damnationem præcipitem agat. Nam probè nouit, si fides nostræ salutis basis & fundamẽtum corruat, consequens fore, vt ædificium spirituale nullo negotio in præceps ruat, & ita vsuuenturum, vt salutem per Christum acquisitam amittamus, & cum diabolo in damnationem & perditionem corruamus æternam. Dices: Quid igitur in tam periculosa tentatione constituti, facturi sumus? Quid remedij? Ad hæc tibi respõdeo, præcipuum remedium non solùm aduersus hanc tentationem, verumetiam cõtra cæteras esse non præbere assensum, nec acquiescere impugnanti inimico. Nam quantumuis sathan hominem tentet, illum tamen cogere non potest, nec sua tentatione vincere, nisi homo sponte, firmo ac deliberato proposito hosti assensum præbeat. Quod ne faciat, sibi quisque summoperè cauere debet, implorans asiduè

1.Corin.10. auxilium Dei, qui, vt ait Apostolus: *Fide-*

lis

lis est vt non patiatur vos tentari vltrà quàm potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Quare præsentissimum antidotum illa hora extremæ necessitatis, imò & cótra omnes tentationes est non præbere assensum tentanti, & inuocare nomen domini verbis Prophetæ dicentis; *Ne derelinquas me domine deus, & ne discesseris à me: Intende in adiutorium meum domine deus salutis meæ.* Et rursus: *Deus in adiutorium meum intende, domine ad adiuuandum me festina.* Conduxerit verò plurimũ si sani, atque incolumes protestemur frequentius, nullum nos vnquam tentationi consensum præbere velle. Quare principijs obsta, & in primo motu tentationis dicito, abi sathana, non faciam, abrenuncio tibi, nec vllum tuis tẽtationibus assensum do, facesse hinc funesta bestia. En habes in genere, quo pacto perduellem tentatorem repellere licet. Psal. 37. Psal. 60.

Cæterùm singulare remedium aduersus incredulitatis tentationem est in memoriam reuocare diabolum iuxta saluatoris nostri sententiam mendacem esse: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas in eo non est, cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mẽdax est, & pater eius*: Ille impostor mentiendo, Ioan. 8.

& blandiendo primos parentes nostros fefellit & occidit, quare illi fides adhibenda non est. Proximum est, vt nullatenus dubitet homo de articulis fidei, nec de his omnib. quę credit ecclesia catholica, quanquã
Homil.26. ea intellectu humano non assequatur. Nã ibi fides non habet meritũ, inquit Grego. vbi humana ratio præbet experimentum.
Rom.10. Neq; enim ex visu est (teste Apost. *fides, sed ex auditu, auditus aũt per verbum Dei.* Credamus igitur, quæ à saluatore nostro audiuimus, & non tantùm ea quæ sensu nostro naturali comprehendere valemus. Ver-
Ioan.1. bum Dei expresse asserit. *filium Dei pro no-*
Luc.3.& 1. *bis hominem factum, verè conceptum, & natũ de virgine Maria, verè passum, crucifixum et mortuum pro nobis, resurrexisse, & ascendisse in cœlum.* Verbum dei asserit *infernum esse,*
Matt. 25. & *ignem æternum* puniendis infidelibus, & reprobis destinatum; similiter & paradysum siue regnum cælorum iustis & electis præparatum. Verbum Dei affirmat carnem saluatoris nostri verè esse cibum, & sanguinem eius verè esse potum, illam dico carnem, quam pro mundi vita tradidit, & illum sanguinem quem in remissionem peccatorum nostrorum fudit. Verbum Dei expresse habet, quod opus vniuscuiusque probabit ignis. *Fundamentũ enim*
1.Cor.3.

aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet, si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Hic ignis iuxta expositionem beatorum, Augustini, Gregorij, Bernardi, & aliorum plurimorum ecclesiæ Doctorum est ignis purgatorius, dies enim Domini, hoc est, iudicium particulare vniuscuiusque hominis in morte reuelat omnia vsque ad cogitationem secretissimam, in quo igne saluus fiet qui ex hoc sæculo transit, nonnullis peccatorum venialium noxis implicitus, vel qui de peccatis mortalibus contritis & confessis non integrè satisfecit, dum adhuc superstes esset. Si admiranda nimis hæc tibi videantur, quia sensu non percipiuntur, cogita quod dicit Gregorius. Diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis. Si enim DEVS maiora facere non posset, quàm quæ sensus noster & humanus intellectus capere ac comprehendere potest, DEVS non esset, quia omnipotens non esset, quod asse- Homil. 26.

 rere

rere horrenda in Deum blaſphemia eſt. Narrant quidam, non quidem è ſacris voluminibus, ſed tamen ad id quod nunc agimus ſatis accommodum, de duob, quos imminente morte de fide tentauit diabolus, alter philoſophiæ peritus erat, alter nihil aliud quam Chriſtianus, rudis & anormis. Priori ſuggeſsit quid crederet, an Chriſtum Deum & hominem, an natum de virgine, an reſurrectionem mortuorum. Cœpitq́ue philoſophiæ rationibus demõſtrare, non poſſe coniungi in vnum ea, inter quæ nulla eſſet affinitas, velut inter finitum & infinitum, creatum & increatum deinde præter naturę rationem eſſe, vt virgo pariat citra viri congreſſum, nec iuxta Philoſophorum principem Ariſtotelem, eſſe reditum à priuatione in habitum. Quid multis? vacillauit homo, & præcipitatus eſt, hoſtis victor abijt. Alter ille rudis percontanti quid de hoc & illo crederet, reſpondit compendio, quod credit eccleſia. Rurſum interroganti quid crederet ecclesia, quod ego, inquit Quid tu? Quod credit eccleſia. Quid eccleſia? Quod ego. Ab hoc imparato ad diſputandum, ſed ſimplici fide ſtabili, tẽtator victus diſceſsit. Hoc reſponſum ſatis eſt ad abigendum inſidioſum hoſtem. Maximè tamen valet in obſcuris

ſcuris, ac dubijs Veluti ſi ſuggerat ſathan, aut homo intempeſtiuus hæreticus, quomodo in tribus perſonis ſit eadem numero eſſentia, quib⁹ modis inter ſe diſtinguātur; reſpondeat, ſicut credit eccleſia. Quomodo idem corpus poſsit eſſe diuerſis in locis eodem tempore, & quomodo in Euchariſtia verum hominis corpus poſsit in minimo ſpacio contineri? ſicut credit eccleſia, reſpōdeat. Rurſus qualis ſit ignis apud inferos, & quomodo res corporea agat in incorporeā reſpōdeat, ſicut credit eccleſia. Itaq; homo ægritudine depreſſus, & de incredulitate tentatus, reuocet in memoriā ſi poteſt, aut ſi non poteſt, hoc faciat presbyter, aut alius quiſpiam dictans & recitās ei ex literis diuinis ſententias aliquot huic inſtituto ſeruientes. Sicut eſt illa ſaluatoris ſentētia: *Qui non credit, iam iudicatus eſt.* Et Ioan. 3.
illa diui Pauli: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hebr. 11.
Inſuper proponat conſiderandā diligenter ſanctorum patrum tam veteris, q̃ noui teſtamenti fidem, veluti Abraham, Iſaac, Iacob, Moſis, Ioſue, Dauidis & aliorum: noui quoq; teſtamenti Apoſtolorum martyrum, confeſſorum & eccleſiæ doctorum Nam per fidem patres tam veteris q̃ noui teſtamenti placuerunt Deo, & per hanc adepti ſunt promiſsiones Dei & ſalu-

confirmatus in fide,diabolo viriliter reſi-
ſtet,& firmiter credet, quidq̨d ſancta atq;
catholica credit eccleſia,q̃ in negocio fidei
errare nó poteſt,quum à ſpiritu ſancto re-
gatur,qui mentiri nó poteſt. Ita nullo pro
pemodum negotio in tã arduis conflicta-
tionibus dęmoni reſiſtet,quia,vt Chriſtus
Marci 9. ait, *Omnia poſſibilia ſunt credenti.* Conducet
tandem etiam plurimum Symbolum Apo
ſtolorum articulos fidei noſtræ cóplectẽs,
clara voce coram infirmo frequenter reci
tatum,ſi ſenſus & intellectus in ipſo perdu
rent,vt hoc remedio conſtans fide perma-
neat,& dæmones, qui eo audito horrore
concutiuntur,diſcedant & in fugam con-
ijciantur. Sed nec ſic victus diſcedit, imò
aliam non minus grauem tentationem ob
ijcit. Quando fidem ſuperare non poteſt,
tentat ſpem & fiduciam. Et hæc quidem
contra primam tentationum ſpeciem di-
cta ſint ſatis. Nunc ad ſecundam.

2. tentario de deſperatione. Quia,teſte B. Hieronymo,ſpes eſt expe
ctatio rerum omnium, quas in fide poſsi-
demus,per quam & ſaluamur,Paulo ſcri-
Epiſt. 5. primæ partis. bente,ſpe enim ſaluati ſumus. Quod con-
Rama. 8. firmat S. Auguſtin. dicens: Qui gaudet in
ſpe,tenebit & rem,qui autem ſpem nó ha-
bet,ad rem non poterit peruenire. Quæ e-
tiam *ſpes*, vt Paulus ait, *non confundit.* Ait.n.
ſpes,

ſpes. Clama ne ceſſes, & aio, quid clamabo, dic, inquit, cõfidenter & ex toto corde: *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum*, ſathanas contrà cùm triſtitiæ exercitu infirmum peccatorem malum in agonia mortis conſtitutum, dolorem ſuperaddens dolori, procaciter affatur, vbi inquit, eſt protector tuus, vbi domus refugij, vbi ſalus? Adhuc permanes in fiducia tua vana, conſolationes illæ tuę de imaginatione procedunt. Fingis tibi Deum propitiũ, & protectorem tuum, & domum refugij tui, & putas te in cœlum conſcendiſſe? illuderis profectò à phantaſia tua, & vana ſpe cõſolaris. *An putas te ad tertium cœlum vſque fuiſſe raptũ.* Sõnia ſunt hęc, Recordare obſẽcro, q̃ graue peccatũ ſit ingratitudo. Nõne hęc fontem miſericordiæ exiccat. Memor eſſe debes dominum fleuiſſe ſuperciuitatẽ Hieruſalem, & ei mala ventura prænuntiaſſe dicent, quia *venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabũt te, & coanguſtabunt te vndiq;, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Cauſamq; tantorũ malorum non tacuit, ſed eã ſubiunxit dicens: eò ꝙ non cognoueris tẽpꝰ viſitationis tuæ. Eccè q̃a ingratitudo nõ modò priuari beneficio, ſed ẽt grauiter puniri me.

Aug. ſupèr Pſalm. 104.
Roma. 5.
Pſalm. 30.
2. Corin. 12
Lucæ 19.

meretur, nunquid hoc ad animam non spectat? Nónne anima in scripturis per Hierusalem sæpiùs significatur? quæ dum nō vult cognoscere visitationem Domini, circundatur à dæmonibus & varijs tentationibus, quibus angustata meritò prosternitur, nec de cætero restauratur, quia non cognouit tempus visitationis suę. Tu, inquā, tu profectò es hæc ciuitas pluribus & magnis beneficijs à Deo decorata, & nō cognouisti sed ingrata fuisti. Ipse te ad imaginē suam creauit, neque inter infideles, sed in medio ecclesię genuit te, in florida ętate te posuit, aqua Baptismi te sanctificauit. Tu autem post cogitationes tuas cucurristi, in vanitate sensus tui ambulasti, in profun-
Prouerb. 1. dum peccatorum venisti. *Dominus te vocabat, & non respondebas ei*, sæpè te monuit, & consilium eius neglexisti. Quoties te illu-
Lucæ 14. minauit? quoties te ad cor conuertit? quoties de somno excitauit? *Inuitabat te, & tu excusabas*, trahebat, & tu resistebas ei, sacerdotem suum te esse voluit, ad gymnasia suæ sapientiæ adduxit, & tamen semper ingratus fuisti, & negligenter opus Dei fecisti, cùm tamen scires scriptum esse: Maledictus qui fecerit opus Dei negligenter. Nec sic te pietas diuina reliquit, sed sēper ad meliora perduxit, & quod maximū est,

eſt, te ſcientia ſcripturarum ornauit, ſermonem prædicationis in ore tuo poſuit, & quaſi vnum de magnis in medio populi te conſtituit. Tu autem alios docuiſti & & teipſum neglexiſti; alios curaſti, teipſum non ſaluaſti; eleuaſti cor tuum in decore tuo, & ideo perdidiſti ſapientiam in decore tuo. Nihil factus es, & nihil eris in perpetuum. An ignoras quia *ſeruus ſciens voluntatem Domini & non faciens, vapulabit plagis multis?* An *neſcis, quia Deus ſuperbis et contumacibus reſiſtit?* Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, in cœlum cōſcendam, verumetiam in infernum detraheris in profundum laci. Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. An putas nunc inuenire miſericordiam, quam ſemper contempſiſti? non ſemper proſequitur miſericordia peccatorem, terminos ſibi ſtatuit. an non conſideras gradus miſericordię in te finem habere, nunc iuſtitia, nunc iudicium ſibi locum poſtulant: *Deſperata eſt plaga tua, inſanabilis facta eſt.* O infelix peccator, attende peccata tam immenſa, vt nunquam de his veniam ſperare poſſis. Cur non agnoſcis, cùm *Cayn parricida maiorem eſſe iniquitatem tuam, quàm vt veniam merearet* quum

Luc. 12.
Iacob. 4.
Eſaiæ 14.
Hier. 15.
Geneſ. 4.

ſis, ô ſuperbiſsimè peccator Cayno & Iu-
da mille modis ſceleſtior. Neſcis eſſe ſcrip
Matt.19. tum; *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata?*

Roget quiſpiam quid remedij, quid au
xilij, contra tot tela ſathanæ? primũ cogi-
tet ægrotus, deſperationis peccatum eſſe o-
mnium grauiſsimum, & ſuper omnia quæ
admittere poſſet, maximè perniciosũm,
quia in ſpiritum ſanctum committitur, &
ideò irremiſsibile, quia aduerſatur bonita
ti ſpiritus ſancti, cuius perſonæ attribuitur
diuina bonitas, vt filio ſapientia, & patri o-
mnipotentia, quanq̃ vnus ſit indiuiſus de-
us omnipotens, omni ſciẽs, & omnibonus.
Quamobrẽ etiamſi vnus homo omnia to-
tius mundi furta, homicidia, latrocinia, ra-
ptus mulierum, periuria, & reliqua om-
nia totius mũdi peccata ſolus commiſiſſet,
& inſuper certã reuelationem haberet ſuę
damnationis. tam claram atq; maleficus q̃
in foro ſentẽtiam ſuam audiuit, adhuc ho
Lucæ 11. mo ille non debet deſperare. *Si quis patrẽ
petierit ouum, nunquid porriget illi ſcorpium.*
Epiſtol.121 Ouum, inquit ſanctus Auguſtinus ad Pro
bam, eſt ſpes. quia ex ouo ſperatur pullus.
Si quis ergo à patre cæleſti petierit ouum,
hoc eſt domum & gratiam ſpei, nunquid
porrigit illi ſcorpium qui cauda percutit,
hoc eſt, finalem deſperationem? Abſit. Nã,
in

in tali casu sufficit interior contritio, dicē-
te propheta: *Cor contritum & humiliatum deus non despicies.* Vt igitur sani & valentes Psal. 50.
non debemus de misericordia Dei præsu-
mere, quādudum in peccatis persistimus,
ita & in extremis positi, non debemus de
misericordia desperare, statim atq; resipi-
scimus. Ait enim: *Viuo ego, nolo mortē pecca-* Ezechiel. 18
toris, sed magis vt conuertatur & viuat. Si er
go sathanas ingerat criminum magnitudi
nem, ægrotus ad Deum conuersus dicat;
Auerte faciē tuā à peccatis meis, et oēs iniqui Psal. 50.
tates meas dele, Protector noster aspice Deus, et Psal. 83.
respice in faciem Christi tui. Si ingeminet,
scelera tua superant arenam quæ est in lit-
tore maris, respondeat: copiosior est domi
ni misericordia. Quî speras iustitiæ præ-
mium totus iniustus? Iustitia mea Christus
est. Tu sceleribus opertus, cū Petro & Pau-
lo migrabis in requiem? Non, sed cum la-
trone qui audiuit in cruce; hodie mecum
eris in paradyso. Vnde ista fiducia qui ni-
hil boni feceris? Quia bonū habeo domi-
nū, exorabilem iudicē, & gratiosum aduo
catū. Detraheris in tartara. Caput meū in
cælo est, Damnaberis. Tu calumniator es,
non iudex, damnatus non damnator. Mul-
tæ dęmonum legiones expectant animam
tuam. *Confundantur & reuereantur simul,* Ps. 34. & 39.
qui

qui quærunt animam meam, vt auferant eam: auertantur retrorſum, et reuereantur; qui volunt mala mihi: ferant confeſtim confuſionem ſuam qui dicunt mihi euge euge. Rurſum obijcienti; Iniuſtus eſt Deus, ſi pro malefactis dat vitam æternam; reſpondeat: iuſtus eſt qui ſeruat promiſſa, & ego ab illius iuſtitia iamdudum appellaui, ad eiuſdem miſericordiam. Inani ſpe tibi blandiris: Non poteſt mentiri veritas. promiſſis fallere tuum eſt. Quid relinquas, vides nempe peccata irremiſſibilia, quid habiturus ſis, non vides:
2.Cor.4. Dicat ægrotus: *Quæ videntur, temporaria ſunt: quæ non videntur, æterna* plusquàm videt, qui firmiter credit. Sed migras nudus? Sed habeo veſtem nuptialem, quam lauo in ſanguine agni, rogaboque eum, vt bo-
Ioan.9. nis ſuis me conueſtiat. At *Deus peccatores non exaudit*. Sed audit pœnitentes, & pro peccatoribus mortuus eſt. Sera eſt tua pœnitantia. Non fuit ſera latroni. Latronis erat firma fides, tua vacillat. Orabo Dominum, vt augeat fidem meam. Falsò tibi perſuades te miſericordem habere Deum, qui tot malis te excruciat. Medetur vt clemens medicus. Quur voluit mortem eſſe tam acerbam? Dominus eſt, nō poteſt velle, niſi quod bonum eſt, cur ſeruus malè frugi recuſem perpeti, quod Dominus glo

riæ

riæ eſt perpeſſus. Miſerum eſt mori. Beati qui in Domino moriuntur. Sed mors peccatorum peſſima. Reſpondeo peſſimam eſſe in peccatis obſtinatorum, ſed paccator pœnitens, peccator eſſe deſijt, quia cum ſpe miſericordiæ ſe peccatorem agnoſcit. Recede igitur hinc mendaciſſime dæmon, nam ſi tu poſſes dicere: Domine Deus meus peccaui, ignoſce mihi, veniam impetrares, ſed impedit te ſuperbia tua, faceſſe hinc in infernum, mala beſtia vade. *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt*, cuius miſericordia quum aduenerit, peccata coram eo minus durant, quàm ſtupa in ignem coniecta. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea quem timebo: Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo* Huiuſmodi reſponſiunculis muniendus eſt ægrotus, breuibus & expeditis aduerſus ſatanæ prauas ſuggeſtiones. Exmpla reuocanda ſunt illi in mentem, quæ multa pius Dionyſius ille Carthuſianus in opere ſuo de quatuor nouiſſimis, & ante eum opinor Nicolaus Denyſe Minoritanæ familiæ doctor, etiam in libello de quatuor nouiſſimis ex vitiſpatrum, & alijs dialogis, atq; hiſtorijs, deſumpſerunt, ſed ego malim exempla ſacræ ſcripturæ, in quibus & reluxit inſignis miſericordia Domini, & maior eſt certitudo, veluti in Dauide

Ex libro apum.

Deuter. 4.
Hebr. 12.

Pſal. 26.

uide, qui adulterium cumulauit homicidio, ac duobus verbis effugit vindictam, *Peccaui Ignosce*: vel *peccaui Domino*: Item *in Achab*,. In *Niniuitis*. In *filio prodigo*, In *publicano*. In *muliere adultera* In *muliere peccatrice Magdalena*. In *Petro qui ter abnegauit Dominum*. In *Paulo qui persequutus est Ecclesiam Dei*. In Cypriano qui ex Mago factus est martyr & Episcopus Carthaginensis, alijsque innumeris, qui ex idololatria, ex blasphemia, ex horrendis criminibus ad Deum cõuersi, in gratiam recepti sunt. Ad excludendam verò desperationem, & erigendam spem aptiores sunt litteræ noui testamenti quàm veteris. Nec mirum Moses Iudęos terrebat præceptis, Christus vniuersos cõsolatus est per fidem & gratiã. *Lex enim, inquit Euãgelista, per Mosen data est, sed gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Valent quoq; ad hanc rem, nõ exempla, sed & dicta seu sententiæ prophetarum. Sunt etiã quoq; nunc ad eam rem præcatiunculæ & piæ & eruditæ in Enchiridió, vnũ varijs auctoribus cõgestæ. Hisce omnibus cõsolandus, & in spe firma retinendus est ęgrotus. Sic excitata spe nõnunquam tamen succedit impatientia.

2. Reg. 12. 2. Reg. 21 Ionæ 2. Lucæ. 15. Lucæ 18. Ioan. 8. Lucæ 7. Ioan. 1.

Tertia igitur tentatio, qua diabolus indoctum & rudem sacrarum literarũ infirmum

mum decũbentem aggreditur, impatientia eſt. Per hanc cacadæmon ægrotũ decũbentẽ à charitate Dei conatur abſtrahere, vt per eã impatiẽtiã omne meritũ perdat. *Charitas*, n. teſte Apoſtolo, *patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert*. Impatientia, quę eſt inuoluntaria doloris perpeſſio, ex diuturnis morbis plerunq; naſcitur, vt ſunt morbus articularis, nempe chiragra manuũ dolor, podagra pedũ dolor, & iſchias coxę dolor, item paralyſis, colica paſſio, calcul9, febres hecticę, ptiſis, & ſimiles alij: in quib. dęmõ ægroto tales ſuggerit cogitationes. Quorſum tã immanes cruciatus omni creaturæ intolerabiles, tibiq; inutiles, ferre poteras ſi meritus fuiſſes, ſed miſsã quotidie audire nõ neglexiſti, opera charitatis exercuiſti, & interim hoc longo cruciatu cõtabeſcis, an non vides ꝙ à ſe Deus te abiecerit. Mox ẽt æger decũbens cogitat ſecũ, dicens: Oẽs te derelinquunt, nõ eſt ꝗ tui curã habeat, oẽs te contemnunt, & qui te inuiſunt, tua non te quærunt. Ita verſutus Satan ægrotum à charitate Dei & proximi paulatim abducit ad ſiniſtrã de Deo & ꝓximo ſuſpicionem. Hac arte ſanctũ illũ *Iob ad impatientiã* ſolicitabat, quãdo excitabat & Deũ & amicos, & deniq; vxorem eius aduerſus eum.

1. Cor. 13.

Iob. 1.

Et quid remedij roget forſitan ęgrotus

quiſpiam. Sanè recordari debet omnis impatiens ſe ex animo humilem necdum eſſe. Si enim verè humilis eſſet, in dubiè voluntati diuinę ſe cōformaret, & cum Chriſto diceret: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.*

Matth. 26. Non tamen ſemper capitale vitium eſt, aut contra virtutem patientiæ facit quiſquis in doloribus conqueritur, gemit, vel vociferatur, nam hoc naturale eſt, quemadmodum & flere. Vnde ſanctus Hieronymus: Affectus, inquit, & perturbationes

Epiſt. 88. quamdiu in tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne circundamur, moderatè regere poſſumus, amputare non poſſumus. Vt igitur omnes cruciatus & infirmitates, maiore cum patientia tolerare queat ægrotus, tria aduertat. Primùm peccata ſua infinita, ab ineunte ætate toties per Dei miſericordiam remiſſa; pro quibus pœnas ignis infernalis commeruerat. Secundò conſideret patientiam Chriſti, & illam opponat ſuæ impatientię, quàm multa pro nobis paſſus eſt CHriſtus, & quàm pauca nos patiamur pro eo. Tertiò cōtempletur gaudium & pręmia quæ pręparauit Deus his, qui patiuntur voluntariè, quoniam talium eſt regnum cœlorum. Quantum ad primum attinet, dicat ægrotus:

Primi explicatio remedij. Iob. 33. quod Eliu dicit in libro Iob: *Peccaui & verè*

verè deliqui, et vt eram dignus non recepi Item quod filius prodigus, qui in necessitatibus suis positus non fuit impatiens, sed dixit: *Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis.* Nam haud dubiè omnes pœnæ, dolores, & cruciatus, quos homo in hoc sæculo perpeti posset, si conferantur cum pœnis inferni, quæ pro vnico mortali peccato reprobis reseruantur, nihil sunt. Quoniam inter pœnam æternam & temporalem, infinitam & finitam, nulla comparatio esse potest. Atqui pœnæ inferni sunt æternæ, proinde omnes huius sæculi pœnas superant: Cogitet se hic suum purgatorium habere, clamitetque cum B. Augustino: Domine hîc vre, hîc seca, vt in æternum parcas. Oret cum Dauide: *Amplius laua me domine ab iniquitate mea.* Et vociferetur cum Petro: Si partem non haberem tecum ob impatientiam meam, *Domine non tantum pedes, sed & manus & caput.* Quantum ad secundum attinet, cogitet quis Christus sit, nempè innocens, impollutus, Dei filius. *quem nemo vnquam arguet de peccato*; quia, vt dicit Petrus, *peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius.* Et tamen ipsé quum adhuc infirmi, impij, & peccatores, imò quum *adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem eius.* Sed quæ

Luc. 15.
In Psal. 33.
Psalm. 50.
Ioan. 13.
Secundi remedij expositio.
Ioan. 8.
1. Petr. 2.
Rom. 5.

Threnor. 1. passus est? audi lamentantem Prophetam: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Et cur hæc omnia? quia descendi, inquit, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit
Ioan. 14. me patris. *Et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.* Quamobrem Paulus in tribulatione positos, ne per impatientiam labascant, & animum despondeant, remittit omnes in tribulatione positos ad passionem & cru-
Hebr. 12. cem Christi dicens: Ideoq; & *nos tantam habentes impositam nubem testium deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum,* qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta. Recogitate eum qui talem sustinuit aduersus semet ipsum contradictionem, vt non fatigemini
Exod. 15. animis deficientes. Hęc ille: *Sicut ergo lignum Mosi ostensum, proiectum in aquas dulcorauit quæ erant amarissimæ,* sic lignum crucis benè in memoriam reuocatum alleuiat omnes tribulationes nostras.

Tertij remedij declaratio. Quantum porrò ad tertium attinet, si ægrotus consideret gaudium cœleste, nónne protinus clamabit cum Apostolo: *Non sunt*
Roma 8. *condignæ passiones huius temporis ad futuram*
1. Corint. 2. *gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Nónne &

illud:

illud: *Oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Et cum iſto: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* His ergo conſideratis ægrotus æquanimiter tolleret propter Deum, cum gratiarum actione quęcunque à benignißimo patre Deo immittuntur ei etiam mortem ipſam. Nam gratius Deo offerre nequimus ſacrificium quám voluntatem noſtram, eam diuinæ ſuæ voluntati conformando. Quapropter beatus Paulus certiſſimè ſciens hanc patientiam Deo gratißimam eſſe, omnes in afflictionibus conſtitutos exhortatur his verbis: *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem.* Quod ipſum Dominus cõfirmat in Euangelio. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Et iterum: *Nonne oportuit pati Chriſtum: & ita intrare in gloriam ſuam?* Apageſis igitur impatientia. Vult enim Chriſtianus ægrotus dicere cum Paulo: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo,* atque in cruce, in dolore, tribus clauis, nempè fide, ſpe, & charitate, affixus conſtanter & ſtrenuè depugnare cum ſathana, donec eo deuicto in requiem migret æternam, pręſidio gratiaque Domini noſtri Ieſu Chriſti,

Iacob. 1.

Hebr. 10.

Luc. 21.

Lucæ 24.

Galat. 6.

cui cum patre & spiritu sancto laus & gloria omne per æuum, Amen.

Ecclef. 7.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET.

CONCIO IIII.

De quarto & quinto tentationum generibus, cum eorum effectuum, qui mortem concomitantur, explicatione.

Diximus hesterno die quinque primaria infestationum fathanæ genera esse, quibus agonizantem ægrotum plerunque impugnat, è quibus tria illa quæ fidem, spem, & charitatem concernunt, charitati vestræ exposuimus heri, reliquum est vt de sequentibus, nempè de auaritia & vana gloria, modo dicamus: vt ita persolutis ijs, quæ mortem antecedunt effectibus, transeamus ad ea enarranda effecta; quæ hanc concomitãtur: ex quibus prouocati, nos diligentius præparemus ad mortem, rectiusque moriendi artẽ ediscamus, sed (vt ait Poëta) ab Ioue principium, inuocemus ergo gratiam diuinam, salutemus quoque virginem matrem gratia plenam.

AVE

AVE MARIA.

Sæpenumerò ſathan inſtante mortis articulo ægrotum de peccatis, ad quæ toto decurſu vitæ ſuæ propenſus fuit, tentare ſolet, iuxta vulgare inter Chriſtianos prouerbiũ: Qualis vita, talis mors. Quamobrem auaritiæ deditos, ac huius mundi ſectatores, diuitijs & ſolicitudinibus huius ſæculi totis viribus aggreditur, vt credant ſe non morituros, propterea & de morte nihil audire volunt, & omnium inuitiſsimè moriuntur. Ratio eſt, quia vt Chriſtus ait; *Vbi theſaurus tuus, ibi & cor tuum eſt.* Ab hac ergo tentatione immunes ſunt, qui nimia paupertate premuntur, & qui puro mentis affectu ex amore Dei bonis caducis renunciantes, facti ſunt pauperes ſpiritu, iuxta conſilium Dauidis dicentis: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor appponere.* Sed audiamus ſapientem Syrach de morte pauperis & diuitis verba facientem, qui de diuite primum ſic ſcribit: *O mors quàm amara eſt memoria tua homini habenti pacem in ſubſtantijs ſuis, viro quieto, & cuius viæ directæ ſunt in omnibus, adhuc valenti accipere cibum.* Et continuò de paupere interponens ſermonem ait: O mors quàm bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus defecto ætate, & cui de omnibus cura eſt. Itaque ſathan omnibus viribus

[Margin: 4. tentatio de auaritia — Matth. 6. — Pſal. 61. — Eccleſ. 41.]

ſuis in memoriam decumbentis ægroti reducit omnes facultates ſuas quas vnquam in vita acquiſiuit, honores, pompas, & omnia quibus ſe in hoc ſeculo plus oblectauit, diuexans eum vt illis diſponendis intẽtus ſit ad longiorẽ vitam anhelet; & ſibi promittat ſe non tã citò moriturum, vtq; omninò recuſet mori, atq; ita ſuæ ſalutis rationem nullam habeat: has ſimileſque cogitationes eidem ſuggerẽs, vt intra ſe ipſe ſibi loquatur, dicens: O infelix ego, nunc bona quæ congeſsi omnia miſer derelinquere cogor, diuitias, agros, & prædia, coniugem dulciſsimã, chariſsimos liberos, amicos fideles, & parentes, atq; cognatos, ex quibus conſolationem magnam accipere conſueui, qubuſq; plurima emolumenta adhuc conferre poteram: nunc omnibus remittã nuncium oportet, et ignoro, q̃d in altero ſæculo offendã, ſi tamẽ aliud ſæculum iſto dulcius eſſe poteſt. Heî mihi quod nullus modo medicus eſt qui cõ-
4. Reg. 1. ca tra morbum hunc remedium ſciat. *Currite conſulite aſtrologum, genethliacum, ariolum, an nullus ſit qui vel maximo precio mihi reſpõdeat, vtrum viuere queã de infirmitate mea hac,* contempletur medicus vrinam, tangat pulſum meum, anne aliqua ſit ſpes ſanitatis. Ah quid fieret de cõiuge mea ſi morerer ꝙ abſit, me mortuo quis prolib. meis ſuccurreret, facultates, domus, palatia quis poſsideret, quis co

dicillos rationum meorũ tam acutè & diligenter ꝓduceret & prosequeretur. Eheu si mori deberem, q̃ citò omnes mei caperet oblinio. An nunc moriar quando *lassatus sum in via iniquitatis et perditionis, & ambulaui vias difficiles quid mihi profuit superbia. & diuitiarum iactantia quid contulit mihi.* Et aliud nihil ingeminant eiusmodi quàm quòd pinguissimus ille & tremens Agag dixit, quẽ in frusta cõcidit Samuel dicentem: *Siccine separat amara mors?* Quòd si forsitan tũc ei in mentem veniat, quomodo bonã partem diuitiarum iniustè acquisierit, nempè rapinis, vsuris, fraude, furto, simonia, iniustis exactionibus, vel latrocinio, tantò ampliùs hostis inuisibilis tentationibus perculsus erit. Et si quis eum ad restitutionem exhortetur, statim impediet diabolus, hæc & similia suggerens: Si quæcunq; detines, aliena restituere velis, vxor tua, prolesq; tuæ in magnam tui contumeliam stipem ostiatim turpiter emẽdicare cogentur, & tu ab omni mundo improbus impostor, veterator, & latro habeberis. Ac sanè valdè metuendũ est, ne huiusmodi tentationibus in desperationis & damnationis barathrũ incidat, vt Paulus scribit ad Timotheum: *Qui volũt, inquit, diuites fieri incidũt in tẽtationes, et in laqueũ diaboli,* & desideria multa inutilia & nociua, q̃ mergunt hoẽs in interitum & perditionẽ.

Sapien. 5.
1.Reg. 15.
1.Timot. 6.

Quid igitur faciam, quid consulis roget me ægrotus quisquam? Sanè, respondeo, audi non me, sed sapientem Syrach dicentem:
Ecclef. 5. noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris: est mihi sufficiens vita, nihil enim proderit in tẽpore vindictæ & obductionis. Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui, & ne dixeris: Quomodo potui, & quis me subijciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Ne dixeris: Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim patiens est redditor. Ne dicas, miseratio domini magna est multitudinis peccatorum meorum miserebitur, etiam absque restitutione. Caue, misericordia enim & ira citò approximant ab eo, & in peccatores respicit ira illius. Non tardes ergò conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem. Hæc Syrach. Si adhuc sanus
1. Thessa. 4. es, audi Apostolum dicentem: *Ne quis supergrediatur aut circumueniat in negotio fratrem suum*, Si infirmus es, & ære alieno grauaris, mox satisfacito, neq; hac in re cõfidas vxori vel liberis, vt hi post mortem tuam soluant.
Epist. 54. Quia, teste beato Augustino scribente ad Macedonium: Nõ dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Si non habes in promptu vndè restituas, precare creditorem, vt animæ tuæ ac suæ misereatur, & tunc hæredes

des

destuos adiura coram creditoribus, vt si quæ bona supersunt mobilia vel immobilia absque dilatione debita persoluant priusquã, te defuncto, bona inter se partiantur. *Si oculus tuus scandalizat te, aut pes aut manus*, hoc est, si miseret te vxoris, prolium, vel hęredum, erue eum & proijce abs te, *melius enim est te vnum oculum, id est simplicem rectam que conscientiam habentem luscum, debilem & claudum introire in regnum Dei, quàm duos oculos, manus et pedes habentem, mitti in gehennam ignis.* Diuitiarum amissio nulla est, famæ maior, sed animæ perditio maxima est. Matth. 5. Marc. 9.

Tu cogita languide: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertor illuc.* Item: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubiè quia nihil auferre possumus. Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur?* Cogitet etiam ægrotus, vxori & liberis prospiciet, pater cœlestis Deus omnipotens, qui est *pater orphanorum*, teste Dauid, *et iudex viduarum.* Si distrahor à charissimis, at breui me sequentur, si à iucundis amicis diuellor, propero ad iucundiores, vbi pro aliquot paucis, infinitos sum inuenturos, qui *gaudebunt & congratulabuntur vni mihi peccatori pœnitentiam agenti.* Iam de quinta tentatione dicam. Iob. 1. 1. Timot. 6. Matth. 16. Psal. 67. Lucæ. 15.

5. tẽtatio de præsumptione.

Quoniã autem versutissimus hostis, quos

 neque

neque ad incredulitatem, neq; ad desperatio nem, neq; ad impatientiam, neq; ad auaritiam aut amorem sęculi pertrahere nõ potest, solicitat ad sui fiduciam, complacentiã præsumptionem, superbiam, & vanam gloriam in bonis operibus, quo genere tentationis personas religiosas, bonas, deuotas & pias qui statum perfectionis profitentur aggreditur, aduersus hoc quoq; non leue discrimen muniendus est ægrotus.

Remedia ergò fuerint hæc, vt quemadmodum aduersus desperationis charybdim quando sathanas deprimit hominem conscientia scelerum, is idem se debet erigere fiducia diuinę misericordię ac societatis cũ Christo mysticæ, ita aduersus arrogãtiæ scyllam pręsens erit remediũ, si semet cõsideratione ꝓprię imbecillitatis abijciat. Refertur enim de Abbate Agathone, quòd ei sub mortem trepidãti, dixerint qui aderant fratres, Pater quid est quod expauescas, quum per omnẽ vitam pietatem colueris? Eumq; ita respondisse: O fratres multò alia sunt hominum iudicia quàm Dei. Quisquis ergo in Christo fortis & excelsus est, & in seipsò humilis & abiectus, nec deijci potest à sathana, nec allidi. Tale quiddam in veterum monumẽtis legimus de D. Antonio monacho, quẽ mille modis oppugnauit sathanas, nec vnquam potuit

B. Hieron. in vitis patrum.

tuit expugnare. Quodam autem tempore, quum frustra admotis omnib. technis nihil profecisset, se vinci fassus est his verbis, in cassum nitor, si ego te deijcio, tu teipsum attollis, si te attollo, tu te ipsum deprimis. Sed neq; hoc palpo vicit Antonium. Ad eandem similitudinem, si sathanas suggesserit. Dignus est q inter Seraphicos sedeas, respódeat ægrotus: Nulla est mea dignitas, nisi quòd indignitatem meam agnosco. Multum ieiunasti, multum orasti, vitam austeram duxisti, plurimũ in egenos erogasti. Respondeat, pro his *in se confidere & aspernari Pharisaicũ est*, quicquid verò ex me boni operis profectum est, Domini est, non meum. At purus es ab ijs vitijs, quibus & ille laborat. Respondeto, est igitur vndè Domino gratiat agam, non est autem vndè mihi placeam. Nam nisi me Domini misericordia protexisset, & si similis irruisset tentatio, patrassem eadem, aut etiam sceleratiora. Hoc scio, *quod nisi humiliauerim me, & efficiar sicut paruulus, non intrabo in regnum cœlorum.*

Lucæ 18.

Matth. 18.

Hunc in modũ victis sathanæ tentationib. ęgrotus pasionẽ domini nostri Iesu Christi meditabitur & contemplabitur, qnantũ vis morbi permiserit. Quoniã igitur oĩs Christi actio nostra est instructio, sicut attestatur

Passionem domini meditetur ægrotus.

Aposto-

ſtolus Ioãnes: *Qui*, inquiens, *dicit ſe in Chriſto*
1. Ioan. 2. *manere, debet quomodo Chriſtus ambulauit, & ipſeambulare*, ægrotus exemplũ imitetur, ꝙ Dominus noſter Ieſus per mortem de hoc mundo ad patrem tranſiturus fecit. Cùm enim inſtaret nox illa extrema, aduerſus imminentem tentationis procellam communijt ſuos vſque in finem diligens eos, per Apoſtolos etiam nos admonens, vt quoties incidimus in caſum aut morbum protinus ſacramentali confeſsione facta, & abſolutione ſacramentali accepta, ſi tamen aliquo modo haberi poteſt proprius ſacerdos, vel alius, eo abſente, confeſſarius, expurgemus affectus noſtros, quemadmodum Dominus Ieſus lauit pedes diſcipulis ſuis, mox reuerenter accipiamus ſacroſanctum corpus domini, qui cibus animos noſtros fortes & inuictos reddat aduerſus hoſtem ſpiritualem. Quin & *inducat preſbyteros eccleſiæ, et orẽt ſup eũ, vngẽtes eũ alio in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuabit eum dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Deinde aduertet quod Dominus nullum condidit teſtamentum, ſed pro teſtamento fuit ſermo igneus quem Ioannes in Euangelio accuratius proſequitur, & inſtitutio ſacramenti Euchariſtiæ in mortis ipſius memoriam. Teſtamentum ſapiebant & illa verba de cruce: Mulier ec-

Confeſsio ſacramẽtalis.

Euchariſtia

Iacob. 5. Vnctio extrema.

capitibꝰ 13. 14. 15. 16. 17.

er ecce filius;& ad discipulũ, Ecce mater tua. De externis enim ægroto amodò paucis agendum est, neque enim Christus vestibus suis vel alijs mobilibus, Apostolis. vel matri distribuendis; donatione inter viuos (vt aiũt Iurisconsulti) vel legatione testamentaria, solicitus vnquam fuit. Hæc etiam ægrotus noster longe antè fecerit. Sed totus nunc erit ægrotus in his, quæ faciunt ad fidem & charitatem. Solent enim verba morientium auidiùs excipi, & altius insidere mentibus audientium, partim quòd nemo creditur fingere, in eo quidem articulo, partim quòd mens dum incipit diuelli à corpore quo grauatur, sæpè specimen edit illius libertatis & cognitionis ad quam proficiscitur. Sed redeamus ad redemptoris exemplum. A mystica cœna secedit ab ædibus in hortum, ac iussis eo loco reliquis subsidere discipulis, tres tantùm sibi adiungit, Petrum, Iohannẽ, & Iacobum Zebedæi, vt eosdem haberet testes humanæ infirmitatis, *quos in monte gloria sua testes esse voluerat.* His confessus est extremam animi tristitiam, quæ sæpè morte ipsa grauior est, quibus vigilare & orare iussis, rursus secedit etiam ab his, ad orandum. In corporali recessu domini, magnum est mysterium. Qui enim se morti præparat, ab omnibus vrbanis ac domesticis affectibus Matt. 17.

sece-

ſecedat oportet, reipub. curam abijciat, poſſeſsionum ſolicitudiné penitus exuat, vxorem ac liberos Domino commendet, ab amicorum & cognatorum fiducia ſe ſubducat, ne intimos quidem in animi curas recipiat, ſolus ſub dio ſit oportet, qui tũ velit loqui cum patre cœleſti, quum vrget extrema tentatio. Qui non orant diſcipuli, ſuccumbunt tentationi. Porrò ter orauit Dominus, & quo geſtu quæſo? Flexit genua, parũ hoc eſt. proſtrauit ſe in faciẽ. Et quid orauit? Nõ ſicut ego volo, ſed ſicut Flectit genua, qui ſe totum ſubijcit diuinæ voluntati, procumbit in faciem, qui totus ſibi diſplicet, totus ſuis diffidit viribus & benefactis, quanq̃ plurimis ijs, nec aliundè ſperat ſolatium, quàm à miſericordia Domini. Nec ſtatim deſperãdum ſi differtur conſolatio, iterum atq; iterum redeundum eſt ad clamorem, non oris ſed cordis. Etenim ſi nos, quod dominus externè fecit, ſpiritualiter imitemur, aderit bonus angelus, qui ſudorem ſanguineũ abſterſurus eſt ab animo noſtro, & aut eripiet à diſcrimine, aut robur addet ſpiritui noſtro, vt mortem fortiter perferamus, & in ſingulis noſtris anguſtijs patientes ſimus, ſicus Chriſtus in ſingulis paſsionis ſuæ partibus, ſicut ouis, patientiſſ. fuit. Poſtremò cum Domino nudi crucem aſcendamus oportet,

& quod fecit, etiam ipsi faciamus. Quatuor enim quædam fecit, Orauit, Fleuit, Spiritū commēdauit. Spiritum reddidit patri. Quæ quatuor Apost. Hebræis scripsit dicēs: *Qui in diebus carnis suæ* (hoc est in mortali corpore existens) *preces supplicationesq́; ad eum qui posset eum saluum facere à morte, cum clamore valido et lachrymis offerēs, exauditus est pro sua reuerentia.* Ita ergò et quilibet ægrotus Christianus, precetur, Pater ignosce mihi quia nesciui quid feci. Clamet cum lachrymis Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me. Commendet Christi meritis & omnium sanctorum suffragijs, præsertim patronis suis & sancti angeli custodis sui precib. contrito corde animam suam & dicat: *In manus tuas domine commendo spiritum meum.* Largiatur nobis DEVS sic agendi sensum & intellectum. Sed hactenus ea tentationum genera atque eorum remedia, quibus antè mortem sathan varia hominum genera infestare solet, exposuimus, nunc quæ mortem ipsam concomitari solent, porrò vt dicamus sequitur.

Quatuor res in cruce Christus fecit.

Hebr. 5.

Psal. 30.

Concomitantia mortem duplicia sunt.

Cum morte hominis duplex quoq; grauis aduenit tristitia, quarum vna morientem, altera astantes inuadit amicos. Morientem enim cōtristant, 1. amariss. separatio duarum amicissimarū rerū, corporis & animę,

2. nu-

2. nuda egreſsio. 3. mutatio corporis omnimoda, fit enim rigidum, frigidum, putridum, horridum, ponderoſum, terreum, & eſca vermium, 4. horribiliſsima viſio dæmonum, 5. amiſsio temporis pœnitendi & promerendi, 6. priuatio mundanorum gaudiorum, 7. amiſsio bonorum omnium, videlicet, fortunæ vt diuitiarum, nobilitatis, &c. corporis vt fortitudinis, pulchritudinis, ſanitatis, &c. animæ, ſeu gratiæ ad hanc vitam pertinentis.

De verbis Apoſtoli, ſermon. 32.

Ac ſanè, quod ad ſeparationem attinet, mortem horret, vt ait Auguſtinus, non opinio, ſed natura. Quapropter ſi animalia cætera quæ ita creata ſunt, vt ſuo quoq; tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam, quanto magis homo qui ſic erat creatus, vt ſi viuere ſine peccato voluiſſet, ſine termino viueret. Hæc ille: Ita & dicebat ille pinguiſsimus Agag rex, quum eum in fruſta ſecaret Samuel: *Siccine ſeparat amara mors?* Nunquam ergò, vt dicit Gregorius, ſine dolore amittitur, quod cũ amore poſſidetur. Dentes enim, quò firmius inhærent gingiuis, hoc maiorem, ſi extrahantur, dolorem afferunt. Iam vt de ſecundo loquamur, quid hominem perinde contriſtat, atque nuditas, quæ & timorem & pudorem incutit, vt patet in Adamo qui dixit: *Vocem tuam*

1. Reg. 15.

Geneſ. 3.

tuam audiui in paradyso, & timui, eo quòd nudus essem, & abscondi me. Similiter & Iob: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Quam nuditatem deplorans Solomon ait, *Sicut homo egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet de labore suo: miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, sic reuertetur.* Eheu quàm triste est spectaculum videre nudum, qui nuditatem suam non erubescit, sicut ait dominus ad Ierusalem: *Nuda eras & confusione plena, & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam.* Ach vę illis, qui virtutibus nudi migrant à corpore. His enim dicet Dominus sicut dixit angelo Laodiceę Ecclesiæ: *dicis, quia diues sum & locupletatus & nullius ego, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ. Heu quanta ergo confusio fuerit nudum sine veste innocentiæ prodire in tam innumerabilem cœtum omnium angelorum, & sanctorum, ad nuptias agni sine veste nuptiali. Quid ille sibi dicendum expectet aliud, quàm dictum est illi in Euangelio: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit: Tunc rex*

Iob. 1. Eccles. 5. Ezechiel. 16 Apocal. 3. Matt. 22.

dixit ministris: Ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Non est ergo mirum, si cō tristet moriturum nuda egressio. Transeo ad tertium, quid tristius & molestius ea angustia accidere possit, quando eò deuenit
Iob. 7. homo, sicut Iob queritur, vt *sit sibimet ipsi grauis*, quando omnimoda fit mutatio corporis, quando rigidum, frigidum, horridum, putridum, ponderosum, terreum, &
Ecclef. 10. esca vermium. *Cùm enim morietur homo, hereditabit serpentes, & bestias, & vermes.* Cuius rei nos pulchrè submonens sanctus Au-
Ad fratres in hēremo serm. 48. gustinus in sermone de cura animæ: Vidit, inquit, homo quales amicos habes, pro quibus animam perdis, pro quibus Deum offendis: Omnes dimittent te, omnes se abscondent, & in foueam trium brachiorum collocabunt te. Nam quum essemus apud ostia Tyberina matris charitate sociati, expectantes temporis tranquillitatem causa remeandi ad Africam; & gratia illius, cui terra & mare obediunt compulsi à Pontiano præfecto clarissimo, qui de Roma ad nos videndum venerat, cum eodem iterum reuersi sumus Romam, ad intuendum diligentius magnifica ædificia, & opera pa-
exemplum cadaueris. ganorum. Et ductus sum cum cæteris ad videndum cadauer Cæsaris in sepulchro, &
vidi

vidi quòd esset omnino liuido colore ornatum, putredine circumdatum, prospexi ventrem eius diruptum, & vermium cateruas per ipsum transeuntes. Duo quoque famelici bufones in foueis oculorum eius pascebantur, crines eius non vltra adhærebant capiti. Dentes eius apparebant labijs consumptis; & reuelatum erat narium suarum fundamentum. Et intuens matrem charissimam dixi: Heu mater vbi nunc est Cęsaris præclarum corpus, vbi diuitiarũ eius magnitudo, vbi caterua baronum & nobilium, vbi acies militum, vbi apparatus delitiarũ, vbi canes venatici, vbi veloces equi, vbi cantantes aues, vbi thalamus pictus, vbi lectus eburneus, vbi regalis thron', vbi mutatoria vestimentorum, vbi capilli solares, vbi facies decora? Te dudum verebantur homines, te timebant principes, te colebant vrbes, te metuebant omnes. Vbi nunc quæso sunt hæc omnia? Quo abijt tua magnificentia? Et respondit mater pietate plena: Fili sibi pariter defecerunt omnia, quando defecit spiritus eius, & eum in sepulchro trium brachiorum reliquerunt cum fœtore & putredine. Hactenus ille. Quid ergo horribilius morte hominis, quid fœtidius humano cadauere, quid diuitiæ prosunt, quid honores? diuitiæ non à morte, delitiæ non à ver-

Deut. 32. mibus non honores à fœtore liberant. *O vtinam saperent homines, & intelligerent ac nouissima prouiderent*; & non solùm nouissima, sed & prima & media. Sed progrediamur ad quartum mortis effectum, qui est infestissima & horribilissima visio dæmonum, de qua Innocentius tertius, de contemptu mundi siue de miseria vitæ humanæ: Mali, inquit, quatuor dolores patiũtur in morte, &c. Quartus eorum est, quando anima adhuc in corpore posita, videt spiritus malignos ad rapiendum se paratos, vbi tantus est timor, quòd misera anima licèt à corpore egressura, tñ quamdudũ potest refugit, vt tẽpus suæ captiuitatis redimat, antequàm de corpore exeat. Neque malos duntaxat eminus territat, sed etiam cominus, vt in Iob legimus, *quòd inter filios Dei qui assistunt coram Domino, adest etiam Satan*. Imò & sanctorum morti adest, vt refert diuus Athanasius in vita sancti Anthonij, quem multis vicibus etiam sanum diuexarat. Ita & Sulpitius Seuerus, in obitu sancti Martini, scribit dixisse B. Martinum: Quid agis hic cruenta bestia? nihil in me reperies, sed sinus Abrahæ me suscipiet. Eadem ferè scribit Cyrillus ad Augustinum de transitu sancti Hieronymi. Nam & sacratissima virgo Maria legitur, inquit pius ille Dionysius Carthusianus, fili-

Vide Bérn. in serm. de primordijs, medijs & nouissimis.

Innocen. lib. 2. c. 42.

Iob. 1.

Athanas.

Sulpitius Seuerus.

Cyrillus.

Dionysius Carthu. de 4. nouissi. Articulo. 3.

filium ſuum cùm adhuc eſſet cum ipſo in terra, oraſſe, ne mo: iens quemquam ſpirituum cerneret immūdorum. Aliqui etiam defuncti & reſuſcitati, vt Lazarus frater Magdalenæ,& quidā ab Apoſtolis reuocati in vitam, leguntur deinceps nunquam riſiſſe, quòd ante egreſſum & pòſt, terribiles dæmones eis apparuiſſent, & pœnas inferni vidiſſent. Iam porrò quintò conſideremus amiſſionem temporis pœnitendi & promerendi, qđ horribilius peccatis onuſto, quàm quòd deinceps omnis ſpes veniæ & meriti prȩcluditur, ſicut legimus in Euangelio *virginibus fatuis, quæ paratæ non erant, nec oleum habebant in vaſis ſuis cum lampadibus, oſtium eſſe clauſum.* Matt.25. Imò & *magnum chaos firmatum eſſe inter pios & impios, vt nemo hinc illuc, & illinc huc poſſit tranſire.* Lucæ 16. Hæc eſt illa nox, *quæ quando venit, nemo operari poteſt.* Ioan.9. Quia vt legimus in Apocalypſi, *iurauit angelus per viuentem in ſecula ſeculorum, quòd tempus non erit amplius.* Apoca. 10. Debet quoque ſexto loco excitare diligentem prȩparationem ad mortem in nobis, quoties intenta mente meditamur, quòd per mortem omni mundano priuamur gaudio, & mortem concomitatur amiſſio bonorum omnium, videlicet fortunæ, vt nobilitatis diuitiarum, &c. corporis, vt fortitudinis, pulchritudinis, ſanitatis, &c.

tandem & animæ seu gratiæ ad hanc vitam pertinētis. Audiamus quid celeberrimus & ditissimus rex Solomon ref rat de seipso:
Ecclesi. 2. *Magnificaui, inquit, opera mea, ædificaui mihi domos, plantaui vineas, feci hortos et pomaria, & conseui ea cuncti generis arboribus. Extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum germinantium. Possedi seruos & ancillas, multamq́ue familiam, armenta quoque & magnos ouium greges vltra omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem. Coaceruaui mihi aurum & argentum, & substantiam regum & prouinciarum: Feci mihi cantores & cantatrices, & delitias filiorum hominum. Quumq́ue me conuertissem ad vniuersa hæc, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem spiritus, & nihil permanere sub sole. Moritur doctus similiter vt indoctus, & idcircò tæduit me vita mea, videns mala esse vniuersa sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus.* Hoc ipsum confirmat Propheta Baruch:
Baruch 3. *Vbi, inquit, sunt principes Gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram, qui in auibus cœli ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum, qui argentum fabricant & soliciti sunt, nec est inuentio operum illorum? exterminati sunt,*
&

& ad inferos descenderunt, & alij loco illorum surrexerunt. Vbi *Nabuchodonosor*, vbi *Balthasar*. Vbi *Holophernes*, qui temerè fecit Israel. Vbi superbissimus *Haman*, *qui Mardocheum* conabatur & Iudæos omnes occidere? Vbi Plato, vbi Empedocles, vbi doctus Aristoteles? Alexander magnus & reliqui? transierunt vices mortalium. Facile igitur, inquit HIERONYMVS, contemnit omnia, qui semper se cogitat moriturum, quique præsentem hanc vitam peregrinationem quandam (vt verè est) intelligit ac meditatur. Nam, vt idem denuò ait, inter eos qui decem vixêre annos, & inter eum qui mille postquàm idem finis vitæ aduenerit, irrecusabilis est mortis necessitas, translatum omne timendum est, nisi quòd magis senex onustus peccatorum fasce proficiscitur. Ergo breue tunc videbitur tempus, quando omnia hæc terrena amittemus. Quòd S. Patriarcha Iacob interrogatus à Pharaone rege Aegypti, Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? prudenter respondit: *Dies peregrinationis vitæ meæ super terram, centum triginta annorum sunt parui & mali, & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt super terram.* Proinde cõtemnamus ineptias, despiciamus vmbras, ponamus, relinquam⁹

Daniel. 5. Iudith. 13. Hester 3. ad Cyprianum. ad Heliodorum. Genes. 47.

mendacium, & fallacem mundum: anhelemus ad veram immortalitatem. Quod sanè diligentius faceremus, si cõsideraremus etiã ea, quæ mortem subsequuntur, quorum primum est ingressio confinium ignotorum.

Consequẽtia mortẽ quæ sunt.
Eccles. 9.

Nam teste Solomone, sunt iusti atque sapientes & opera eorum in manu Dei, & *tamen nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Hinc, vt

Ser. de patientia.

ait Chrysostomus: Cunctos salutat moriens, donec suæ mentis dominus est, donec lingua loqui potest: Valete, inquit, amici & Deum orate pro me. Iter enim ambulo & pergo extraneum, quod nunquam ambulaui, in regionem quam nunquam vidi, & in seculum alterum animarum, vnde nullus reuersus est, & in regiones metuendas, per quas me nullus comitatur, ante iudicem terribilem, vbi nescio quid mihi contingat. Eheu quàm verum fiet istud, quo Moses territat præuaricatores legis Dei, dicens: Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos.

Apocal. 14

Nam quid consequitur secundò, nisi opera nostra. *Opera enim illorum sequuntur eos*, vt ait Ioannes. Quod clarè & breuiter exponens Bernardus. Opera, inquit, bonorum sequuntur eos, sed opera malorum persequuntur eos.

Ser. 2. in festiuitate omniũ sãct.

Consequens porrò mortis tertium est, animæ separatæ coram Deo præ-

præſentatio. Nam *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium*, ſcilicet particulare, vbi accuſatio conſtantiſsima dęmonum erit, atque examinatio Dei diſtrictiſsima, de bonis temporalibus, quomodo ea acquiſiuerimus, expenderimus, vel detinuerimus, rurſum de bonis naturalib. & de bonis ſpiritualib. de officijs, artificijs, tẽpore vitę pacto, vel otiosè vel malitiosè deſcãdalis datis, de fide, ſpe, charitate, peccatis admiſſis, bonis omiſsis, ſubditis cõmiſsis, quomodo eos rexerimus, pauerim⁹, docuerim⁹. Nã *De omni verbo otioſo quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die huius iudicij particularis*, Imò teſte Sapiente: *In cogitationibus impij erit interrogatio eius*. Imò & adhuc procedetur illic ſeueriùs, quia, teſte Salomone, *cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, pro omni abſcondito ſiue bonum ſiue malum ſit*.

Hebr. 9. Matt. 12. Sapien. 1. Eccleſ. 12.

Mortis frequens medidatio ad quid vtilis

Prodeſt verò meditatio mortis ad maiorem timorem, & diligentiorem præparationem ad pœnitentiam de anteactis, & cautionem à futuris peccatis: prodeſt ad mundi contemptum, & ſui humiliationem: prodeſt ad piam vitam exercendam, ad patientiam in tribulatione corroborandam: prodeſt ad fidem & ſpem de futura vita confirmandam: prodeſt ad charitatem inflammandam erga Deum & proximum: prodeſt ad

ardentius appetendam vitam ęternam. Quę oĩa S. ſcriptura doceri facilè, & ſine negotio poſſunt. Quid fregit *Niniuitarũ animos. niſi cõminatio mortis per Ionam*? Quid adeò pcelluit *impiiſſimum Achab*, niſi comminatio mortis in vniuerſam eius familiã *ab Helia*? Quid *Ezechiam* regem alioqui bonum ad lachrymas & ardentiſsimã orationem permouit, *niſi vox illa Eſaiæ: Diſpone domui tuæ, quia morieris & non viues.* Ita & perterrefacit omnes nos vox illa Baptiſtæ; Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.

Ionæ 3.
3. Reg. 21.
Eſai. 38.
Lucæ 3.

Artis bene moriendi pręceptiones.

Porrò quæ valeant ad euadendam mortem malam, & procurandam bonam, ſunt hæc: Accelerare pœnitentiam toties, quoties peccatur: Habere firmam voluntatem abſtinendi à peccatis: Semper habere confitendi propoſitum: Debitè viuere in Dei præceptis: Eligere & honorare ſanctos quoſdam pro patrocinio: Aſsiduè & feruenter orare. Singulis horis crucis ſe munire ſignaculo: Iugi dominicæ paſsionis recordatione oblectari, vt quid in merito paſsionis & mortis Chriſti ſit dulcedinis & vtilitatis prouidentes, cum cãtu & voluptate cygnorum inſtar moriamur mundo, & carne viuamus verò ſpiritu, & poſt hanc vitam in æternũ. Quod faxit, qui eſt benedictus in ſæcula pater, filius, & ſpiritus ſanctus, Amen.

IN

IN OMNIBVS OPE- RIBVS TVIS MEMO- RARE, ET CAET.

Ecclesi.7.

CONCIO V.

De luctu super mortuũ, eiusdemq; sepultura.

DIximus pridie huius diei, inter ea quæ mortem concomitantur, geminam, vt plurimum vsuuenire tristitiam: quarum vna morientem, altera astantes occupat amicos; quamobrem declaratis ijs, quæ morientem & comitantur, & consequuntur, mortisque frequens meditatio, quàm sit vtilis, & quæ benè moriendi artis regulæ, quia exposuimus, proximum est, vt de fletu super mortuum, eiusque inhumatione, nunc porrò disseramus. Sed ante omnia diuinum imploremus auxilium, quod vt citiùs assequamur, nobiscum assumamus interuentricem virginem Deiparam, quam Gabrielis Arch angeli affatu salutemus, dicentes:

AVE MARIA.

Dubitari imprimis posset, vtrum sint, an non sint lugendi mortui? maximè, quum in vtranque partem parata sint sacræ scripturæ testimonia. Dicit enim IESVS Syrach: *Super mortuum plora, defecit enim*

An lugendi mortui?

Ecclesi.22.

enim lux eius, nempè oculorum, & omnium sensuum exteriorum vsus, & lux solis, totaque vita corporalis eundem destituit. Idem nihilominus mox sibi cótradicere videtur

Ibidem.

eodem capite: Modicum plora super mortuum, quoniam requieuit, q. d. parùm aut nihil deplorandus est defunctus vita, mors enim illa consolationem secum suam adfert, quoniam per eam homo secundum corpus requiescit, ab omnibus laboribus & doloribus huius vitæ. Ac sanè M. Tullius Cicero totus in eo est, vt ostendat mortem malum non esse, & propterea neque metuendam, neque deflendam, quod sit omnium calamitatum & miseriarum finis. Cuiusmodi opinionis, & Thraciæ populus olim erat, quem sapientiæ sibi laudem vendicasse author est Valerius Maximus, quod natales hominum flebiliter, exequias cum hilaritate celebraret, sine vllis doctorum præceptis, tantùm conditionis nostræ habitum præuidens: remoueatur itaque, inquit idem Valerius, naturalis omnium animalium dulcedo vitæ, quæ multa & facere, & pati turpiter cogit, si, ea mortua, aliquanto eius felicior ac beatior reperietur finis

Tusculan. quæst. li. 2.

Lib. 2. ca. 1.

Verùm enimuerò quidquid dicant philosopi, naturale tamen est mortem metuere (vt in superioribus sermonibus ostendimus)

Concion. 2 in princ.

mus)naturale item est mortuum lugere. Esto quòd(teste B.Augustino) mala mors nõ sit,quam vita bona præcesſit, & propterea neque mortuus deplorandus videatur, tamen quia mortuorum quidam erant pij, nõ nulli veró impij: rursum quia fletus nostri aliæ atque aliæ sunt causæ diuersæ, non vituperandus neque prohibendus est omnis mortuorum luctus. Sed impiorum omnium, putà tyrannorum, sanguinariorum, oppressorum, denique omnium sine pœnitentia decedentium mors deploranda non est. Si enim deflenda impiorum mors esset, *non perdidisset deus aquis diluuij vniuersum orbem, quando omnis caro Noë cum filijs excepto corruperat viam suam. Pharaonem quoque cum equitibus suis submersum*, tantùm aberat, vt Moses luxerit, imò cecinit ipse & filij Israel carmen. Similiter quum Samuel reprobatum à Domino Saulem lugeret, audiuit à Domino: *Vsquequò tu luges Saul, quum ego proiecerim eum, ne regnet super Israël?* Imò & sapientia in plateis diuina clamitat: *Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas odistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum vobis, id quod timebatis, aduenerit.* Pro his ergò qui non ignoranter, neque ex sola fragilitate, sed scienter, obstinatè & perseueranter peccant, & de peccatis nõ pœni-

Vide finẽ primæ concio. huius opusculi.

Mors impiorum non deplorãda.

Genes. 6.

Exod. 15.

1. Reg. 16.

Prouerb. 1.

pœnitent, neque orandum, neque condolendum est. Scribit enim in epistola sua Ioannes in hæc verba: *Est peccatum ad mortem, non dico vt pro illo roget quis.* Et cur? quia *peccatum* eius non est humanum, sed diabolicum & *in spiritum sanctum, & idcircò non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

1. Ioan. 5.

Matt. 12.

Mors piorum deploranda.

Ceterùm, quantumuis magni fuerint peccatores, quum necdum diuina reuelatione constat, an in statu peccati mortalis decesserint, orandum est pro eis, & lugendi sunt, sic enim *defleuit Dauid filium suum Absalon,* qui insurrexerat in eum, quando iam de quercu pendentem transfixum à Ioab audiuit. Quamdudum enim est spes vlla salutis impiorum, lugendi sunt, sicut *Christus cum appropinquauit Hierusalem, vidit ciuitatem, fleuit super eam* Iam si pro impijs & inimicis tam dolenter est orandum & flendum, multò hoc magis debemus facere amicis. *Sic Mosen fleuerunt filij Israël in campestribus Moab triginta diebus.* A quo ritu etiam ad nos Christianos emanauit, mos agendorum tricenariorum. *Sic mortuus est etiam Samuel, & congregatus vniuersus Israël, planxerunt eum & sepelierunt eũ in domo sua in Ramatha.* Ad eundem modum, Abner à Ioab dolo occisum, quum sepelissent eum in Hebron

2. Reg. 18.
Luc. 19.

Deuter. 34.
1. Reg. 25.

2. Reg. 3.

bron, *leuauit Dauid Rex vocem ſuam, & fleuit ſuper tumulum Abner, fleuit autem & omnis populus. Iudith quoque fortis illa virago defuncta eſt, & luxit omnis populus dies ſeptem.* Et hinc obſeruandorum ſeptenariorum conſuetudo ad nos profluxit. Totumque vetus inſtrumentum plenum eſt huiuſmodi fletibus, adeó vt etiam Syrach denuò hac de re ſcribat hoc modo: *Fili, in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus, incipe plorare, & ſecundum iudicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius.* Iudith 16. Eccl. 38.

Amarum fac luctum ſecundum dignitatem eius vno die, & duobus, propter detractionem, & deinde conſolationem admitte propter triſtitiam. A triſtitia enim feſtinat mors. Ne dederis in triſtitia cor tuum, ſed repelle eam à te, neque enim eſt conuerſio, & huic nihil proderis, & teipſum affliges. Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum, mihi heri, & tibi hodie. Ecce in morte amicorum, quid faciendum ſit, hîc clarè docetur. Primùm, vt ſtatim à morte amici, defleatur eius mors, idque ſeriò & amarè, tum quod amicus luce hac iucunda priuatus ſit, tum quòd per mortem irreuocabilis ab amico fiat ſeparatio. Cornelius Ianſenius in Eccleſiaſticum.

Prohibet ergò, ne Stoicorum gentilium philoſophorum more, noſtrorum mortem ſine dolore feramus, aut, quod impiorum eſt, de illorum morte gaudeamus, ſiue ob odium ipſorum, ſiue ob commodum facultatum (per illorum mortem) obtinendarum: ſed vt charitatam & amorem noſtrum erga eos oſtendentes defleamus, & illorũ vices & noſtram. Secundò requirit, vt poſtquam aliquamdiù lachrymis indulſum eſt, corpus defuncti ſecundum iudicium, hoc eſt, ſecundum morem & ritum funebrem, cum precibus, ſepulturæ tradatur, & corpus terra contegatur, vt ius eſt, vt etiam honore ſepulturæ demonſtretur amor erga defunctum. Neque enim velle licet amici corpus ſemper in oculis noſtris ſeruare, quod ſtultarum eſt mulierculaꝛum, quæ ferre nequeunt corporis ad ſepulturam ablationem, neque etiam è contrario inſepultum relinquẽdum eſt, vt auibus & beſtijs, vel canibus eſca ſit ſepulchralibus, vt fecêre Hircani & Caſpij, hoc enim nimis barbarum eſt, & contra honorem amicis deferendum. Repetit deinde de lugendo defuncto, etiam poſt ſepulturam, ſed adiungit moderationem in luctu addendam, ne ethnico more inconſolabiliter, & diutiùs quam conuenit, amici mors defleatur. Ad eundem modum Auguſtinus

Theodore. li. græca. affectionum, ſermo. 9. Et Syllius lib. 13. bello rum punicorum.

gustinus Italicam viduam consolatus est: Tomo 2. e-
Consolentur, inquit, te fides & spes tua, & pist. 6.
ipsa charitas quæ diffunditur in cordibus pro- Roma. 5.
rum, per spiritum sanctum, qui datus est nobis,
cuius nunc aliquid pro pignore accepimus,
vt ipsam plenitudinem desiderare noueri-
mus. Non enim te desolatam putare debes,
cùm in interiore homine habeas præsen-
tem Christum per fidem in corde tuo. *Ne-* 1. Thessa. 4
*que sic te contristari oportet, sicut gentes quæ spem
non habent*, quum veracissima promissione
speremus nos de hac vita (vndè migraturi
quosdam nostros migrantes non amisimus,
sed præmisimus) ad eam vitam esse ventu-
ros, vbi nobis erunt quantò notiores, tantò
vtiq; chariores, & sine timore vllius dissen-
sionis amabiliores. Illîc autem & coniunx
tuus, cuius abscessu vidua diceris, tibi notis-
simus erit, qui quamuis & hîc tibi notus es-
set, sibi tamen notior erat, quàm tibi. Et vn-
de hoc quum tu eius corporalem faciem vi-
deres, quam ipse vtique non videbat, nisi
quia notitia nostri certior intus est, vbi ne-
mo scit, q̃ sũt hominis, nisi spiritus hõis q in
ipso est *Sed quũ venerit Dominus & illũinauer* 1. Co. 2. & 4
it abscondita tenebrarum, & cogitationes cordis,
tunc nihil latebit proximum in proximo,
nec erit, quod suis quisquam aperiat, abscon
dat alienis, vbi nullus erit alienus.

Profectò lux illa Deus ipse est, & cætera.
Libr. de vera relig. ca. 47. Idem describens virum fortem: Non ergo iste, inquit, affligitur morte cuiusquam, quoniam qui toto animo diligit Deum, nouit nec sibi perire, quod deo non perit: Deus autem Dominus est viuorum & mortuorum.
Lib. quæst. super Leuiti. cap. 71. Atque ea causa est, cur Dominus prohibuerit Leuitici, capite vigesimo primo. Incisiones super animam non facietis in corpore vestro. Super animam, vt ait Augustinus, hoc est, super funus mortui, de anima quippè dolor est quæ recessit.

Nonnullæ enim gentes habuerunt hanc consuetudinem, vt secarent seu inciderent corpora sua, quod Dominus fieri Iudæis prohibuit. Sed quanquàm vt cæteri, qui spem non habent, ethnici, lugere mortuos, nobis sit illicitum, non tamen eam ob rem, omnis mœror prohibitus est. Est enim (vt
Tom. 9. de consolat. mort. ait beatus Augustinus) tristitia de mortuis quædam naturalis, nam mortuos luxerunt pij ante legem, sub lege, & post legem. Antè
Genes. 25. Genes. 35. Genes. 50. legem, Abraham, Isaac & Iacob sui filij, & populus Samuelem. Sub lege populus Mo-
1. Reg. 25. sen. Post legem, Lazarum CHRISTVS,
Ioan. 11. quem tamen non flebat mortuum duntaxat, poterat enim ipsum resuscitare, sed potius deflebat, teste Beato Augustino, huma-

manam miseriam, quia homo per peccatum sese in mortem præcipitarat, ostendens interim nobis, quid in luctu mortuorum potissimum deplóremus, nempè peccatum, nostrum originis, & quæ sunt ex eo miseriæ nobis relictæ. Interim etiam deflemus mortuos nostros, non tantum propter amorem defuncti, sed vt satisfaciamus honestati, vt supra diximus ex Ecclesiastico, & vt calumniam atque detractionem euitemus hominum aliorum. Porrò ex his intelligere licet, quàm accuratè & studiosè semper obseruata fuerit consuetudo lugendi mortuos, suntque in sacra scriptura grauia exempla, ex quibus scire possumus huiusmodi officia solennia, sanctissimè mortuis tributa fuisse, quamquam hæc consuetudo in scripturis commendata, meritò iam sub noua lege quum & fides creuit, & spes vitæ post hanc vitam melioris, ex magna parte immutata sit, ita vt in precibus iam magis consistant officia mortuis impendenda, quam in fletu & planctu, qui tametsi immodici essent, defuncto tamen nihil prosunt, vt ad vitam redeat amissam, & flentem affligunt sine alterius fructu. Huiuscè planctus, & orationum exemplum nobis de se recitat

De verbis Apost. sermone 32.

Confessionum.lib.9. cap.12. recitat Beatus Augustin.Quid ergo,inquit, intus erat, quod mihi grauiter dolebat, nisi ex consuetudine simul viuendi dulcissima & charissima repentè adempta, vulnus recens? Cohibito A Deo dato filio meo à fletu,Euodius Psalterium arripuit, & cantare Psal. 100. cœpit Psalmum, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine*. Cui respondebamus omnis domus.Legat,inquit, qui volet & interpretetur vt volet, & si peccatum inuenerit fleuisse me matrem(Monicam) non irrideat,sed pro peccatis meis fleat ipse ad te, patrem omnium.Imò & super illum locum Li.quęstionum super Genesim, cap. 172. scripturæ: Et fecit Ioseph luctum patri suo septem dies,docet idem beatus Augustinus, quantò tempore mortui lugendi sunt, citans illud ex Ecclesiastico: Ecclesi.22. *Luctus mortui septem dies*. Cæterùm ex his quæ paulo antè diximus, constat orthodoxam Ecclesiam piè rectè & iustè, septimum & tricesimum diem lugubri oratione prosequi atque decorare.

De sepultura. Iam porrò de sepultura vt loquamur, ea est sæpimentum,quo cadauer terra, lapide, 4.sentē.distinct. 15. quęst.2. artic.3. vel alio genere materiæ circumsepitur, inuentum & excogitatum, vt scribit Beatus Thomas Aquinas,ne horror & fœtor sit viuis,sed potissimum ad demonstrandam fidem nostram, futuræ resurrectionis, nem

pè

pè quòd nos & ipſi defuncti credant, quòd redemptor noſter viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturi ſint, & in carne ſua, vt ait Iob cap. 19. Viſuri ſint Deum ſaluatorem ſuum: & vt oretur pro defunctis. Maſſagetæ quidem & Derbites homines ethnici, teſte diuo Hieronymo, qui reſurrectionem carnis non credunt, miſerrimos putant, qui ægrotatione moriantur, & parentes, cognatos, propinquos, cum ad ſenectam venerint, iugulatos deuorant, rectius eſſe dicentes, vt à ſe potiùs, quam à vermibus comedantur, Bactrij canib⁹ ad hoc ipſum enutritis, quod & Hircani & Caſpij faciunt, obijciunt ſuos ſenes. Quod quum Alexandri Magni præfectus Nicanor emendare voluiſſet, penè amiſit prouinciam. Sed funera quomodo variæ gentes tractarint, qui legere volet, apud Theodoretum luce clarius, & apud Ciceronem in Tuſculanis quæſt. inueniet. Cæterùm idem Cicero ſententiam de ſepultura ſuam alibi declarat: At mihi, inquiens, antiquiſsimum ſepulturæ genus id fuiſſe videtur, quo apud Xenophontem Cyrus vtitur: redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac ſitum quaſi operimento matris obducitur, eodemq́ue ritu in ſepulchro, quod procul ad fontis aras eſt, regem noſtrum Numam conditum accepimus, gentem Corneliam

Contra Iouinia. c. 36.

Lib. græca. affectionū.

Tuſ quæſt. libr. 1.

Li. 2. de legibus.

neliam, vſque ad memoriam noſtram hac ſepultura ſcimus eſſe vſam. Hæc ille: Atque quis dubitet antiquiſsimos Philoſophos Platonem, & ſimiles ab Aegyptijs accepiſſe, Aegyptios verò eundem ritum ab Iſraelitis & Hebræis mutuatos fuiſſe? *Hebræus enim Abraham magna cum diligentia & pietate agrum emit a filijs Heth*, ſpeluncæ duplicis, in qua mortuam vxorem ſuam Saram ſepeliret. (Gen. 23.)

Noluit quoque Iacob cum malis hominibus ſepeliri in Aegypto, *ſed adiurauit Ioſeph filium ſuum, vt eum mortuum ad patrum ſuorum ſepulchrum deferret*, vbi Sara, Abraham, & Iſaac cum vxore Rebecca ſepulti erant. Hoc ipſum *Ioſeph à filijs ſuis Ephraim & Manaſſe, quum moreretur, ſtipulatus eſt*. Quamobrem *Moſes exiens de Ægypto, tulit inde ſecum oſſa Ioſeph in terram promiſſionis, nempè terram Canaan*. Ad eum modum ſequentibus ſæculis filij Iſrael iudicauerunt magnũ beneficium eſſe à Deo datum, inferri videlicet in ſepulchra patrũ ſuorum, & maledictionem eſſe à Deo immiſſam ei, qui in *ſepulchrum Patrum ſuorum non inferebatur, vt Prophetes ille Iſraëlita dixit de viro Dei, qui venit de Iuda comminaturus altari Ieroboam* comedenti illic, quum hoc ei eſſet (Gen. 47. Gen. 49. Exod. 3. 3. Reg. 13. 3. Reg. 14.)

eſſet à Domino prohibitum. Et ſequenti capite *legimus nullum de Ieroboam inferendum in ſepulchrum, niſi paruulum* eius puerulum, quia inuentus erat ſuper eo ſermo bonus à Domino. Optanda igitur etiam nobis eſt, quoties contingere poteſt ſepultura propè maiores noſtros, vt filio ſuo Tobias præcepit, dicens: *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli.* Et de honore quem matri eſſet exhibiturus, loquutus, ait: *Cum autem & ipſa compleuerit tempus vitæ ſuæ, ſepeli eam circa me.* Cæterùm ſi parentum, coniugum, conſanguineorum vel affinium noſtrorum ſepulchra nanciſci non poſſumus, tunc cogitandum eſt quod ſcripſit Chryſoſtomus: Vbicunqne ſepeliamur: *Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & omnes qui habitant in eo.* Rationem reddit diuus Auguſtinus. Quia nec aliquid nocet fidelibus negata eorum corporibus ſepultura (per impios tyrannos) nec ſi exhibeatur (à pijs) aliquid infidelibus prodeſt. Hæc ille.

Tobiæ 4.

In epiſt. ad Hebræos.

Pſal. 22.

De cura agen. pro mortuis.

At ſi patrum noſtrorum ſepulchra non acquirimus, non ob id omnem negligemus ſepulturam, immò optabimus qualemcunque nanciſci poſſumus. Sicuti *Dauid*

2.Reg. 2. *viros Iabes Galaad laudauit, quod Saulis & filij eius cadauera reuerenter sepelissent. Sic Iehu rex Israhel, qui occidi fecerat Iesabel, fecit tamen*
4. Reg. 9. *eam sepeliri, quia filia regis fuerat. Tobias se periculo vitæ exposuit, rapiens corpora occiso-*
Tob. 1. *rum, vt qualicunque tandem sepultura eos con-*
2. Mach. 12. *deret*: Itidem & *Iudas Machabæus* post prę-lium contra Gorgiam commissum factitauit, prostratorum corpora tollens. *Discipuli*
Matth. 20. *Item Ioannis Baptistæ audientes eum esse decollatum ab Herode, tulerunt corpus eius & sepelierunt illud*. Quin & seruator noster an non de sepultura sollicitus erat, quum dixit:
Ioan. 12. *Sinite eã, vt in diẽ sepulturæ meæ seruet illud vnguentũ.* Quin & *Ioseph & Nicodemus sepelie-*
Matt. 28. *runt eundem Dominum nostrum in sepulchro nouo, in quo nondum quisquam positus fuerat.*

Imò & sepultura non tantùm in Cœmiterio, sed etiam in Ecclesia magis optanda est. Nam vt ait sanctus Gregorius, & refertur
habetur 13. q. 2. cap. Cũ grauia. in decreto Gratiani, causa 13. quæst. 2. capitulo Cùm grauia: Cùm grauia peccata dimissa sunt, & non deprimunt, tunc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quia eorum proximi, quoties ad loca sacra veniunt, suorumque sepulturam respiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.

Solerter

Solerter dixit. Cùm grauia peccata dimissa sunt: Nam vt ait Augustinus: Quibus peccata dimissa non sunt, à sacris locis post mortem adiuuari non possunt, quia quos peccata grauiora deprimunt, si in sacris locis se sepeliri faciunt, restat vt de sua præsumptione iudicentur, quia eos sacra loca non liberant, sed culpa temeritatis accusat. Cæterùm, si grauia peccata dimissa sunt, hoc est, si peccata mortalia per confessionem sacramentalem, vel vt minimum per solam cõtritionem eorundem cum voluntate & desiderio confessionis sacramentalis remissa sunt, seu, vt clarius dicam, in charitate DEI & displicentia plena criminum, cùm emendationis proposito, doleat atque decedat in statu gratiæ anima de corpore, tunc plurimum prodest, intra Ecclesiam sepeliri: Nam vt scribit sanctus Gregorius Bonifacio Archiepiscopo: Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum.

Auguſt. & hab. 13. q. 2. ca. Quibus.

Et hab. 13. q. 2 ca. Animæ.

Qua de re aliquanto etiam fusius, & clarius loquitur diuus Aurelius Augustinus in hæc verba: Non æstimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, peruenire, nisi quòd pro eis siue Altaris, siue Orationum, si-

De cura gen. pro mor. & ha. 13. q. 2. cap. Non æstimemus

siue eleemosynarum sacrificijs solenniter supplicamus. Quamuis enim pro quibus fiunt, non omnibus prosint, sed his tantùm, pro quibus dum viuunt, cooperantur vt prosint, tamen quia non discernimus quinam sint illi, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorũ prętermittatur, ad quos hæc beneficia possint & debeant peruenire. Melius enim superęrunt ista his, quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt. Diligentiùs tamèn facit quisque pro necessarijs suis, vt similiter fiat pro illo à suis. Corpori autem humano quidquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secundum affectum, quo nemo vnquam carnem suam odio habuit. Vndè oportet, vt quamdiù potest, pro carne proximi curam gerat, cùm ille inde recesserit qui gerebat, scilicet anima.

Et si hæc faciunt, qui carnis resurrectionem non credunt, quantò magis debent facere, qui credunt ita, vt corpori resurrecturo & in æternitate mansuro, impensum eiusmodi officium, fidei sit euidens testimonium. Quod verò quisquam iuxta memorias Martyrum sepelitur, hoc tantùm mihi videtur prodesse defuncto, vt com-

commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur. Ex quibus perspicuum fit, quàm sit vtile animabus defunctis non duntaxat quouis loco earum condere corpora, sed præsertim in Cœmiterijs, & peristylijs religiosarum domorum, ac maximè in templis.

Sed hîc mihi quosdam audire videor mussitantes, me quidem consentanea satis veritati & rationi dixisse, & maximè etiam sese cupere, vt sepeliantur non tantùm in Cœmiterio, sed & iuxta aut proximè summam aram sepulchrum sese exambire, nisi sacerdotum obstaret simoniaca auaritia, qui contra ius Ecclesiasticum, & contra sententiam atque doctrinam patrum Ecclesiæ, precium & munera pro sepultura non solum accipiunt, quod ex eleemosyna offertur ab amicis & proximis defunctorum, sed etiam iuridicè exigunt. Quibus vt satisfaciam, aio scire quidem me, quid scribat Beatus Hieronymus, nempè hoc. Postquam precio victus est Ephron, vt sepulchrum venderet, & acciperet argentum, licet cogente Abraham vau littera, quæ apud illos pro O legitur, ablata de eius nomi-

An precium pro sepultura accipi possit.

In Genes. c.23. & hab. 13.q.2. cap. Postquam.

nomine est,& pro Ephron appellatus est Ephram, significante scriptura, non eum fuisse consũmatæ perfectæq; virtutis, qui potuit vendere memoriam mortuorum. Sciant igitur qui sepulchra vendunt volũtariè, nec coguntur vt accipiant pretium, sed à nolentibus quidquam extorquent, mutari nomẽ suum,& perire quiddam de merito eorum, quum etiam ille reprehendatur occultè qui inuitus accepit. Hæc ille: Imò & diuus Gregorius eiusdem Ephron meminit, dicens: Questa est nobis Nereida fœmina clarissima quòd ab ea solidos pro filiæ suæ sepultura fraternitas vestra velit exigere. Hoc autem vitium & nos postquam Deo auctore ad episcopatus honorem accessimus de ecclesia nostra omninò vetuimus,& per prauam denuo consuetudinem nequaquam vsurpari permisimus, memores quòd dum Abraham à filijs Ephron, hoc est, à filijs Seor sepulturam precio ad humandum corpus coniugis postularet, precium accipere renuit, ne cómodum de cadauere videretur consecutus. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quanto magis nos qui sacerdotes dicimur, hoc facere nõ debemus. Vnde hoc auaritię vitium, ne in alijs denuo tentari præsumatur, admoneo. Sed si quando aliquem in ecclesia vestra sepelire cóceditis, si parentes ipsi-

In registro ad Ianuarium episc. Sardiniæ. & hab. 13. q. 2. ca. Questa.

ipsius proximi vel hæredes, pro luminaribus spontè quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti verò aut aliquid exigi, omnino prohibemus, ne (quod valde irreligiosum est) vænalis, quod absit, dicatur ecclsia, aut vos de humanis videamini mortibus gloriari, si ex eorum cadaueribus studeatis quærere quomodolibet compendiũ. Idem in consilio Triburiensi, & in consilio Vasensi est constitutum. Quin & Gregorius nonus in decretalibus lib 3. titulo de sepulturis, capitul. 13. Abolendæ, refert Innocent. tertium (sub quo celebratum est consilium Lateranense) scribere episcopo Magalen. in hæc verba: Abolendæ consuetudinis per uersitas apud Montem pessulanum (vt dicitur) inoleuit vt decedentibus non prius permittatur effodi sepultura, quam pro terra in qua sepeliendi sunt, certum precium ecclesiæ persoluatur, &c. Mandamus ergo quatenus quum loci diocœsanus existas, inhibeas clericis, ne quidquã omnino præsumant exigere hac de causa. Rursum eorundem Decretalium libr. 5. titulo de Simonia ca. 9, Cum in ecclesię ex Concilio Lateranensi adfert Grego. hæc verba: Cum in ecclesiæ corpore, &c. Horribile nimis est quod in quibusdam ecclesijs locum venalitas perhibetur habere, ita vt pro episcopis, vel Abbati-

Vt hab 13. q. 2. capitulis In ecclesiastico. &, Præcipiendum.

Decretal. Greg. 9. li. 3. titu. de sepul. ca. Abolendæ

batibus, ſeu quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis ponendis in ſede, ſiue introducendis presbiteris in eccleſiam, nec nõ & pro ſepulturis & exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium ſeu alijs ſacramentis aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quia legem de longa inualuiſſe conſuetudine arbitrantur, non attendentes quòd tanta grauiora ſunt crimina, quanto diutius in felicem animam tenuerunt alligatam. Ne igitur hæc de cetero fiant vel pro perſonis eccleſiaſticis deducendis in ſedem, vel ſacerdotibus inſtituendis, aut ſepeliendis mortuis, ſeu benedicendis nubentibus, ſeu alijs ſacramentis cõferendis, ſeu collatis aliquid exigatur, diſtrictius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, *portionem cum Giezi ſe nouerit habiturum.*

Cyprianus. Mala conſuetudo eſt inueteratus error.

4. Reg. 5.

Reſpondeo autem ad hęc omnia vniuerſim, imprimis ſepulturam accipi dupliciter nempè vel pro loco, vel pro officio. Pro loco itaque nihil exigitur, quia cœmiterium hoc eſt, hortus templi, omnibus chriſtianis, qui excommunicati non ſunt, communis eſt, ſineque pretio (niſi forſitan pro labore polinctoris) habetur. Officium autem funebre putà vigeliæ mortuariæ & miſſa

non ven-

non venduntur, quasi pro certo precio, hoc enim esset simoniacum: & quis obsecro posset magno satis æstimare missam vnam, aut preces mortuarias? Sed tu cogita quòd illi sacerdoti qui officium facit tam operando sacris, quàm canendo exequias pro tuis parentibus, non debeas claudere os, iuxta illud: *Non alligabis os boui trituranti fruges in area tua. An cura est Deo de bobus, et non* Deut. 25.
potius de prædicationibus & orationibus ecclesiasticorum, de quibus dicit Christus: *Dignus est operarius mercede sua.* Et apostolus idem explicans, ait: *Qui altari deseruit, de altari & viuat.* Huiusmodi salarium in Belgicis regionibus vocamus pretium laboris, sed vsus loquendi in ecclesijs Hispaniarum magis & apertiùs sequitur ius canonicum. Hispani enim hoc salarium vocant eleemosynam, & stipendium sustentationis. Cogitare ergo debet, qui pro vigelijs & Missa mortuorum, vel alijs missis votiuis aliquid dat vel accipit, se non pretium missæ aut vigiliarum, sed puram eleemosynam dare vel accipere. Dicis ergo equidem non sum tā impius, qui recusem dare eleemosynam oranti vel sacrificanti pro mortuis meis, neque tam ingratus qui ieiunos eos in domum suam dimittere velim. Lucæ 10. 1. Corint. 9.

Sed ali-

Sed alius restat scrupulus, quia si funus amici mei sepeliatur in templo, debeo præter illam eleemosynam parocho & clericis datam, adhuc numerare sedecim florenos carolinos & octo stuferos, vel alibi plus, alibi minus, pro iure sepulturæ in templo; ergo quanquam non vendunt terram cœmiterij, vel horti templi, vendunt tamen terram templi; insuper tot restāt dandæ tædæ, tot campanarum pulsus habendus, totque daduchi.

Respondeo quòd si hæc solutio sepulturæ cederet in vtilitatem priuatam canonicorum vel aliorum sacerdotū, esset simonia: sed quia pro fabrica, & alijs ad diuinū cultum pertinentibus, accipitur, non est simonia. Sicut etiam *ex nomine Ioas regis prædicatū est in Iuda et Ierusalem, vt deferrent singuli pretium domino, quod constituit Moses seruus domini in deserto.* Est ergo laudabilis consuetudo, vt ab his qui sepeliūtur in templo, etiam sarta tecta templi curentur. Et nisi hæc consuetudo laudabilis tali moderamine cōstituta esset ab ecclesiastica potestate, omnes promiscuè in templis vellent sepeliri, & hortus templi maneret vacuus. Liberrimus denique est quisquis sit vel diues vel pauper, nec cogitur quisquam in templo sepeliri si volet cœmiterio contentus esse. Cæterùm si sump-

Vide Armillam Fumi, titu. Exequiæ, & Simonia.

2. Paral. 24

Exod. 30

tuosum sepulchrum aut sarcophagum in templo collocare velit,& exequias Pompaticas habere (quæ magis sunt solatia viuorum, quàm subleuatio mortuorum) cur nō numerarent amici defunctorum ēt templo, quod ad reparationem & instaurationem æquū est. Ornemus ēt interim viua Christi templa eleemosynis, vt *nos cum defunctis nostris parentibus in æterna recipiamur tabernacula.* Quod largiatur qui est, benedictus in in sæcula Deus trinus vnus Amen.

B.Thomas 4.sen. dist. 45.q.2.

Lucæ 16.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET.

Eccles.7.

CONCIO VI.

De lustricis animarum sedibus.

QVoniam de luctu super mortuum, eiusque sepultura heri diximus, nunc quonam pergat anima post mortem, & de occultis manium sedibus, atque purgatorijs receptaculis, consequens est vt dicamus: sed imprimis diuini numinis præsidium vnà mecū inuocate, & virginem matrem angelica salutatione compellate, dicentes:

AVE MARIA.

Iob diuinus ille vates loquens de statu ho-

minis post mortem, hanc mouit quæstionē:
Iob 14. *Homo quum mortuus fuerit, nudatus, atque consumptus, vbi quæso est?* Quibus verbis docet, primò mortem corporis ineuitabilem esse, dum ait: Homo quum mortuus fuerit, secūdò mortis effectus demonstrat, dum subiūgit, nudatus atque consumptus, nudatus inquam omnibus bonis, & huius sæculi commoditatibus, & à vermibus consumptus: tertio autem, dum interrogat, vbi quæso est? indicat animam esse immortalem, & ea est melior pars hominis, & homo ipse interior, qui mori nescit. Quòd si ergo viuit post mortem anima, vt sit in aliquo loco, necesse est. Proinde interrogat, vbi quæso est? ac si dicat, quo pergit anima relicto corpore. Huic quæstioni respondere possumus per sacras
Genes.25. scripturas, quod de Abrahamo & Ismaele legimus: Mortuus est & congregatus ad populum suum, & appositus est ad populum suū.
Psal. 26. Vel vt dicit Dauid: Dominus autem assum-
Sapient.15. psit me. Vel vt ait Sapiens. Iustorum animæ in manu Dei sunt. Et Act. 7. Domine Iesu accipe spiritum meum. Vel vt scribit Paulus:
Philip. 1. Cupio dissolui & esse cum Christo, sed istæ scripturæ forsitan curioso non satisfaciunt, idcircò possumus quoq; aliter respondere. Lactantium Firmianum (& aliquot olim et Grecos, vt habet Lact. ca. 21. li. 7. diuina. institutionum in eo errore fuisse, vt dicerent ani

mas post mortem non protinus iudicari, sed omnes in vna communiq; custodia detineri, donec tempus aduenîat, quo maximus iudex vniuersale meritorum faciat examen. Cæterùm ecclesia catholica docet, quod anima, quando corpus suum relinquit, euestigiò accipit à iudice supremo sententiam, vt ad locum migret sibi pro meritis destinatum. Nam quæ sine fide & charitate decedit, descendit ad infernum, quæ verò sine peccato vitam imitata sanctorum, hinc migrat, rectà ascendit ad regnum cælorum. At illa quæ ex hoc sæculo abit, non plenè libera ab omni culpa veniali, & debito pœnæ temporalis, de peccato mortali remisso restante, nondum persoluto, necdum intrat regnum cœlorum, quia: *Nihil coinquinatum aut abominationem faciens, intrabit in illam ciuitatem.* Apocal. 21. Et quia hæc anima nullum mortale secum defert peccatum, non est gehennæ aut æternæ damnationis rea, proinde ad medium pergit locum, qui à Doctoribus Catholicis vocatur Purgatorium, quòd ibi animæ, q̃ salutis æternæ sunt libro asscriptæ, expiétur, & ꝑ restante pœna tẽporali satisfaciũt. Itaq; vnusquisq; hoc attentè perpendẽs dispiciat, quo post mortem abire velit.

Cæterùm nonnulli hanc doctrinam irridentes subsannant, asserentes nullam resta-

re post mortem expurgationem, esseque papisticum commentum, & sacerdotum auaritia introductum, quòd oremus pro defunctis. Sanè ecclesiæ authoritas, traditio & cōsuetudo Christianis sufficere deberet, maximè quum dicat Christus: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus:* moneat etiam Paulus dicens: *State* (in fide) *& tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam.* Et Ioannes: *Vos, quod audistis ab initio, in vobis permaneat.* Atque Iudas in sua Canonica. *Necesse, inquit, habui vobis scribere, deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei.* Nam ipse diuus Paulus contra pertinaces & contentiosos nō alio vtitur argumento, quàm isto. *Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia dei.* Quo solo argumento (vt ait Tertullianus) conuincendi sunt hæretici. Non est ergo inuentum Papisticum, vt garriunt hæretici, purgatorium, neque profunda sacerdotum auaritia introductū, quòd oram⁹ pro defunctis, sed hoc habemus ex traditione Apostolica, quemadmodum in suis scriptis nobis reliquerunt sancti patres, Græci pariter & Latini, qui ante annos mille in Ecclesia Dei vita & doctrina insignes fuerunt, & de Ecclesiæ hostibus triumphos reportauerunt.

Traditionum ecclesiæ auctoritas par est scripturæ sacræ.

Matth. 18.

2. Thessa. 2.

1. Ioan. 2.

Iudas Apostolus.

1. Corin. 11.

Pri-

Primò ſanctus Dionyſius Pauli Apoſtoli diſcipulus, ante annos iam mille quingentos ſic ſcripſit: Venerandus Antiſtes ſacrum ſuper mortuum peragit, vt cuncta Deus dimittat defuncto peccata per humanam fragilitatem admiſſa, eumque ſtatuat in regione viuorum in ſinu Abrahæ, Iſaac & Iacob, à quo aufugit dolor & triſtitia. Li. Celeſtis hierarchiæ cap. 7.

Origines deinde vetuſtiſsimus Doctor, qui anno centeſimo viceſimo poſt Chriſtũ vixit, tradit poſt mortem eſſe purgatorium. In Exod. homilia 6.

Athanaſius quoque, qui anno treceteſimo trigeſimo poſt Chriſtum vixit, dicit defunctorum animas ſentire beneficia, quando ſuper illas fiunt conuentus, & peractiones oblationum, & bonorum operum. In Numer. homilia 25.

Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ſimiliter: Cur, inquit, poſt mortem tuorum pauperes conuocas, cur presbyteros, vt velint pro eo orare obſecras? Non ignoro te reſponſurum, vt defunctus requiem adipiſcatur, vt propitium iudicem inueniat. Rurſum: Defleamus iſtos mortuos, iuuemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilij, modici quidem, attamen iuuemus eos. Quomodo? qua ratione? precantes, adhortemur & alios, vt pro ipſis orent, pauperibus indeſinenter pro illis eleemoſynas demus, &c. Et alibi rurſum: Non temerè, inquit, ab Lib. quæſt. queſtio. 35. Homilia 32 in Matth. Homilia 31 in cap. 1. ad Philipp.

Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, nempè, vt in tremendis myſterijs defunctorum agatur commemoratio, quatenus aliquid lucri conſequantur.

In exhort. ad caſtitatē

Audiamus nunc Latinos patres hac de re ſcribentes, Tertullianus ante annos mille trecentos docuit eſſe vallem purgatorium, & orandum pro defunctis ſcribens: Iam, inquit, apud Deum repete, pro cuius ſpiritu poſtules, pro quo oblationes annuas reddas.

Lib. de Monogamia.

Rurſum idem: Ergo perſeueret in ea, cum eo neceſſe eſt, quem quum repudiare non poterit, ne ſic quidē nuptura, ſi repudiare potuiſſet, & pro anima eius (defuncti mariti) oret, & refrigerium interim adpoſtulet ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius.

Lib. 1. ep. 9.

Sanctus Cyprianus martyr glorioſus idem docet in epiſtolis ſuis: Epiſcopi, inquit, anteceſſores noſtri religiosè conſiderantes, cenſuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam, clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro eius dormitione celebraretur.

In vita Paulæ.

S. Hieronymus. Ex hinc non vlulatus, non planctus, vt inter ſæculi homines fieri ſolet, ſed Pſalmorum linguis diuerſis examina concrepabant. Et infra: Hebræo, Græco,

co,Latino,Syroque sermone Psalmi in ordine personabant,non solùm triduò, donec subter Ecclesiam, & iuxta specum Domini conderetur: sed per omnem hebdomadam, cunctis,qui venerant,suum funus & proprias credentibus lachrymas. Rursum: Necdũ spiritum exhalauerat, & iam fama volans tanti prænuncia luctus, totius vrbis populũ ad exequias congregabat. Sonabant Psalmi, & aurata tecta templorum,reboans in sublimi quatiebat Alleluia, hic iuuenum chorus, ille senum qui carmine laudes fœmineas & facta ferant. In èpitaphio Fabiolæ.

D. Ambrosius. Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit,nulla inhonoratos vos mea transibit oratio, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret. Omnibus vos oblationib. frequentabo. Rursum: Tibi nũc omnipotens Deus innoxiam commendo animam,(Satyri) tibi hostiam meam offero,cape propitius,ac serenius fraternum munus,sacrificium sacerdotis, hæc mea iam liba præmitto. Idem: Da requiem perfecto seruo tuo Theodosio,requiem quã præparasti sanctis tuis, illo conuertatur anima eius,vnde descendit. In oratiõe funebri Gratiani & Valentiniani Cæsarũ. In oratione funebri fratris sui Satyri. Su pobitu Theodosij.

B. Augustinus. Quum corpus matris meę Monicæ elatum est, imus & redimus sine Li. 9. Confeß. cap. 12.

lachrymis. Nam neque in ijs precibus, quas tibi fudimus, cùm offerretur pro ea sacrificium precij nostri, iam iuxta sepulchrum po
Li.21. ca 23 de ciui. dei, sito cadauere, priusquàm deponeretur, sicut illic fieri soletnec in ijs precib. ego fleui. Idē, Temporaneas pœnas alij in hac vita tātùm, alij post mortem, alij & nunc & tunc, verūtamen ante iudicium illud seuerissimū, nouissimumq; patiuntur.

Deut. 19. Joan. 8. Si proinde, vt scripsit Moses, quod Christus quoque citat in Euangelio. *Duorum hominum testimonium verum est*: Et iterū Chri-
Matth. 18. stus apud Matth. dicit: *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum*: quanto magis tot testibus enumeratis, fidem adhibere debemus. Atque adeò si densiorem testium nubem, imò densissimū imbrem atq; tonitrua desideras, lege doctrinam Catholicam de animarum sedibus, quæ anno 1568. Ingolstadij in Bauaria, ex Typographia VVeissenhorniana latinè prodijt, & quæ infernate lingua germanica scripserunt, Cunerus Petri Episcopus Leouardiēsis, & frater Arnoldus Mermannus; vtraq; hæc Louanij anno 1566 impressa, quæ vel ad nauseam vsque etiam cupidissimo Lectori satisfacere possunt. Imò & ipse Martinus Lutherus infelicis memoriæ pridem inquiebat; Ego qui credo forti-

credo fortiter, imò ausim dicere, scio Purgatorium esse, facilè persuadeor in scripturis de eo fieri mentionem. Et paulò pòst: Nolo, inquit, mihi suspicionem fieri, quòd faueam hæreticis aut Bohemis. Ego nihil de purgatorio noui, nisi animas ibi pati, nostris operibus & orationibus iuuandas. Et infrà. Ego cum beatissimis Patribus purgatorium esse cõfiteor. Hactenus Lutherus. Sed quia hic varius est & nusquam nec vnquam sibi constat, & modò ait, modò negat, modò ædificat, modò destruit, non memini ipsius quasi eius testimonio indigeamus, sed vt & ipsum & eius discipulos suis ipsorum verbis quasi gladio interimamus, atque iugulemus. Si enim ipse tam fideliter credit esse purgatorium, & alijs credere suadet, cur ipsius discipuli tam pertinaciter illud negant & rident? impudenter affirmantes illud ex sacris scripturis quæ sunt in canone, hoc est, quæ authenticæ sunt, probari non posse, sed è contrario ex sacris litteris purgatorium nullum esse, perspicuè doceri posse. Quia igitur iuxta regulas Rhetorices, quotiens nobis cum aduersario lis est, vt eius primum obiectiones diluamus necesse est, agedum eorum tela & catapultas excipiamus & confringamus.

In disputatione Lipsica.

Si inquiunt, ea suffragiorum vis & ratio

Refellũtur q̃ cõtra suf

 est,

Suffragiorum vsum obij- ciūt aduer- sarij. est, vt animas purgatorijs ignibus eximere possint, cur inter tot Mosaicæ legis piamina & sacrificia, sacra funeralia nulla extāt? Quibus respondendum est: Ad veterum sacrificia quòd attinet, fatemur ingenuè nihil peculiare de sacris funebribus in Mosaica lege cautū extare, at negamus tamen, nihil eiusmodi ea in lege receptum aut vsurpatum fuisse. Siquidem Iudæi non ea solùm religiosè obseruabant, quæ in diuinis codicibus præcepta legebant, sed etiā ea, quæ fida traditione à Maioribus suis, puta Patriarchis ante legē vsitata acceperant. Eorū aūt è numero hunc funerandi, iustaque mortuis persoluendi ritum extitisse, declarant *ieiunia illa Dauidis, & habitatorum tabes Galaath Saulis & filiorū* 1. Reg. vlt. 2. Reg. 1. *eius causā, ad septimū vsq; diem producta.* Nā & si in luctus significationem suscepta videri queāt, multò tamen verisimilius est tā diuturnā inediam, corporumq; macerationem, non tam luctus, quàm patriæ consuetudinis ergò vsurpatum fuisse: ea nimirùm de causa, quòd apud Iudæos legittimum esset, prò mortuorum salute, ad tempus sese affligtare.

Deinde cur, inquiunt, Synodi Elibertinæ Patres, ne spiritus sanctorum inquietentur, cereos per diem in cœmiterijs accendi, aut noctu Vigilias in ijsdem haberi vetant,

nisi

nisi quia nullus eorũ esset vsus? Dico igitur Cap.34.35.
quod citata Synodi Elibertinæ constitutio,
legitima Ecclesiæ suffragia nó vetat, sed flagitia & paganismi reliquias, nam funebriũ iustorum prætextu, in cœmiterijs permulta fœda perpetrabant. Nec enim si diuo Augustino fides est, vt sanè est maxima, contenti erant luxuriosè illic bibere & comessari, sed eò nonnulli eorum superstitionis procedebant, vt ipsis etiam cadaueribus epulas exhiberent.

Lib. de moribus Eccle siæ, cap. 34
Epis. 64. ad Aureliũ Epis. Carth.

At inquiunt, *duæ duntaxat sunt viæ, vna angusta, alia lata*. seu vt *de ouibus & hœdis loquitur CHristus, vna à dextris, altera à sinistris*. Quibus iuxta veritatem respondendum est, quòd prior illa scriptura, quæ de lata & angusta via loquitur, intelligenda est de præsenti nostra vita, in qua vt tãquã in lata via, varia sunt vitę genera vnũ alio peius, ita etiã non desũt in angusta via, qui peregrinationem & curriculum vitę huius non tam perfectẽ consummãt, vti deberent; sed segniter prorepunt, & per negligentiã vestem suam nuptialem cõmaculant puluere quotidianorum, & venialiũ peccatorũ; quę cõdigna pęnitentia non satis eluunt. Eiusmodi tamẽn quia vestem nuptialem (scilicet dilectionẽ Dei habent) in arctá illa via sunt, & ibunt in vitam ęternã, sed non prius quàm expurgen-

Matth. 7.
Matt. 25.

gentur ab omissis pœnis satisfactorijs pro mortalibus peccatis, quorum omnium eos pœnituerat antequam, vel etiam dum efflarent animam. Itaque arcta via certissimè ducit ad vitam, & ipsum purgatorium est hæc arcta via, quæ non semper finitur cum hac mortali vita, sed durat vsque ad purissimam expiationem, etiam post hanc præsentem mortalem vitam. Posterior itaque scriptura de statione ad dexteram aut sinistram complebitur in nouissimo iudicio, ante quod omnis purgatio completa erit.
1.Cor. 15. 1.Thess. 4. Sed forsitan me interroges, quid de his fiet, qui in die nouissimi iudicij reperientur adhuc *viui & residui, quando illi purgabuntur?* respondeo electos tunc futuros in tanta tribulatione & pauore, vt ijs statim sint satis
Matt. 24. expurgati. *Erit enim tunc tanta tribulatio, vt nisi breuiati essent dies illi, non fieret salua omnis caro.*

Marc. 16. Ioan 5. Cæterùm aiunt scriptura sacra, tantum commemorat duo hominum genera, fidelium & infidelium, ita vt *qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus fiat, qui verò non crediderit, condemnetur*. Respondeo, de infidelibus non est dubium, quin damnentur: de fi-
Galat. 5. delibus auté dicit Apostolus, quod in Christo *fideles saluet*, non omnis *fides*, *sed quæ per*
Iacob. 2. *dilectionem operatur*, qui non habuerunt fidem

dem mortuam. Quoniam igitur *multi fidem suam non ostenderunt ex operibus*, sed delictis quotidianis obscurarunt, & reatibus peccatorum mortalium (quorum tamen pœnituerunt) inuoluti, ex hoc seculo decesserunt, ideò in illa valle lustrica expurgandi sunt.

Verùm adhuc alius restat scrupulus, dicit enim Ioannes. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo enim id est, iam iam, seu, ex nunc, & statim requiescent, à laboribus suis.* Apoca. 14.
Ergo nullo tempore erunt in purgatorio. Respondeo, quòd illic Ioannes non de quibusuis electis, sed duntaxat de martyribus loquatur. Quanquam etiam breue, etiam & momentaneũ est tempus tribulationis collatum ad æternam gloriam.

Sed est porrò alia scriptura contra doctrinam de purgatorio. Apoca. 10. *Angelus enim iurabat per viuentem in secula, quia tempus non erit amplius.* Ne post iudicium extremum tempus nullum erit, sed æternitas. Quanquam & post mortem hominis nõ superest ei tempus merẽdi, sed hoc meritus est, dum in charitate Dei moreretur, vt pro peccatis mortalibus æterna morte dignis ei pœna imponeretur temporalis.

At quid ergo aiunt diuinæ litteræ *vnumquemque mercedem propriam secundum ea* 2. Cor. 5. Gal. 6. Matth. 16.

quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum acceptur um affirmant. Et. *Vnumquemq; onus suum portaturum,* proq́ue *seipso rationem redditurum,* nusquam non inculcant? Hæc, inquiunt, si rectè expendantur, præter cætera, ante mortem, quod post mortem prosit comparandum esse, non obscurè insinuant. Respondeo, omnino ante mortem, quod post mortem prosit comparandũ esse, nec vllus vnquam Catholicorum secùs credidit, aut docuit. At interim longè aliud est, *pro defunctis, vt à peccatis soluantur, cum Iuda Machabæo orare*, aliud fusa prece noua illis merita comparare; Illud enim rectè & inculpatè fieri potest, hoc nequaquam. Nõ noua, inquit D. August. merita mortuis comparantur, &c. Idem. Quodam, inquit, vitæ genere acquiritur, vt aliquid adiuuent ista defunctos, &c.

2. Mach. 12

Serm. 33. de verbis Apost.

Li. de cura p mortuis

Ecclef. 11. Sed *lignum,* aiunt, *siue ceciderit ad Austrũ siue ad Aquilonem, vbicunq; ceciderit, ibi erit.* Respondeo hanc scripturam, quia parabola duntaxat est & variè trahi, exponique potest, ad fundandum articulum fidei aptam nõ esse. Est tamen genuinus eius sensus hic, quòd sicut lignum cadens, denuò attollere sese non potest; sic nec homo qui in peccatũ cecidit, resurgere per sese (nisi ex singulari Dei gratia) non potest. Qui ergo stat, videat

ne

ne cadat, nam in quo ſtatu moritur, aut ſaluationis aut damnationis, in eo iudicabitur finaliter. Sed hoc nihil facit contra expurgationem reſtantium debitorũ pœnæ temporalis, qui enim in purgatorium deſcendunt, mortui ſunt in ſtatu ſaluationis, & ſalutis ęternæ certiſſimi ſunt.

Verum, vt dicit ſcriptura, *Mortui non habent partem in hoc ſeculo, neq; eorum quæ fiunt in mundo* Reſpondet B. Hieronymus, quòd qui totaliter mortui ſunt in anima, non habent partem, &c. ſed abeũt in obliuionem, qui deus Abraham, deus Iſaac, deus Iacob, eſt deus viuorum & nõ mortuorũ. Quod ſi placeat intelligi non de damnandis, ſed de ſaluandis, dicimus eos non habere partem ſcilicet miſeriarum & calamitatum huius mũdi, eatenus enim felices ſunt, quia relabi nõ poſſunt in peccatum, etiamſi expurgentur à peccatis præteritis, Loquitur ergo illa ſcriptura de ciuilium & externorũ operũ communicatione, non autem de ſpiritualiũ participatione verba facit. Eccleſ. 9.

Cæterùm nunc profligatis præcipuis fortiſſimiſque hereticorũ argumentis, quia deblaterãt nos nulla ſcriptura, quæ quidem in canone ſit, purgatoriũ probare poſſe, audiamus Apoſtolũ Paulum: *Secundũ gratiam*, inquit, *q̃ data eſt mihi, vt ſapiẽs architectus funda*men- Purgatorium ex Apoſtolicis literis probatur. 1. Cor. 3.

mentum posui. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est CHristus IESVS. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides preciosos (id est eximias virtutes) *ligna, fœnum, stipulam* (hoc est peccata minuta & leuissima, quæ ignis facile consumit) *vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim domini declarabit* (in iudicio cuiusque hominis particulari) *quia in igne reuelabitur* (id est exactissima diuini iudicij amussi, quæ erit *quasi ignis conflans & emundans argentum, & purgabit, & colabit filios Leui. Et vniuscuiusque opus quale sit, inquit Apostolus, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic quasi per ignem* (non qui super fundamentum hoc ferrum, æs, aut plumbum, hoc est, peccata maiora, sed qui lignum, fœnum, stipulam, id est, venialia commisit: Hic ergo talis detrimentum, hoc est dilationem, satisfactionem, aut satispassionem patietur per ignem emendatorium; cuius meminit B. Augustinus, vbi præsentem locum explicat. Quem & omnes celebriores vtriusque linguæ patres Origenes, Basilius, Oecumenius, Cyrillus, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, alijque

Greg. li. 4. Dialogorum, ca. 39.

Malach. 3.

In psal. 37.

lijque omnes tam vetuſtiores, q̃ recentiores de purgatorio exponunt: ipſe etiam litteræ contextus, aliam, quæ commoda Apoſtolicæque menti conſentanea ſatis ſit, interpretationem non admittit. Nam quod ignem hunc, per quem ſalui fient ſuperædificantes lignum, fœnum, & ſtipulam, intelligunt quidam de igne tribulationis huius vitæ, non eſt conſentaneum veritati, quia hic affliguntur interdum & boni & mali, ſaluandi & damnandi ita, vt ex tribulatione nullius opera certò iudicari poſsint. Sed replicabis forſitan, & dices cum Luthero omnia venialia per Chriſti paſsionem ſemper in morte deleri. Sed hoc alia ſcriptura te non ſinit dicere, ſcilicet iſta: *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Matth. 12. Qui dies iudicij, vt oſtendit epiſcopus Roffen. non eſt intelligendus de nouiſſimo magni iudicij die, ſed de iudicio particulari hominis vniuſcuiuſq; eſſet enim ordo præpoſterus, ſi in morte dimitteretur quod iterum vocaretur in iudicium, aut puniretur, & poſtmodum eius reddenda eſſet ratio in examine vniuerſali. Aſſertionũ ſuarum articulis 37. & 38.

Ergo non dimittuntur in morte ſemper venialia peccata, neque etiam eorum examen differtur vſque ad iudicium vniuerſale, ſed examinantur venialia in iudicio cuiuſque

hominis speciali, quando anima separata à corpore, mox sistitur diuino iudicio, & si pura est, transit ad gloriam, si sordida, ad dãnationem, si næuosa transit misericorditer, ad pœnam, quia in charitate Dei decessit.

Matth. 12. Marc. 3. Luc. 12. Deinde *docet Christus peccata quadam non tantùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro remitti posse*, ea nempè quæ committuntur contra filium hominis, hæc sunt venialia quæ vel ex fragilitate, vel ignorantia fiunt: *sed non quæ in spiritum sanctum fiunt*, ea sunt mortalia, quæ contra charitatem Dei militant, in quibus quando quisquam sine pœnitudine moritur, ea neq; in hoc sæculo, neq; in futuro remittentur. Quoniam, teste Apostolo, *qui talia agũt, regnum dei non possidebunt.* (Galat. 5.) Multa sũt adhuc alia sacræ scripturæ testimonia, quib. breuitati studẽtes supersedemus. Qui ex propheticis, euangelicis, apostolicis epistolis, ex patribus, ex sacris concilijs plura volet testimonia, libros quos paulò ante nominauimus, legat.

Quibus de causis animæ in purgatoriũ detruduntur. Restat, vt quibus de causis animæ in purgatorium descendant apertiùs dicamus. Huic quæstioni à doctoribus respondetur, quatuor de causis id fieri. Primò, ob cupiditatem & concupiscentiam prauam, hoc est, inordinatum affectum, quem quis habet ad bona temporalia, videlicet ad diuitias, honores,

poten-

potentiam & præeminentias huius sæculi, ita vt nisi timeret magis; quàm amat Deum suum, cuperet quidem peccare, sed necdum tamen cõsummat furtum, rapinam, vsuram, fraudem in emptionibus & venditionibus, imò & veniale committit peccatum, quisquis nimis de earum possessione gaudet, aut de amissione contristatur, nec debita discretione ijs vtitur, nec iuxta facultates suas subuenit alijs. Secundò ab inordinatum affectũ erga parentes, liberos & amicos, vnde accidit frequenter vt offendatur Deus, ne offendatur amicus, quũ tamen iuxta veram charitatem omnes amici in eo casu forsitan contemnendi essent. Tertiò ob in inordinatum affectum erga proprium corpus, complacendo potius appetitui sensitiuo, in cibo, potu, dormitione, lectione, auditione, recitatiõe, cantione rerũ otiosarum & sęculariũ, in choreis, in gestib. in vestib. in pronũtiatione, in supellectili. & talibus innumeris. Quartò ob neglectam satisfactionem, quando quis in præsenti vita cum contritione confessus peccata, & absolutus ab æterna damnatione, pœnitentiam sibi iniunctam oblitus vel negligens nõ perfecit, nec pijs operibus, putà eleemosynis, ieiunijs, orationibus satisfacere studuit temporali pœnę, q̃ pro ęterna pœna misericorditer sibi remissa, facere ac pati debuisset.

Vbi ſit purgatorium.

Si quęras, quo in loco demum ſint animarum illę ſedes emendatoriæ? Reſpondeo cũ Doctoribus orthodoxis, locum illum purgatorium de lege communi eſſe in terra circa centrum eius, ſecus infernum, quo tanquam in mundi ſentinam & cloacam omnes ſordes totius terræ bitumen & ſulphur confluunt multò fœtidius, quam in ſcaptenſula apud Græcos, & in Auerno apud Campanos, & in Aſphalto apud Iudæos. Lege Bapt. Mantuanum. Sed de his loquemur latiùs, quando ad tertium nouiſsimum, nempè Infernum, conciones noſtras perduxerimus. quod verò ad purgatorium attinet, de lege ſpeciali ſecundum diuinam diſpenſationem etiam alibi ſuper terram, & in priuatis locis quorundam, purgatorius locus eſſe poteſt.

De patiẽtia lib. 3. ca. 25.

De purgâtorijs pœnis. De vera & falſa pœniten. cap. 16. & 18.

Prætereà ſciamus oportet, quod in purgatorio duplex excruciat pœna, damni vna, & ſenſus altera, vtraq; inſigniter. Nam, vt inquit Auguſtinus, prius purgandus eſt igne purgatorio, qui in aliud ſæculum diſtulit fructus conuerſionis. Hic autem ignis, etſi æternus non ſit, miro tamen modo eſt grauis, excellit enim omnem pœnam, quam vnquam aliquis paſſus eſt in hac vita. Nunquã in carne tãta inuẽta eſt pœna, licet mirabilia paſsi sũt Martyres tormẽta, & multi neqter

iniqui

iniqui tanta sustinuerũt supplicia. Idem rursum Sed dicit aliquis Non pertinet, inquis, ad me, quamdiu moras habeam, si tandem ad vitam perrexero: Nemo hoc dicat fratres charissimi, quia ille purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri aut sentiri. Hactenus Augustinus, & rectè. Neque tamen ob id pœna illa emendatoria est omninò inuoluntaria, quanquam enim mallent, si fieri hoc pateretur diuina iustitia, immunes esse, tamen non secus, quàm ab ægris amara catapotia deuorantur citra impatientiã, aut animi perturbationẽ, ita & maxima prõptitudine à patientib. acceptantur ad accelerandũ pensum suum desiderio cœlestis gloriæ. Quare æquissimum est, vt eos iuuemus (sicut heri diximus, sacrificio altaris, eleemosynis, orationibus, & ieiunijs, vt cum eis æterna lætitia fruamur, quod nobis largiatur, qui est in æternum benedictus, Amen.

Ser. 41. de sanctis.

An contra volũtatem patiantur, qui sũt in purgatorio

Quomodo liberandi.

δόξα θεῷ, μερόπεσσι χάρις: καὶ τάφαυμα θανοῦσιν.

Laus Deo, pax viuis, requies æterna sepultis.

Eccles. 7. IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET.

CONCIO VII.

De Epiphania Spirituum.

DE animarũ sedibus expurgatorijs, sanctorumque patrum Ecclesiasticorum scriptorum de purgatorio testimonijs, sectariorumque refutatis obiectionibus. & quænam sit hac de re Catholica doctrina, tã Euangelio, quàm epistolis Paulinis cõfirmata, deniq; vbi sit purgatoriũ. quæ in eo pœna, an voluntariè eam ferant animæ, quibus de peccatis in illud conijciantur, & quomodo liberari possunt, superiore sermone, vt autumo abundè diximus, reliquum est, vt de maniũ apparitione disseramus. Sed quia
Ioan. 4. *Deus etiam spiritus est, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*, vt de spiritibus varijs debitè loqui queamus toto spi
Lucæ 1. rit⁹ nostri desiderio, eundẽ inuocemus. Atq; simul beatam virginem, cuius *spiritus exultauit in Deo salutari suo.* salutemus dicentes:

AVE MARIA.

Vt quorundam curiosæ anxietati, aut verius plurimorum simplicitati satisfaciamus, iam de apparitione manium disputabimus, cuncta tamen erudítiss. iudicio, maximè S. Rom. Ecclesiæ submittentes. Quæstio itaq;

fit: Vtrum animæ defunctorum redeant, ac viuis appareant, eos terreant interdum, cum ipsis colloquia habeant, & multa alia faciãt, quæ eis adscribuntur. Sanè quæstio hæc D. August. testimonio, non parum difficilis est, & explicatu grauis, sed vt eandem perspicuè magis & clarius aperiamus, obseruãdum est inprimis duplices esse spiritus, nempè angelicos & humanos, atq; vtriq; quidem in his sce conditionibus & proprietatibus conueniunt, q sint çqualiter, & similiter à deo creati, rationales, incorporei, liberi arbitrij, immortales, & dei capaces. Habent rursum vtriq; certas quasdam proprietates. Nam spiritus angelici humanos in immensum superant, vigore naturæ, tenuitate essentię & scientiæ perspicacitate. Spiritus porrò humani in hoc ab angelicis differunt, q humani spiritus ad informãdũ corpora sint formati, angelici non itẽ Spiritus porrò humani quotidiè creãtur & infundũtur corpusculis in vtero matris, mẽbris suis debitè formatis, sed angelici spiritus creati sunt oẽs *in principio, quãdo deus creauit cœlũ et terrã*. Spiritus ẽt humani q̃dudum sunt corporib. cõiuncti, vocãtur animę, qa animãt, seu viuere sentireq; faciũt corp9, quando aũt spiritus humani separati sunt à corpore, non iã animę propriè dicũtur, sed manes aut genij. Adhæc fides nos

Li. de cura pro mortuis.

Duo spirituũ genera, in quib. cõueniunt, & in quo differunt.

Genes. 1.

docet angelos quoſdam eſſe bonos, quoſdam eſſe malos, non quidem natura, ſed voluntate, qui angeli mali græcè κακοδαίμονες dicuntur, & latinè lemures, atque laruæ, quorum qui naturam & operationes cognoſcere velit, Iamblichum, Proclum, Mercurium Termaximum, Plotinum, Philoſophos, & B. legat Auguſtinum, nobis propoſitæ theſi inhærere certum eſt. Vt igitur angeli quidam boni, quidam verò mali ſunt, ſic & animæ hominum quædam bonæ, quędam peruerſæ ſunt, non creatione vel natura, ſed voluntate. Angeli autem mali quamuis ſuaptè natura ſunt obſtinati, non proptereà ſenſus perſpicacitate priuati ſunt, aut vigore, naturalique robore ſpoliati. Quamobrem Theologi Iſidorum ſequuti, aiunt, malos angelos etiam, vt & bonos, præcellere ſpiritus humanos in ſciẽtia tribus modis, videlicet ob naturæ ſubtilitatem, temporũ longam experientiam, & ſpirituum ſuperiorum reuelationem. Subtilitate ſuæ naturæ cognoſcunt effectus in ſuis cauſis, & cauſas in ſuis effectibus. Experientia temporum cognoſcunt effectus, qui in ſuis cauſis nullam præbent determinationem vel certitudinem, vt ſunt effectus liberi noſtri arbitrij. Sed per reuelationem cognoſcunt effectus ſupernaturales Et ita futura prædicere poſſunt,

De ciui. dei lib 9. ca. 11.

ſunt, quæ antequàm fiant, cognoſcere poſſunt. Res etiam, quæ omnino ſimpliciter ac purè dependent ab ordine cauſarum naturalium, ſimpliciter cognoſcunt. Et nonnulla futura, quæ à noſtro pendent arbitrio per coniecturam cognoſcere poſſunt: at ea quæ à voluntate diuina ſimpliciter dependent, non niſi per reuelationem, vel à Deo, vel à ſpiritibus bonis factã, cognoſcere poſſunt. Quare dæmones prædicere poſſunt, quòd effectus purè naturales certò euenient, poſſunt etiam coniectura prædicere effectus, qui à noſtro dependent arbitrio, at quæ purè & ſimpliciter à Dei voluntate dependẽt, nulla ratione (niſi Deo aut bono ſpiritu ea reuelante) prædicere poſſunt. Scientia & virtute horum malignorum ſpirituum artes magicæ vigent. Nam malefici Pharaonis per ſuas incantationes etiam ranas & ſerpentes, ſicut Moſes, produxerunt, qui tamen *Cyniphes minutiſſima animalia ſuis incantationibus educere non potuerunt.* Exod. 8. Hinc datur nobis intelligi ſathanam (per quem artes magicę maximè vigent) non habere poteſtatem vel minimos producendi vermiculos, niſi quatenus Deus permittit. Quæ tamen poteſtas interdũ à Deo ipſi permittitur, vel ad decipiẽdos impios vt Aegyptios & eorũ ariolos, vel ad monendos fideles, ne talia facere aut fie-

ri cupiant, quia res sunt quæ hominum naturam excedũt. Permittit etiam hęc fieri deus ad manifestandam iustorum patientiam, alioqui sathan non habet ad votum hanc rerum visibilium materiam, & si permittentę Deo per veneficas admiranda occultè operetur. Vt igitur boni spiritus hæc non operantur nisi deus iusserit, ita mali mala facere nõ desinunt, nisi à Deo coerceantur. Nouimus enim è sacris literis malos spiritus angelicos hominibus in possesionibus, in corpore, imò & vita, si deus permittat, nocere posse, quemadmodum *abstulit à Iob greges pecorum asinorum camelorum, necnon & proles amantissimas, ac demum percussit illum in corpore vlcere pessimo.* Sic & in historia Tobię legimus, *cacadæmonem quendam nomine Asmodæum septem viros, qui vnus post alium Saræ matrimonio coniuncti fuerant, suffocâsse.* At boni spiritus quamlibet nocere posśint impijs hominibus, vt patet in *Sodomitis & Ægyptijs*, non tamen legimus illos nocuisse pijs, vt pietatem atque patientiam impediant: sed inuenimus eos quandoq; pijs clementer interim propter delicta correxisse, vt *Zachariam patrem Ioan. Bapt.* qui officio linguæ ad tempus est priuatus & mutus effectus ob suam incredulitatem. Sed angeli mali non duntaxat in possesionibus, & etiam vita (vt

Iob 1. & 2.

Tobiæ 3.

Genes 19.

Exod. 12.

Luc. 1.

iam

iam ſupra oſtendimus, ſed etiam in ſenſu & intellectu hominibus nocét quoties permittuntur: quod ſatis probat Euangelica hiſtoria de *dæmoniacis cæcis, ſurdis & mutis* quàm plurimis, quos Chriſtus expulit, curauit & liberauit afflictos. Eò namque proceſſerat dæmonum impoſtura, vt hominibus perſuaſerint, relicto vnius ſolius veri Dei cultu, ſimulacra adorare, & diaboli vanitates ſequi, illique ſacrificijs litare, imò in hunc vſque diem Dei permiſſu iniquus ille ſathan ſuis illuſionibus & incantamentis multos decipit. Sed qui perfecti ſunt in charitate & integra fide, omnē ſuam ſpem in Deo collocāt, tametſi, permittente Deo, ad incrementum meritorum ſuorum in corpore & facultatibus affliguntur, non tamen decipiuntur ſenſu, neq; ad malum violenter coguntur: protecti enim *clypeo fidei, & gladio ſpiritus quod eſt verbum Dei*, atque reliqua Chriſtiani militis Panoplia, omnia tela nequiſsimi ignea auertere poſſunt. Luc. 11. Epheſ. 6.

Quin etiam, præter ea quæ de poteſtate tam bonorum quàm malorum angelorum diximus, hoc etiam ex ſacris litteris perſpicuum eſt, vtroſque hominibus poſſe appropinquare & apparere viſibiliter, & ſub ſenſū exterioris viſus aduenire, nō quidē in ſua naturali ſpecie (nā in ea ſpecie ab oculo corpore- Apparitio angelorū bonorum.

poreo conspici non possunt) sed in assumpta, ex aëre visibili forma. Sic legimus apparuisse *Abrahamo tres pueros seu iuuenes, in specie peregrinorum, sedenti ad radicem Mambræ montis*, quando tres vidit, & vnũ adorauit. Ad *Loth angeli duo venerunt in Sodoma* in forma speciosissimorum adolescentum, quibus quia Sodomitæ abuti volebant, sulphure & pice deleta est ciuitas. *Sic Raphael Tobiam duxit & reduxit. Sic Gabriel archangelus in forma adolescentis apparuit Zachariæ, et virgini gloriosissimæ Mariæ*, Quin & sathanam in forma visibili legimus Christo apparuisse, vt eum tentaret, *& statuisse eum supra pinnaculum templi, imò & in montem excelsum duxisse*. Quinetiam vt minus cautis atque expertis imponat, varias formas, vt Protheus ille, de quo Poëtæ fabulantur, accipere potest. Potest enim apparere in specie viri & mulieris, antiquorum vel adolescentiorum, item in forma brutorum, nempè bouis, canis, serpentis, aut cuiuscunque animantis: item in formis rerum inanimatarum, auri, argenti, herbæ, lapidis. Potest & in ædibus magnum tumultum excitare, suppellectilem concutere, ostia clausa aperire, aperta occludere, immittere fulmina, tonitrua, ventos, pluuias, tempestatem, voces etiam fingere ac formare tam lugubres, quàm lætas, varios

Genes. 18.
Genes. 19.
Tobiæ 5.
Luc. 1. & 2.
Matth. 4.
Apparitio angelorũ malorum, & potestas.

rios Musicos sonos quorumuis instrumentorum, vtpotè Lyræ, Timpani, Tubæ, Tibiarum, Lituorum, Organorum sacrorum, & omnium id genus aliorum.

At spiritus humani à suis corporibus separati, non habent ex suæ naturæ proprietate talia operandi facultatem. Nam anima à corpore suo separata, non potest vi naturæ suæ aliud corpus localiter mouere seu agitare, quod hinc perspicuum fit, quia suo corpori coniuncta, nullum corporis membrũ mouere potest, nisi sit viuum, exemplum accipe Paralyticum aut emortuum aliquod membrum. Vndè consequitur, nullum corpus animæ iam separatæ deinceps obtemperare. Neque admittit Christiana religio Pythagoræ illam animorum humanorum in alia subinde transmigrationem corpora. De qua ex gentilibus nemo copiosius Ouidio lib. 15. Metamorph. Post Laertium verò lege Gellium lib. 4. cap. 11. Philostratum libro 8. de vita Apollonij. Exploditur dignis ea modis à Luciano, cùm alibi tum etiam in Gallo. Lege prætereà Petrum Crinitum de honesta disciplina. lib 11. cap. 3. Vide etiam Augustinum de Trinitate libr. 12. Chrysostomum in homilia quadam in 12. cap. Ioan. Cyrillum contra Iulianum, lib 7. & B. Hieron. lib. 2. contrà Iouinianum.

μετεμψύχωσις siue παλιγγενεσία Pythagorica videtur.

De cura ꝓ moituis. Cæterùm virtus diuina supra naturalem eius virtutem animæ, quod vult, conferre potest. Quanquam B. Augustinus ait animas non tantùm non posse assumere corpora, sed etiam dicit eas nullam earum rerum, quæ inter viuos fiunt, notitiam habere, nec de eorum statu quidquam scire, cui consentit scriptura dicens: *Mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent partem in hoc seculo*: non tamen propterea arbitrandum est, animas separatas viuorum nullam sollicitudinem habere, *quum diues epulo fratrum suorum memor erat in inferno existens*. Quemadmodum igitur idem Augustinus ait, mortui de viuorum statu tribus modis notitiam habere possunt. Primò per eos qui vita functi ad eos proficiscuntur. Secundò per angelos, qui iubente Deo eis talia annunciant. Tertiò per Dei reuelationem cognoscere possunt, ea quæ in mundo sunt non solùm præsentia & præterita, sed etiam quæ futura sunt, hæc eis Dei spiritu reuelante non secus atque Prophetæ, qui dum adhuc viuerent, futura cognoscebant, non quidem quòd omnia sciant quæ cupiunt, sed quatenus ipsis reuelare deo collubitum fuerit, & quantum eis scire expedit. Vt igitur ad institutũ nostrũ, & ꝓpositã questionẽ reuertamur, an videlicet animæ à corporib. suis separatę, redeant ac viuis appareant, sciendum quod D.

Eccles. 9.

Luc. 16.

Animæ mortuorũ quomodo recitãt res viuorum.

Augustinus in libro supra allegato eandem ferè inducit quæstionem, cui & hoc modo respondet: Aiunt nonnulli quosdam defunctos viuis apparuisse ipsis dormiẽtibus, aut quouis alio modo, eosque monuisse & indicasse, quo in loco insepulta iacerent ipsorum corpora, vt sepulturæ mandarentur. Cui sententiæ respondet dicens, non opus esse propterea mortuos talia sentire, quamuis videantur in somnis eiusmodi proloqui & indicare. Nam & viuentes sæpiùs viuis somno sepultis apparent, quamuis ignorent apparitionem sui alijs factam, vt de quodam suo ipsius discipulo refert, qui locum Ciceronis apprimè difficilem offendens, quem intelligere non poterat, vidit D. Augustinũ in somnis ad se venientem, & locum illum difficilem explicantem, quum tamen ipse Augustinus ea de re nihil vnquam cognouerit. Ita & Theodosius Imp. in somnis vidit Miletium Antiochenũ episcopũ coronã suo capiti iṁponentẽ, quẽ prius non viderat, Aliquanto tẽpore post in Cõstantinopol. synodo Meletiũ ex idea ꝑ insõniũ cõcepta nemine indicante agnouit, & amplexus est vt scribit Theodoret. li. 5. 6. & 7. Vnde cõijcio, ait Aug. hæc & eiusmodi apparitione angelica fieri, deo ità iubẽte aut permittẽte, vt videlicet viuis somno oppressis nonnulla videantur indicare defuncti de suorum corporum

ſepultura, vbi tamen ipſorum animæ nullam habent huiuſce rei notitiam: Et paucis interiectis ſubdit: Talis eſt humanę infirmitatis conditio, quòd quando aliquis in ſomnis mortuum aſpicit, exiſtimet animam illius videre, vbi tamen in ſomnis nec animam nec corpus viderit, ſed hominis ſimilitudinem, quaſi hominum defunctorum non animæ, ſed etiam earum ſimilitudines æquè dormientibus apparere non poſsint, abſque earum præuia notitia. Perindè ac ſi diceret. Sicut ſæpè vſuuenire ſolet, vt viuorum ſimilitudines dormientibus appareant, quamuis viuentes nullam huius rei habeant notitiam, ſic & mortuorum ſimilitudines viuis ſomno apparere preſsis apparent, vbi tamen ipſis mortuis, nulla inſit eorum cognitio. Et rurſum idem. Similes viſiones vigilantibus contingere poſſunt, non minus quàm dormientibus, his præcipuè, qui turbatos habent ſenſus, vt ſunt frenetici, phantaſtici, ac furioſi, nam apud ſemetipſos abſentibus loquuntur vt præſentibus, eiſq; videtur quòd imagines ipſorum coram adſpiciunt. Sed quemadmodum viui ignorant ſe à freneticis videri, aut ꝙ cum eis miſceant colloqa, pari modo defucti ab hominib. hoc pacto affectis conſpiciuntur, quaſi coram ipſis aſtarent, qui ſunt abſentes, quos latet an quiſpi-
am

am in imaginatione eos videat. Idem accidit in ecstasi positis,& à suis sensibus abstractis,& huiusmodi visionibus occupatis. Ergo quemadmodum quoque scribit Conradus Brunus lib.de imaginibus,cap.15.Imagines apparentes non sunt animæ,sed similitudines animarum. sub quibus non latent animæ, sed apparitiones fiunt angelicis operationibus,si bonę sunt,vel dæmonum illusionibus,si malæ sunt.

Iam quoniam quæritur,quo pacto igitur apud suas memorias siue monumenta apparent Martyres? respondet D. Augustinus Deum omnipotentem, qui vbique præsens est,qui nusquam à nobis elongatur, martyrum preces exaudiendo, angelorum ministerio,hominibus in hac valle miseriæ constitutis tribuere,(prout sibi visum est) huiusmodi solatia & consolationes. Et deindè paucis interiectis,ait: Sed si fortè vtrunque fiat, nempè quandoque præsentia martyrũ, quandoq; ministerio angelorum personas martyrum repræsentãtium,non ausim(ait) quidquam certò affirmare: mallẽ à doctioribus hæc percontari & discere. Hactenus Augustinus. Beatus Athanasius Alexandrinus episcopus,sancto succinit Augustino, respondens cuidam percontanti. Quómodo sancti in suis templis ac monumentis seipsos In li.quęst. quæst.26.

aſpectibus hominum exhiberent? dicit in hunc modum: Viſiones & apparitiones quæ fiunt in templis & ſepulchris diuorum, non à ſanctorum animabus fiunt, ſed miniſterio angelorum, qui diuorum ſpeciem ſiue effigiem aſſumunt.

Apparitiones fiunt trifariam. 1. parte ſuæ ſummæ, titulo 5.

Igitur vt quæſtionem concludam de apparitiõe defunctorum viuis factã, Antonius ait animas à ſuis corporibus ſeparatas, poſſe abſq; ſuis corporibus viuis nonnunquam apparere. Sed cum aſſumpto corpore, angelorum miniſterio ex aëre formato, ſicut de

Matt. 17.

Moſe apparet, qui tribus Apoſtolis viſus eſt in monte Thabor. Quamuis nonnulli affirmare audeant, ipſum tunc à mortuis fuiſſe reſuſcitatum, & poſtea in paradyſum terreſtrem cum Helia translatum, vt tandem cum eo veniat circa finem ſæculi ad conuertendos

4. dial. lib. Gregor.

Iudæos. Quin & quarto Dialogorum libro legimus Paſchaſium apparuiſſe Beato Germano in balneis exiſtenti, cui dixit eum locum ſibi pro purgatorio deſtinatum eſſe à Deo, Sed id raro contingit, & ſi forſitan accidit, pro miraculo habendum eſt. Prætereà huiuſmodi apparitiones fiunt bonorum angelorum opera ac miniſterio, vt viuos admoneant de ſua ſalute, aut preces exigant pro defunctis, ignorantibus tamen vita functis tales apparitiones ſui cauſa fieri, ſicut viuos latet ſe à dormientibus in ſomnis viſos

fuisse, illisque loquutos. Demum possunt etiam similes apparitiones fieri nonnunquam operatione sathanæ, vt fallant homines, & peruersas, erroneasque, de paradyso, de purgatorio, & de inferno, doctrinas disseminent.

Sed quærat aliquis, qua ratione discerni poterunt, dum apparent, boni à malis spiritibus? Respondetur id esse admodum difficile. *Nam discretio spirituum* (vt ait Paulus) *Dei donum est*, non omnibus concessum. Nec sufficit, quòd eiusmodi spiritus nil mali requirunt aut iubent, sed peregrinationes duntaxat hoc vel illo modo fieri. Nam (teste Paulo) *in angelum lucis se sathan aliquoties transfigurat*, alioqui nunquam ei fides adhiberetur, si semper appareret in propria forma. Horum meminit diuus Antonius, ad fratres ita disserens: Oportet talium spirituum increpationes & minas contemnere, nec non admonitiones de ieiunijs & vigilijs, fraudulentasque eorum suggestiones reijcere. Nam assumunt species & formas nobis familiares: vt affinitate virtutum, & honesti prætento velamine, virus suum facilius diffundant. Et rursus: Dæmones, inquit, sæpècum fratribus in colloquium descendunt, eosq; conturbant, magnos tumultus frequēter excitāt, plaudūt manib. spirāt, cachin

Discretio apparitionū difficilis est.

1. Corin. 12.

2. Corin. 11.

B. Antonis apud Hieronymū in vitaspatrū.

cachinnãtur,diſſoluteque rident, quo poſſint in animam Chriſtianam per peccatum obtinere dominium.

coniectura ſpiritus malos dinoſci poſſe.

At quanuis difficile ſit inter bonos & malos diſcernere ſpiritus, coniectura tamen id fieri poteſt. Primò quum aliqui tumultus, ſoni, fractores in domibus audiuntur, & angulis ædium, abditiſque receſsibus, riſus diſſoluti, ſannæ, cachinni, vel tympanorum crepitus, fiſtularum ſonitus, & pleraq; alia opera petulantiam præ ſe ferentia. Quis ſanę mentis iudicaret hæc bonorum eſſe ſpirituum opera, & non potius dæmonum eſſe terriculamenta, qui poteſtate diuina cohibiti, nocere hominibus præter hæc non poſſunt, etiamſi maximè cupiant.

Inſuper animæ ſunt aut in cælo, aut in inferno, aut in purgatorio. His quæ in inferno ſunt, ſimilia peragere non eſt conceſſum. Cęteris quæ in purgatorio ſunt, vel in cęlo, has petulantias & inſolentias exercere minimè conuenit. Quid igitur reſtat, quàm hæc à cacadæmone quopiam perpetrari?

In 1. Caput Lucæ Euangeliſt.

Eſt & aliud ſignum, quo diſcerni poſsint apparitiones ſpirituum, de quo Theophylactus ſcribit in hæc verba loquens, de *Zacharia, qui ad conſpectum Angeli Gabrielis turbatus fuit*: poſſe deprehendi apparitiones ſpirituum quæ ſunt à DEO, vel à ſathana

in

in hunc modum: Si mens humana primùm mouetur ac turbatur, & posteà terror ille disparet, mensque sedatur, hæc visio (ait) diuina est: sed si terror & commotio magis magisque augetur, visio diabolica censetur. Diuus Antonius apparitiones bonorum & malorum spirituum in hunc modum discernit: Visio (ait) bonorum spirituum amica est & tranquilla, nã sine litibus sunt, nõ voci ferantur, nec tumultus excitant incompositos aut dissolutos, sed dulciter, suauiter, silenterque appropinquantes gaudium diffundunt, exultationemque & fiduciam ferunt in cordibus eorum, quibus apparent. Nam Dominus Deus, qui origo est & fons omnis lætitiæ cum ipsis est. Tunc intellectus non turbatur nec mouetur, sed dulcis, pacificus, ac lumine angelico illustratus perseuerat. Anima quoque desiderio cœlestis beatitudinis accensa repentè, ociusque cum his quos cernit in cælum euolaret, si à corpore mortis huius libera esset, & membris humanis exonerata, ab omni impedimento immunis esset. Tanta est enim bonorum spirituum benignitas, vt si quis ratione humanæ suæ fragilitatis ob nimium splendorem & fulgorem eorum absterreatur, timor tamen ille à corde ipsius mox effugatur & abscedit. At malorum spirituum aspe

ctus truces sunt, sonitus eorũ horribiles, immundæ eorum cogitationes, strepitus eorũ & motus sunt quasi lenonum in omnem lasciuiam & luxum defluentium. vnde subitò anima intus timore corripitur, sensus attoniti, obstupescunt. Ibi odium suboritur piorũ Christianorum, atq; religiosorum, tædium pariter boni operis, timor mortis, concupiscentia iniquitatis, remissio virtutis, obduratio cordis, hebetatio intellectus. Si igitur post timorem ab horrore procedentem succedit gaudium & fiducia, & in deum charitas, sciamus auxilium à Deo nobis superuenisse. Nam securitas animæ signum est atq; judicium præsentiæ diuinæ. At si terror ille perseuerat, hostis est qui videtur, nam metu consternatum consolari nequit: sicut Gabriel virginẽ suæ salutationis causa cõturbatã,
Luc. 1. cõsolatus est dicens; *Ne timeas Maria.* Cõtra hic pessim⁹ hostis timorẽ reduplicat & adauget, hominemque vsq; in profundam foueã impietatis propellit, quatenus ab ipso homine superbissimus ille honoretur. Hactenus beatus Antonius de discretione spirituum.

Remediũ contra visibiles spirituum infestationes. Cæterùm, viuentes fideles admoneo, ne à spiritibus vexentur aut fallantur, vt frequenter orent pro defunctis. Et si norunt parentes & amicos aliquas vouisse peregrinationes, animas ipsorum liberas reddant, votum

tum pro ipsis adimplendo. Itidem faciãt de contractis per eos debitis, & æs alienum pro eis persoluant. Quod si quempiam ab eiusmodi spiritibus agitari contingat, non facilè eis fidem adhibeat, sed viros doctos consulat, suum præsertim prælatum atq; pastoré. Et vbi senserit se eiusmodi visionibus & spectris atq; phasmatib. agitari diuexariq;, mox saluificæ crucis se muniat signaculo dicens: Abrenuncio tibi sathana, & coniungor tibi Christe mi redemptor atq; seruator, deniq; symbolum recitet Apostolorum, & aqua lustrali (quæ contra infestationes eiusmodi cósecratur) sese aspergat, vt cuius virtute benedicitur, deus verus & sanctus eum protegat, neq; solum verba, sed mysteria articulorũ fidei nostrę. iterũ atq; iterum meditari & contemplari tentatus & à spiritib. infestatus, debet. Quid enim nucleũ in cortice habere iuuerit, nisi nucem frangas, vt gustes? q̃d aroma in apotheca, nisi in vsum cóuertas. Tam enim est necessaria meditatio, masticatio, & ruminatio arcanarum rerũ in fide nostra cóprehensarũ, vt sine feruenti earundem contemplatione, ipsa hæc nostra fides non aliud quàm liber quidã clausus & signatus sit. Oret ergo quisquis in angustia est, cũ Dauide: Concalescat cor meũ intra me, & in meditatione mea exardescat ignis. Cur quippe nónun-

Meditatio fidei nostrę quàm necessaria.

Psalm. 38.

nunquam inefficax eſt medicina, niſi quia non digeritur intra corpus? Et ad eum modum ait Hieremias: Deſolatione deſolata
Hier. 12.
eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recogitet corde. Ex quibus verbis perſpicuum fit, nõ defectum fidei, ſed attentæ meditationis & recogitationis eiuſdem neglectum, eſſe malorum omnium cauſam, quia: Ore confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Et, populus, inquit, labijs me honorat, cor auté eorum longè eſt à me. Si proindè non, cum
Pſalm. 118.
Propheta, Septies in die laudem dicimus Deo, at ſaltem bis dicamus. Comedimus cõmuniter bis in die, horologij quoque pondera bis quotidie ſurſum trahimus, ad eundem ergo modum, bis quoque quotidie animum ſubleuemus à terrenis rebus ad Deum, veſperi dum imus cubitum, & manè dum cubitu ſurgimus & infeſtationes malignorum ſpirituum facilè ſuperabimus per eum qui omnes creauit ſpiritus, qui nos ſemper conſeruet Deus in ſæcula benedictus pater, filius, & ſpiritus ſanctus, Amen.

IN

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET.

Ecclef. 7.

CONCIO VIII.

De fecundo hominis nouiffimo, nempè Iudicio, quod ante omnia eft duplex, ficut et duo funt Chrifti aduentus.

OMnium terribilium maximè terribilis eft mors, ait quidam magni nominis Philofophus, fed qũi vix animorum credidit immortalitatem, quique non audierat fapientiffimum illum Solomonem concionantem in hæc verba: *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni abfcondito, fiue bonum fiue malum fit.* Non audierat etiam cœleftem noftrum Philofophum Chriftum dicentem: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poffunt occidere. fed potius timete eum, qui poteft & animam et corpus perdere in gehennam.* Mirandum ergo non eft, fi qui credunt totum hominem morte perire, nec habent hanc fpem, quam fola in CHriftum fides nobis porrigit, cùm aliorum mortem deplorant, tum fuam horrent, atq; abominantur. Illud potius mirandum, tam multos effe mei fimiles, qui quum toti-

Arift. 3. Ethicorum.

Ecclef. 12.

Matth. 10.

1.Cor.3. es audierint illud Pauli, quòd *omnes nos manifestari oportet ante tribunal CHristi; vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum*, non sequatur cõsilium

Eccles.18. filij Syrach, dicentis: *Ante iudicium para iustitiam, ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem*, Vulgò fertur, omnia iudicia & sententias, donec prolata sunt, metuenda fore; propterea iam de secundo hominum nouissimo dicturi, nempè de iudicio diuino primùm quotuplex hoc sit nunc differemus, quod vt fiat, felicius diuini numinis opem, vna mecum implorate, ac virginem matrem pro nobis intercessuram salutate, dicentes:

AVE MARIA.

Illud ergo imprimis extra omnem controuersiam est, iudicium Dei ipsa morte corporali, imò & pœnis inferni, pro illo temporis articulo, multò terribilius esse, prout

Iob.14. sanctus Iob dixit: *Quis mihi tribuat vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus*. Etenim ipsa mors corporalis, nisi propter annexum Dei iudicium,

Iudiciũ qđ metuenda non esset. Iudicium porrò vniuersim sumptum, est de causa vltro, citroq; diligenter cognita per iudicem iuris pronunciatio.

atio. Hęc autem iuris definitio, atque determinatio nulli ominum rectius, quàm Deo summo cōpetit, qui Dauide attestante *iudicabit orbē terræ in æquitate, & populos in veritate sua.* Et quanq̃ ex prosperitate vel aduersitate mūdi, *nescit homo, an amore an odio dignus sit, sed oīa in futurum seruātur incerta; eò q universa æquè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sacrificia contemnenti:* attamen verè admodum benignus est Deus in eos, qui vero corde, & syncera intentione in omnibus ei placere student. Hoc tamen interim certissimum est, nos, quoties secundum sensus nostri imperfectum iudicium iudicamus, aliquoties à studio virtutis, & firma in Deum fiducia excidere ac cespitare. Quod ipsum attestatur Propheta & rex DAVID: *Quàm bonus,* inquiens Israëlitis: *Deus his qui recto sunt corde. mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei: quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* Non enim est videre mortes eorum acerbas, sicut mortes iustorum, neque firmiter vel dudum compe iuntur esse in afflictione, ab ea enim mox liberantur. A molestijs enim, famis, frigoris, caloris, & defatigationis, atq; id genus reliquis hominū laboribus liberi sunt, ideò tenuit eos superbia. Imò,

Psal. 95.
Ecclef. 9.
Psal. 72.

Psal. 143. Imò, vt in alio loco idem ait, *filij eorum ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua*, florentes ſcilicet, & continuum augmentum quantitatis ſumentes: *filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi: promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud: oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſæ: non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum: beatum*, inquit Dauid, *dixerunt populum cui hæc ſunt*; ſed, inquit, quum Dominus ſolus ſit ſummum bonum, & ille ſolus poteſt beatum quempiam facere, qui non duntaxat temporalia dat, ſed etiã vitam æternã præſtat, ſanè *beatus ille populus eſt, cuius Deus ipſe eſt Dominus.* Quoties proinde duas haſce res diuerſiſſimas, impiorum nempè peruerſitatem, & Dei effuſiſſimam in omnes bonitatem contemplamur, quidnam aliud quàm cum illo

Psal. 35. ipſo Dauide exclamare liberet: *Iuſtitia tua ſicut montes Dei excelſa, & iudicia tua abyſſus multa*, adeoque profunda, quemadmodum immenſa aquarùm profunditas, cuius fundus cognoſci non poteſt. Quidnam verò di-

Rom. 11. camus, niſi hoc quod & Paulus ait: *O altitudo diuitiarum ſcientiæ & ſapientiæ Dei, quàm incomprahenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius?*

Iudicium Dei duplex

Cæterùm vt de iudicio Dei quàm ordina-

natiſſimè & clariſſimè diſſeramus, iudicium Dei eſt duplex, vnum internum, alterum externum. Et internum iudicium, dicitur iudicium diſcretionis, externum autem, dicitur iudicium retributionis; illo diſcernit electum à reprobo, iſto vnicuiq; propriam mercedem tribuit. Internum iudicium Dei, eſt ipſius ineffabilis, imò & incomprehenſibilis æterna ſapientia & prouidentia, quæ *attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*. Atque hæc eſt ita in Deo, vt ſit ipſa eius ſimplex natura & Deus ipſa, vna & indiuiſa in ſeſe; ſed propter varios rerum ſtatus & diuerſos effectus, ſecundum noſtrum modum loquendi, & iuxta captum humani intellectus, idem illud vnumque iudicium ſapientiſſimæ voluntatis Dei multa, eaque varia habet nomina, ſecundum variam diſpoſitionem ipſarum creaturarum, in quibus iudicium ipſius, quod intrinſecum appellatur apparet, quale eſt ordinatio, ſeu iudicium & diſpoſitio creationis, gubernationis, prouiſionis, prædeſtinationis, reprobationis, & aliarum operationum, quas in creaturas exercet. Fuere inter ſapientes, imò inter fatuos gentium Philoſophos Epicuræi, qui prouidentiam Dei in rebus humanis negarunt, quorum perfidus & ſceleratiſſimus error timorem Dei prorſus

Sapien. 8.

sus excludit,& effrenem peccandi licentiam ac libertatem præstat. Dicunt enim teste
Psal.72. Dauide: *Quomodo scit Deus, & si est scientia*
Psal.93. *in excelso?* Sed his alio loco respondet: *Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite, qui plantauit aurem non audiet, & qui finxit oculum non considerat? Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vana sunt*. Sed eiusmodi vecordes homines, qui dicunt vt scri-
Iob.22. ptum est in Iob; *nostra non considerat, & circa cardines cœli ambulat*, vt reprobos relinquamus. Externũ aũt iudiciũ Dei est retributio bonarũ & malarũ actionũ omniũ humanarum, de qua Prophetę, Apostoli, imò & ipse Christus frequenter loquuti sunt. Omittentes igitur diuinũ illud iudicium internum, quia prorsus ineffabile est, de iudicio Dei externo iam loqui, in animum induximus.

Iudiciũ externũ Dei duplex vnum præsentis, alterum æternæ vitæ.

Iudicium porrò Dei externum, vt ex sacris litteris mox ostendemus, rursum est duplex; vnum præsentis vitæ, alterum post mortem. Itàque secundum nouissimum, scilicet iudicium inter quatuor, quæ nobis memorãda proponit, primò docet iudicia Dei esse duplicia, q̃dã.n. exercet in præsenti vi-

Quatuor illa quęre in ser. sequẽti

ta, quędã in futura. In pręsenti quidem vita, cũ iudicat ex sua bonitate, trifariã. Primò bonos gratiæ suæ donis exornãdo. Quo iudicio

dicio Dauid petijt iudicari, quum orauit. *Aspice in me & miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum*. Et paulò infrà in eodem psalmo: *Misericordiæ tuæ multæ Domine, secundum iudicium tuum viuifica me*. Ita enim æquissimus iudex Deus cóstituit, vt nó solùm opera bona in futuro seculo compensentur vita æterna, sed etiam iustus ac bonus christicola in præsenti seculo mereatur & gratiæ augmentum, & bona cùm corporalia tum spiritualia beatitudini assequendę necessaria, qđ docet Christus in hũc modũ: *Omni habenti dabitur*, habenti inquam, id est, benè vtenti: nam *non habenti*, id est, non benè vtenti donis gratiæ Dei, *etiam quod habet, auferetur ab eo*. Itaq; qui in paucis fidelis est, super multa cóstituit. Hoc ipsum nos docet Ioannes, dicens: *De plenitudine eius accepimus omnes gratiam pro gratia*. Et quanquam non solùm incrementa virtutum sint ex gratia Dei, sed etiam *gratia Dei*, vt ait Apostolus, *sit vita æterna*, grauiter tamen errant, qui fidem sine operibus sufficere contendunt, & qui dicunt iustũ in quolibet opere saltem venialiter peccare, aut (quod intolerabilius est) mortaliter eũdem peccare, quod nec de sceleratis opera bona faciẽtibus rectè dici potest. Sunt ergo bona iustorum opera & Dei dona, & hominis iustificati merita;

Psal. 118.
Matth. 25.
Ioan. 1.
Rom. 6.

Apoc.22. merita; vt,iuxta id quod in Apocalypsi scriptum est, *qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc*:quin etiam tametsi iustificationis exordium in adultis à Dei, per IESVM CHristum præueniente gratia sumitur, qua excitati, interiorem (quæ secundum Deum est) tristitiam de peccatis & melioris vitę propositum,amoremque concipiunt iustitię. & in propitiatorem credentes,per redemptionem, quæ est in sanguine ipsius iustificationis gratiam, in sacramento baptismi,aut reconciliationis, seu pœnitentiæ consequuntur, attamen in relapsis etiam ante reconciliationem Deo gratiora sunt opera bona, & ad redintegrandam cum Deo amicitiam media propinquiora,quàm fides. Quemadmodú enim artifex opus aliquod facturus, talem maximè materiam deligit, quæ tractabilis est, & quò facilius formam suscipit atque retinet,eò magis magisq; perpolit, ita omnipotentia, sapientia & bonitate sua,quasi quibusdam manibus singulari studio præ omnibus alijs exornat Deus eos gratiæ suæ prærogatiuis,qui mandata eius custodiunt, iuxta illam promissionem

Ioan.14. Christi dicentis: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Secundò cùm iudicat ex sua misericor

dia

dia, pœnitentibus peccata remittendo, quã promittit per Esaiam dicens: *Si reuertamini* (scilicet per pœnitentiam ad Dei misericordiam) *& quiescatis* (agere peruersè) *salui eritis*. Et iterùm paulò infrà in eodem capite ait: *Propterea expectat Dominus vt misereatur, vestri. & ideò exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus, beati omnes qui expectãt eum*. Hoc iudicium misericordiæ expectauit *Maria Magdalena ad pedes tuos veniens*, O bone Iesu, *quando lachrymis eos lauit, & capillis suis absterſit*, indulsistique ei peccata, & in pace remisisti: hęc vna miseratio tua Domine. *Petrus negauit, & cum iuramento detestatus est te, respexisti eum, amarè fleuit*, indulsisti ei, & principem Apostolorum eum confirmasti: hæc iterum miseratio tua Domine. *Latro in cruce vnico verbo saluatus est*. Paulus in persecutionis feruore vocatus, quia dicit, *Domine quid me vis facere*, statim spiritu sancto repletus est. Hæ sunt miserationes tuæ domine, Deficeret omne tempus, si omnes miserationes tuas enumerare vellem Deus, quot enim iusti sunt, tot etiam sunt miserationes tuæ. Nullus gloriari potest in semetipso, veniant omnes iusti siue in terra, siue in cœlo sint. interrogemus eos coram te, an in virtute sua salui facti sunt. Certè omnes vno corde & vno ore rę spondebunt: *Non no*

Esai.30. Ibidem. Lucæ 7. Matt. 26. Luc. 23. Actor. 9.

Psal. 113. *bis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*
Libro de natura & gratia c. 36. Quemadmodum & B. Augustinus ait: Excepta, inquit, virgine Maria (de qua nullam mentionem habere volo, quoties de peccatis loquor) si omnes sanctos & sanctas, quum hîc viuerent congregare possemus, & interrogare vtrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, nisi quod ait Ioannes:
1. Ioan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non fecimus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Tertiò, in præsenti etiam vita iudicat ex sua iustitia malos & obstinatos castigãdo. Quosdã enim homines iudicat Deus in hoc mundo, vt resipiscant à malis, pœnitentiam agant de præteritis, caueantque à futuris, exerceantq; se in bonis operibus. Tali iudicio primos
Gene. 3. *parentes nostros, Adamum & Euam iudicauit*, statim post lapsum, *quando eos paradyso*
Prouerb. 3. Hebræ. 12. *pepulit*, Ipse enim Deus, teste sapiente, *quem*
Apoca. 3. *diligit castigat, & flagellat omnem filium, quem recipit.*

Hoc enim est pij ac boni patris, vt filiorum errata non tanquàm immitis, seuerus, & inexorabilis iudex morte æterna & extrema perditione vlciscatur, sed iustitiam misericordia temperet. Prout Dauidi pro-
Psal. 88. misit, dicens: *Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint,*

si

si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo. De hoc iudicio scribit Apostolus: *Si nosipsos iudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur: cùm autem iudicamur à Domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* 1. Corin. 11
Quosdam enim iudicat remunerando in hac vita, præcipuè obstinatos. Quia, vt diuus Augustinus ait, sicut nullum malum impunitum, ita nullum bonum irremuneratum erit. Quum igitur mali quandoque alia bona moralia, seu ciuiliter bona faciant, pro quibus non merentur retributionem in futura vita, idcircò ea DEVS in hoc sæculo pensat, sicut Romanis idololatris propter iustitiam & fidelitatem atque sobrietatem, in quibus sese exercebant, quanquam idola adorarent, naturaliter tamen ea quæ legis essent, faciẽtibus dedit monarchiam, siue totius mundi imperium.
Et obstetricibus Ægyptiorum, quia seruauerunt masculos Hebræorum, & timuerunt Deum, ædificauit eis domus. Exod. 1. Quosdam autem percutit, non medici amplius beneficio, sed iusti iudicis vsus officio, de quib. ait Hierem.
Induc modò super eos diem afflictionis æternæ, Hierem. 17

& duplici contritione contere eos domine, nempè temporali & æterna. Ex his erant, *qui a-*
Genes.7. *quis diluuij perierunt*, Ex his etiam *erant Sodo-*
Genes.19. *mitæ & Gomorrhæi, qui sulphure & pice confla-*
4. Reg.20. *grarunt*. Ex horum numero erat *Sennache-*
2. Mach.9. *rib*, item & blasphemus *Antiochus*, atque superbissimus *Herodes Agrippa*, qui quum pa-
Actor.12. teretur se Deum vocari, vermibus consumptus adhuc viuens, poculo amaritudinis libabat primitias perditionis. Pilatus eo deuenit miseriarū, vt tandē exul sibi ipsi manum intulerit. Iudæ proditoris exitum facinorosæ consentaneum vitæ omnes scimus, Cæsar Iulianus apostata homo nequam, qui Christum Iesum per ignominiam vocabat semper Galilæum, & fabri filium, Persico bello sagitta transfixus, dum expiraret, clamare coactus est. Vicisti Galilæe vicisti. Hos & similes Deus ab hoc temporali cruciatu in barathrum æterni supplicij deturbauit.

Iam igitur ad alterum superioris diuisionis membrum transeamus, & doceamus, quomodo Deus quædam exercet iudicia in futura vita post mortem. Atque iudicium ergo Dei, post mortem denuò est duplex, nempè Particulare & Vniuersale. De Particulari primùm dicam. Iudicari autem omnes homines singulatim iuxta animam, apertissimè docet CHRISTVS, qui ait,

Iudicium post mortē duplex, particulare & vniuersale.

La-

Lazarum iuxta animam ab angelis delatum in Luc.16.
sinum Abrahe, diuitis verò epulonis animam in
inferno sepultam esse. Latroni contrà in cruce
pendenti; dicit ipse quoque cruci affixus: *Ho* Luc 23.
die mecum eris in paradyso. Ita & Paulus, *Cu-* Philip.1.
pio, inquit, dissolui & esse cum Christo. Quorsum autem dissolutioné cupiebat, si dissolutione facta nihilominus expectādus esset extremus generalis iudicij dies, & non in morte per particulare iudicium, anima eius coronam iustitiæ perceptura erat? Hoc propterea interrogo, quoniam non desunt qui dubitant, an aliquod etiam particulare iudicium fiat, de singulis hominibus animam agētibus. Atque ijdem aliquot scripturis opinionem suam confirmare conantur, dicunt enim, si vniuersi & singuli iudicantur, dum moriuntur, quid necesse est ponere aliud generale iudicium, quum non puniet Dominus bis in idipsum, & teste Propheta: *Non* Naum.1.
consurget duplex tribulatio. Sed in promptu responsio est, in particulari iudicio iudicari animam, in generali autem corpus rediuiuum cum anima. Verum, vt inquit Hosius, Confeß.Po-
qui semel à via recta deflexerūt, eos in aliū lon.ca.58.
atq; alium errorem incurrere videre licet, sic in ijs qui semel à vero aberrauerunt, error alius alium trudit. Neque enim desunt, qui quum falsam opinionem suam de non

inuocandis Sanctis, alia ratione confirmare non posſint, eò tandem audaciæ atq; amentiæ prorumpant, vt aſſeuerare non dubitét, nondum eſſe potitos ſanctos conſpectu Dei
1. Petr. 1. ſuauiſsimo, *in quem deſiderant angeli proſpicere*, ſed adhuc in abditis quibuſdam receptaculis, extremum expectare generalis iudicij diem, in quo tandem vnicuique Deus ſit, iuxta opera ſua redditurus. Hæc ille: Et in hoc errore fuit Lactantius, vt diximus ſuprà ſermon. 6. Hanc tamen quanquam inepta & abſurda ſit opinio, ſtatuere conantur, dicentes quod latitent ſub altari, iuxta illud:
Apocal. 6. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*. Cæterùm ridiculi illi homines, talpa cæciores, non vident quòd mox ibidem ſcribit Ioannes: Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ. Iam quis eſt altare, niſi Chriſtus, & vbi is eſt, niſi in cælo? in quo & ſancti ſunt cum eo, quibus & data eſt ſtola gloriæ, & immortalitatis iuxta animam, licet eorum corpora adhuc ſint in terra. Ergo hoc imprimis pro certo tenendum eſt, quòd animarũ remuneratio non vſq; ad diem generalis iudicij differtur (vt hæretici quidam differũt,
Serm. 4. in epiſtol. ad Philip. & Græci olim quidam non ignobiles dicere præſumpſerunt) quia Ioannes Chryſoſtomus etiam grecus Epiſcopus Conſtantinop. contrarium docuit, dicens: Quid ais, inquit, Pau-

Paule, quũ hinc abiens, in ipſum cęlum mi- Li.2. de orthod. fide.
graturus ſis,&c. Cyrillus quoq; Episc. Alexan. ſcribens, ait: Olim liberatæ à corporib. animæ hominum in ſubterranea receptacula demittebantur, implentes mortis promptuaria, vbi autem Chriſtus ſpiritum ſuum patri commendauit, etiam hanc viam nobis præparauit, non enim ingredimur in infernum, abſit, ſequemur autẽ potius ipſum,&c. Imò & Baſilius Epiſcopus Cæſarienſis: An non extremi ſtuporis eſt, inquit, ſanctos fateri cum Chriſto non eſſe? Sed ne nimius ſim, doctores multi ſuper quartum ſententiarũ, & ſpeciatim ſanctus Thomas Aquinas in ſumma contra Græcos hunc errorem pleniſsimè refutârunt. Li. de ſpiri. ſancto ad Amphilochium.

Iam quum extra controuerſiam ſit ſingulos homines iudicium ſuum accipere poſt mortem in anima, reliquum eſt videre, an Chriſtus pronunciet etiam particulare iudicium, ſicut vniuerſale in fine ſæculorum pronuntiaturus eſt. *Non enim miſit Deus filium ſuum vt iudicet mundum* (in primo ſuo aduentu) *ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Et quum rogaretur à quodam, vt diceret fratri eius, vt in diuidenda hæreditate paria cum eo faceret, reſpondit, *quis*, inquiens, *me conſtituit iudicem inter vos.* Et Zachæo ait, *Venit enim filius hominis quærere & ſaluum* Ioan.3. Luc.12. Lucæ 19.

 facere.

facere, quod perierat. Et adulteræ dixit: *Ne-*
Ioan. 8. *mo te condemnauit mulier? & illa respondente nemo: neque ego, inquit te condemnabo.* Sed responsio est, mortuos iam esse in altero sæculo, & propterea iudicium particulare post mortem ad secundum eius aduentum pertinere, & cum iudicio vniuersali, cuius pars & initium est adnumerandum esse. Cæterùm quodnam sit tribunal eius, quando animas sæculo defunctas singulorum hominum diiudicat, & quo in loco illud positum sit, quo item tempore, & quánam in forma diuináne an humana, difficilior est quæstio. Nam de generali illo iudicio multa pandit scriptura, & de eodem sancti patres catholicique doctores copiosè & euidenter scripserunt, putà de loco & tempore iudicij & iudicis visibili apparitione, atque signis quæ præcedent aduentum eius, item de comitatu cælestis militiæ eius, alijsque permultis rebus. Verùm de particulari iudicio, qualiter fiat, an anima adhuc existente in corpore, an in eius egressu, an post egressum, quo loco, quo tempore, & per quos iudici præsententur, & quomodo tot animæ in omni etiam hora à summo iudice singulatim iudicentur, parcè admodum Doctores Catholici, & parcius sacra scriptura meminit. Propterea quæ D. Dionysius Carthusianus in colloquio

Dionysius Carthus. de 4. nouiss.

loquio suo de particulari iudicio inquirédę veritatis studio prolixè disputat, nos compendio breuiter colligemus. Imprimis igitur Christus etiam iudicij particularis est censor. Pater enim hoc ei commisit, & ipse attestatur: *Data est, inquit, mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Et iterum: *Neque enim pater iudicat quenquam sed omne iudicium dedit filio* Quo autem loco positum sit in particulari iudicio, tribunal eius intelligere possumus ex communi vsu loquendi, sicut enim per apostolicam sedem intelligitur ipse summus pontifex, vel pontificij eius summa auctoritas & potestas, ita per Christi tribunal intelligitur Christus omnium iudex, seu iudiciaria eius potestas. Sed vbinam, an in aëre vsquam corporali visione, vel etiam imaginaria apparitione, idque vel anima agonizante, aut egrediente, vel demum egressa, nullam habemus, quæ id doceat. expressam scripturam. Innocétius Papa tertius, qui Lotharius antè vocabatur, scribit. Videt, ait, tam bonus quàm malus antequàm anima egrediatur à corpore, Christum in cruce positum, malus ad suam erubescentiam & confusionem, bonus ad suam consolationem. Et huic Innocentio suffragatur Ludolphus Carthusianus in vita Christi, & aliquot alij. Sed receptior est beati Thomæ Aquinatis

Matth. 28.
Ioan. 5.
Libr. de miseria cond. humanę.

3.Parte summæ quęst.63. ſententia dicentis: Ante conſummatam vitam de ea iudicari non poteſt, ſed vita hominis per mortem duntaxat conſummatur, idcircò non niſi poſt mortem datur de illo iudicium. Et rurſum idem: Quãdudum a- Summa contra Gẽtiles lib. 4. nima eſt in ſtatu pugnæ & militiæ, iudicari non debet, ſed quamdudum viuit, eſt in ſtatu pugnæ, ergo quamdudum viuit iudicium illud particulare non accipit, *militia e-* Iob. 7. *nim eſt vita hominis ſuper terram.* Et in hac ſententia ſunt plerique alij. Præſertim bea- Lib. 4. dialogorũ. tus Gregorius qui addit angelos et bonos, & malos, præſentare animas Chriſto ad iu- Super. 4. Senten. diſtinct. 47 dicium, vt vel boni eas ad præmium vel mali ad ſupplicium trahant. Et hæc preſentatio accuſatio, diſceptatio, & ſententiæ prolatio (iuxta B. Thomam) tam de bonis, quàm de malis non corporali viſione, ſed mentaliter fit. & mentis intuitu mira celeritate, imò in momento fieri poteſt; ſicut & iudicium vniuerſale *in momento, in ictu oculi, in no-* 1. Theſ. 4. *uiſſima tuba fiet, quando dominus de cœlo deſcendet.* Et ita de lege communi ſingulorum fit particulare iudicium ſtatim poſt mortem. Quòd verò nonnunquam mortuorum particulare iudiciũ ſit prorogatum eorũ, nempè qui reſuſcitati denuò ſunt, quorum iudicium certum eſt nondum prolatum fuiſſe, vel quòd quidam aut metales & ſpirituales appa-

apparitiones vel Christi vel eius matris benedictæ aut aliorum diuorum quos pro patronis coluerant, habuerunt, hoc speciali quadam gratia nonnunquam fieri crēdit ecclesia, sed preuilegium paucorum nō est ponendum in lege. Preuilegium enim dicitur (vt ait Gratianus) quasi lex priuata. Itaque vt agonizantes omnes eiusmodi apparitiones & reuelationes habeant, non est lex generalis. Quàm verò horrendum sit particulare hoc iudicium ex eo quod Paulus scribit, cognosci potest Horrendum est, inquit, incidere in manus dei viuentis, imò quadamtenus horribilius est particulare iudiciū vniuersali, tum quia propinquius imminet, tū quia qui in particulari iudicio sententiā damnationis euaserit, in iudicio illo generali, erit securus, sed absolutè loquendo generale iudiciū multò erit horribilius, vt proximo sermone docebimus. Vt ergo multa in pauca conferamus, in particulari iudicio anima perfecta statim cælestib. associatur, imperfecta igne purgatur, & in mortali peccato decedēs, ad infernum mittitur. Sed qā de purgatorio in superiorib. sermonib. disseruimus, de inferno aūt & gaudijs cęli in 3. & 4. nouissimo loquendum erit, hic finem faciamus.

Horrendū est iudiciū particulare Hebr. 10.

Tripartitū particulare iudicium.

Nam verbis nemo consequi posset, q̄ dura, q̄ amara separatio illa corporis ab anima

futura

futura sit. Verbi gratia, si viator comitem suum perdat extra publicam viam, ipse viam ignorans, quàm dolens, quàm tristis, quàm gemens procedit, currit, recurrit, respicit, sæpiusque perterrefit? quanta putas igitur tristitia erit duorum tam fidorum amicorum, corporis dico & animæ, qui ab vtero matris simul hanc in mundum hunc peregrinationem susceperunt, & mutuò sibi deuincti sunt? Quid futurum existimas, quando dicet spiritus corpori: iam nunc me sine te discedere oportet, corpusq; respondebit, & ego quid quęso sine te tandem ero, quum & esse & sentire tu mihi dederis: Corpore igitur iam exanimato, anima deinceps in nouum cælum, nouumque hemisphærium & regionem aliam euolat. Eheu quid illîc nouus hospes, in terra tã aliena faciet, si in hoc mundo Angelorum bonorum comitatum atque ducatum merita non sit. Heu, inquit, B. Bernardus, O anima mea, quæ & qualis illa dies erit, quando in regionem tam incognitam tibi venies, præsertim in via tali, in qua te petitam videbis, & oppugnatam à mõstris tam turpibus, deformibus, & terribilibus. Quis illîc adiutor, quis defensor ab illis fame insanientibus atque rugientibus leonibus. Hæc ille: Horrenda profectò est via, sed timendum magis atque exhorrescendũ iu-

In serm. de diuersis, q incipit, dignum valde est.

iudicium. quis enim dicat, quàm terribilis ſententia, quàm iudex rigidus & ſeuerus, quàm acres accuſatores, quàm pauci patroni, quàm diſcuſſum examen? Si quippè iuſtus vix ſaluabitur, peccator vbi parebit: Cęterùm ſicut iudicium, teſte Iacobo, ſine miſericordia fiet ei, qui non facit miſericordiam, ita & miſericordia vnicuique faciet locum ſecundum meritum. Tantum nunc agamus, quod nos feciſſe tunc vellemus, vt audiamus illam gaudioſam vocem: Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. 1. Petr. 4. Iacob. 2. Matt. 25.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET. Eccleſ. 7.

CONCIO IX.

Vniuerſale iudicium quid ſit, & quomodo quatuor hominum ordines eò conuenient, & quæ vulgaria ſigna iudicium præcedant.

DIximus heſterno die de multiplici iudicio Dei, putà interno & externo, atque quomodo Deus quædam iudicia pronuntiat in hac noſtra vita, quædam in futura, quorum futuræ vitæ iudiciorum vnum eſt particulare, alterum vniuerſale. Rurſus, quòd

etiam

etiam Christus pronunciet iudicium singulorum hominum, idque in quo tribunali, quo loco, quo tempore, in qua forma & iudicium particulare quàm sit horrendum,& tres esse ordines hominum in peculiari iudicio, perfectos, imperfectos & sordidos, & quo singulos ablegef;iā nūc vt ad iudicij vniuersalis descriptionem,& quot eodem conueniant hominum genera vt dicamus,ipse argumenti atq; materię ordo postulat;quod vt fiat concinnius, diuini numinis præsidiū, & virginis matris intercessionem ardentibus votis postulemus, dicentes.

AVE MARIA.

Quanqam, vt hesterno sermone ostendimus, singulos homines Christus particulariter iudicet iuxta animam, quando ea migrat à corpore; est tamen & aliud iudicium generale futurūm,quando post resurrectionem generalem corpus cum anima iudicabitur, quemadmodum docent articuli nostræ fidei catholicæ de vniuersali humanæ carnis resurrectione;& quòd Christus qui sedet ad dextram patris omnipotentis inde venturus sit iudicare viuos & mortuos, hoc est, bonos & malos. Quæ fidei nostræ doctrina tam veteris quàm noui instrumenti testimonijs cōfirmatur.Dicit enim ex nomine Chri- Ioel. 5.

sti

sti vates: *Congregabo oēs gentes in valle Iosaphat, et ibi disceptabo cum eis.* Et Christus expressè nobis dicit: *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab inuicem sicut pastor segregat oues ab hœdis;* etc. Hoc ipsum iudicium Daniel quadringentis nonaginta ānis ante Christum prędixit, *Aspiciebam,* inquit, donec *throni positi sunt et antiquus dierum sedit.* Et pòst pauca ibidem, *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem & honorem & regnum, potestas eius potestas æterna, & regnū quod nō corumpetur.* Quid verò clarius de secundo CHRISTI aduentu ad iudicium vniuersale Propheta dicere potuit, qui non vaticinium futurum sed præsentem historiam referre videtur? Est igitur iudicium vniuersale, finalis & perpetua bonorum à malis separatio. Cur verò Deus iudicium vniuersale ordinauit (maximè, quando in morte sua singuli particulariter secundum animam iudicentur) rationes permultæ sunt, nempe vt corpus quod fuit ad ministrum virtutis aut vitij, etiam suum præmium accipiat, & similes aliæ: sed

Matth. 25.

Daniel. 7.

Iudicium generale quid.

B. Tho 4. sent. dist. 48. quæst. 1. art. 1.

Li.20. de ci uitat. sed vna, iuxta B. Augustinum, est præcipua, nempè diuinæ iustitiæ manifestatio. Licet

Iudicij generalis causa propter quam. enim Deus sine iustitia, vel iusta causa nihil faciat, rationes tamen cur sic agat ignotæ nobis sunt. Sicut interrogat Propheta: *Quare*

Abacuc 1. *respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se?* Cur impius ditescit, pius pauperascit, innocens occiditur, sceleratus dominatur, & alia huiusmodi fiant, non licet quidem nobis temerè iudicare Deum, cuius omnes viæ iudicia, hoc est, actiones iustissimę

Psal. 72. sunt. *Zelaui*, inquit Dauid, *super iniquos, pacem peccatorum videns*. Et in fine eiusdem Psalmi, *Laborabam vt cognoscerem hoc, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in no-*

Matt. 10. *uissimis eorum.* Quia ergo, teste Christo, *nihil opertum est quod non reueletur*, vt tollatur occasio omnium quærelarum, qui clamant:

Apocal. 6. *Vsquequò non defendis sanguinem nostrum*: erit iudicium vniuersale, in quo, teste apósto-

1. Corint. 4 lo, *Dominus illuminabit abscondita tenebrarũ, & manifestabit consilium cordium, & tunc vnicuique laus erit à Deo.*

quatuor ordines hominum ad iudicium conueniũt. Porrò (vt etiam ante nos obseruatum est à viris pijs) omnium hominum qui ad iudicium conuenient, quatuor erunt ordines, horum aliqui non iudicabuntur, sed iudicabunt & saluabuntur; plures iudicabuntur & saluabuntur, plurimi iudicabuntur & damna-

damnabuntur; innumeri damnabuntur nec iudicabuntur. Hęc denuò repetam & explicabo crassius. Aduertite igitur, excutite corda vestra, & retinete, nolite pigri esse, & videte de quorum numero esse velitis. Qui seipsos hîc iudicant, ac legis præcepta perfectionis virtute transcendunt, & omnia quæ mundus miratur, reliquerunt, vt nudā crucem & nudum Christum nudi sequerentur, nempè sancti dei omnes, non iudicabūtur. iudicio videlicet discussionis, sed cum Christo iudicabunt. Quibus voce dominica dicitur: *Vos qui reliquistis omnia & sequuti estis me, in regeneratione quum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*. Iam in duodecim apostolis, teste B. Hieronimo, vniuersitas significatur perfectorum, qui propter euangelium omnia reliquerunt temporalia, & Christum perfecta charitate sequuntur. Non enim relinquere omnia satis est, hoc enim & Socrates fecit philosophus. & Diogenes, alijque non pauci; vt Crates Thebanus qui aurū omne quod ex patrimonio habebat, in mare demersit, satius esse, inquiens, opes mergere quàm ab illis demergi: sed & Christum sequi oportet, quòd est proprium apostolorum atque credentium. Qui hoc in pręsenti

B.Grego. Mora.li.26 ca.25.in Iob.36.

1. Iudicant & non iudicantur: Sancti.

Matth. 19.

Hiero-super Matt.

Contemptus mundi

vita fecerunt, in die iudicij cum Christo iudicabunt, non quidem auctoritate iudiciali sed assessoria dignitate non sententiam ferẽtes, sed approbantes. Hoc pacto qui nunc videntur hominum peccatorum scabella, egẽtes, angustiati, & mundi peripsemata, tunc erunt iudices in sublimibus solijs residentes. En primus ordo:

2. iudicãtur & saluãtur pœnitẽtes. Secundus erit, quorum bona sunt aliquib. permixta malis, vitę tamẽ maculas lachrymis tergunt, & peccata præcedentia sequentibus virtutib. redimentes operiunt eleemosynis, & reliquis charitatis officijs, hi nempè pænitentes iudicabuntur discusionis iudicio, & saluabuntur. Quibus iudex veniens, dicit: *Esuriui, & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere.* Matt. 25.

3. Iudicabũtur & damnabuntur, obdurati. Tertius ordo eorũ erit, q. Christianę fidei initiati mysterijs, opera fidei exercere non curant, ac fidẽ sine operib. habent, nẽpè Christiani impœnitentes qui iudicabuntur ac dãnabũtur. Quib. dicetur, *Esuriui, & nõ dedistis mihi mãducare, sitiui, et nõ dedistis mihi bibere.*

4. Damnabuntur & non iudicabuntur infideles. Postremus ordo illorum erit, qui fidem recipere noluerunt, & qui à semel susceptà per apostasiam resilierunt, & infideles gentiles, Iudęi, hęretici, qui non iudicabuntur discussionis iudicio, & nihilominus damnabũtur. De quibus ait regius Psaltes: *Non resurgẽt impij in iudicio.* Resurgẽt enim infideles omnes

omnes ad tormentũ. non ad iudiciũ discus- Psalm. 1.
sionis aut examinationis, q̃a nulla opus erit
in eis examinatione. Rationẽ addens Chri-
stus: *Qui autem non credit*, ait, *iã iudicatus est*, Ioan. 3.
quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei. I-
taq; vt Paulus concludit: *Qui sine lege pecca-* Roman. 2.
uerunt, sine lege peribunt. Quia enim regis cha
ractere caruerunt, neque de familia eius fue-
runt, sine aliqua discussione vel mora rapiẽ-
tur in ignem æternum. Et hos quatuor ordi
nes Christus in duas turmas discernet, vnam
ad dextram, alteram ad sinistram, vt infrà la
tius dicemus. Hactenus ergò B. Gregor. lib.
Mora. vt suprà. Diximus hesterno die, pau-
lò ante medium sermonis, secũdum hoc no-
uissimũ nempè iudicium, quod iam tracta-
mus, quatuor nobis commemoranda propo
nere, quæ quia illîc non enumerauimus, iam
commodum ostendemus. Primò varia Dei
iudicia tam in pręsenti, quàm in futura vita
ac futuræ vitæ aliud esse particulare, aliud
vniuersale. Secundò quædam esse, quæ vni-
uersale iudicium præcedent, quædam quæ
concomitabuntur, quædam quæ consequen
tur. Tertiò, cur illud iudiciũ sit timendum.
Quartò, qui sint fructus memoriæ iudicij.
De primo scilicet, de varietate iudiciorum
Dei in genere, nunc hesterno & hodierno
sermonibus dictum sit satis, iam ad secundũ

transſeamus, vt ex ordine de quatuor illis, quæ in ſecundo nouiſsimo tractandæ ſunt, rebus clarius ediſſeramus. Signa quæ iudicium vniuerſale præcedunt, permulta ſunt, è quibus primum eſt peccatorum grauitas & generalitas, de quibus etiam ſuo tempore Dauid ſcribens ait: *Saluum me fac deus quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum, vana loquuti sũt vnuſquiſque ad proximum ſuum, labia doloſa in corde, & corde loquuti ſunt.* Quod ſi tunc fiebat ſub regno Dauidis, ſanè multò ampliùs ſucceſſu temporis incrementum ſumpſere peccata: quamobrem dixit Oſeas: *Audite verbum Domini filij Iſraël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ, non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Sub finem verò ſæculi ad ſummum crimina peruenient, teſte Chriſto, qui ait: *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcit charitas multorum.* Cuius rei & Timothæum ſuum diſcipulus Paulus commonefaciens: *Hoc ſcito* inquit, *quod in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione,*

[Margin notes: Præcedẽtia iudicium vniuerſale. 1. Peccata. — Pſalm. 11. — Oſeæ 4. — Matth. 24. — 1. Timot. 3.]

ne, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, ſpeciem quidem habentes pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Quod etiam B. Bernardus clariùs longè pòſt deplorauit: Heu mi Domine, inquiens, Ieſu Chriſte iuſtitia receſsit à regibus & principibus, lex dei & zelus à prælatis & ſacerdotibus, obedientia à monachis & religioſis, ſanctitas & deuotio à clericis, fides à populo, fidelitas à coniugatis, verecundia à mulieribus, timor & reuerentia à iuuenibus, humilitas à pauperibus, miſericordia à diuitibus, ſapientia à ſenibus, bonitas ab artificibus, quid ergo reſtat amplius niſi vt veniat antichriſtus, & totus finiatur mundus? Sed finem de his facio, quia eiuſmodi querimoniarum & plenę ſunt ſacræ litteræ, & ſanctorum Eccleſiæ Doctorum libri.

Secundum ſignum antecedens, mundi 2.Fames.
ſeu Babylonis ruinam, erit in cunctis rebus & frugibus ſumma caritas, fames, ſterilitas. Ita enim per Prophetam Deus populo ſuo peccanti, tanquam vxori adulteræ minatur repudium: *Neſciuit*, inquit, *quia ego* Oſeæ-2.
dedi ei frumentum, vinum, & oleum, & argentum, & aurum multiplicaui ei: idcircò conuertar & ſumam frumentum meum in tempore

 ſuo,

suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius, & reuelabo stultitiam
2. Reg. 24. *eius*. Quod manifestum fecit Dominus, quum Dauid rex superbia peccasset numerando populum; adfuit enim mox *Gad propheta qui optionem ei dedit, vel septennalis famis vel trimestris fugæ ab hostibus, vel triduanæ*
Matt. 24. *pestilentiæ*. Sic & sub finem mundi ante iudicium prædicit nobis CHRISTVS: *Et erunt, inquit, pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca.*

3. Bella. Tertium antecedens erit inundatio bellorum gentis contra gentem. Hoc multis antè sæculis futurum prædixit, ex imo pe-
Hier. 9. ctore suspirans vates: *Quis dabit, inquit, capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte; interfectos filiæ populi mei.* Et ibidem subinde: *Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Quis vnquam audiuit in vna vnius vrbis subuersione tot millia hominum cecidisse, totque millia capta esse, atque legimus de excidio Hieroso-
Ioseph. li. 5 lymitano per Titum & Vespasianum, vbi numerus occisorum vndecies centena millia, captiuorum autem infra annos septemdecim

decim supra nonaginta millia, præter sexies centena millia cadauerum, quæ tempore obsidionis fame extincta sunt. Si ad eum modum bello periit Hierusalem, *quia occidit Prophetas, & Dominum prophetarum*, quid sub finem mundi fiet, quando indicibilis innocentum sanguis effunditur. Quapropter & hoc signum futuri iudicij nobis Christus prædixit: *Surget*, inquit, *gens contra gentem, & regnum aduersus regnum*. Et alibi: *Tradet frater fratrem in mortem. & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient, mater in filiam, & filia in matrem, et socrus aduersus nurum suam, & nurus aduersus socrum. & inimici hominis domestici eius*. Sed quia hæc toto nostro orbe Christiano satis experimur, transeamus ad alia. Matt. 23. Matth. 24. Matt. 10. Luc. 12.

Quartum signum erunt noua, inaudita, & immedicabilia morborum genera, quæ ad humanæ miseriæ pelagus adijciuntur. Refert Plinius Græcos, & Arabes medicos ante bis mille fermè annos collegisse plusquã trecenta morborum genera, quibus id tẽporis hominum genus subindè corripiebatur, cæterùm, si nouas quotidie subnascẽtes iam species numerarent medici, & in inuentariũ redigere vellent; dij boni quã esset infinitus morborum numerus? quot febrium species, 4. Morbi.

quot hydropis genera, quot veneficiorum modi? sed quid opus est multis? *Super quo*, inquit Dominus, *percutiam vos vltra, addentes*
Esai 1. *praeuaricationem? omne caput languidum, & omne cor mœrens: A planta pedis vsq; ad verticem non est in eo sanitas, vulnus & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Sed missas faciamus historias veteres & prophetarum vaticinia, veniamusque ad contagiones nostro sęculo
Morbus gallicus natas. Nónne anno post natum Christum. M D vicesimo octauo morbus francicus vel
Morbus sudoriferus Neapolitanus (quem poccas vocant) antea incognitus oriri cœpit; nónne anno sequenti, morbus sudoriferus primùm existere vi-
Exod. 9. sus est. Et alia multa pestis genera, sicut *olim in decem plagis Ægypti fuerunt*, nunc tam in homines, quàm in bestias renasci videntur. Sed ad alia sæuiora quoque signa properemus.

5. Terręmotus. Quintò antecedent etiam generale iudicium terræmotus frequentes & inopinati. Terra omnium alma parens est quæ nos natos excipit, nutrit, educat, morientes denique in visceribus suis tanquam in lecto recondit, donec nos deus noster euocat ad tribunal suum, eadem tamen omnia venena & virus vniuersum, quibus hæc vita nostra impetitur, profert: & tremore suo plurima dat

ma dat damna mortalibus. Terræmotuum
autem formæ traduntur quatuor. Siqui- Vide Theatrum vitę humanæ Basilien.
dem aut Palmatiæ sunt, qui humum mole-
stius suscitantes, sursum propellunt imma
nissimas moles, vt quum in Asia emersit De
los. Aut Sismatiæ siue σεισματίαι, qui limes
& obliqui ruentes, vrbes ac montes quo-
que deuoluunt in planum. Aut Chasmatię,
qui motu grandiore patefactis, subitò vo-
raginibus terrarum partes absorbent. Sunt
postremò, qui de mugitus ratione vocan-
tur Mycematiæ, & sonitu audiuntur mina-
ci, quum dissolutis elementa compagibus
vltrò assiliunt, vel relabuntur considenti-
bus terris. Tunc enim velut taurinum e-
rumpere boatum, fremitus fragoresq; ter-
renos necessum propè est. Eiusmodi terræ- Cœlius
motibus, & terrę hiatibus regiones, vrbes, et lib.30.
mõtes cõcussi, euersi, & absorpti sunt, vt plu ca.27.
rimæ docẽt historiæ ꝓphanę. Sed omissis il- Num.16.
lis veniamꝰ ad sacras. Legimus *in seditiõe Cho*
re, Dathan, & Abyron Mosen dixisse suis: Re-
cedite à tabernaculis hominum impiorũ ne inuol
uamini cum eis &c. Confestim igitur vt ces-
sauit loqui, dirupta est terra sub pedibus eo-
rũ, & aperiens os suum, deuorauit illos, cum
tabernaculis suis, & vniuersa substantia eo-
rum, descenderuntque viui in infernum,
ducenti quinquaginta viri, qui offerebant

incensũ nouæ religionis. Et poſtridie denuò murmurãte omni multitudine filiorũ Iſraël dixit Moſis ſuis, *Recedite, &c. & percuſſi ſunt quatuordecim millia ſeptingenti, ita vt orarent Moſes & Aaron, qui obtulit thymiama ſtans inter mortuos & viuentes, ceſſauitq; plaga.* Terræmotus item erat horribilis per totam vrbem Hieroſolymorum ſub rege Ozia, de quo meminit Propheta: *Et fugietis*, inquit, *ſicut fugiſtis à facie terræmotus in diebus Oziæ*
Zach.14. *regis Iuda, & veniet Dominus Deus meus, & omnes ſancti eius cum eo, & erit dies vna, quæ nota eſt domino, non dies neque nox.* Et quando hoc, ó bone vates? tunc nempè, quando vt
Amos 8. alius Propheta dicit, *Occidet ſol in meridie.* Hoc cõpletum eſt tempore paſsiõis Chriſti, alio ſiquidẽ tempore ſol ſemꝑ occidit veſperi, ſed tunc *tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam*
Matth. 27. *terram à ſexta vſque ad nonam horam*, hoc eſt. à meridie vſque ad tempus veſperarum, tũc enim petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, ita vt centurio viſo terræmotu diceret, verè filius Dei erat iſte. Et ne longè exempla petantur, in ore adhuc omni populo eſt terræmotus, qui per Longobardiam
Ferraria tremit, anno 1570. in ducatu Ferrarienſi & maximè in oppido Ferrariæ, accidit anno poſt Chriſtum natũ, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo à deci-

decimo ſexto die Nouembris de manè ſub horam ſecundam, qui tredecies ſeſe remiſit, & denuò cœpit ab ea hora vſque ad ſolis exortum, & nonies ab ortu ſolis vſque ad occaſum. Cæterùm poſt ſolis occaſum terra multò maiore agitatione tremuit, adeò vt omnes excurrerent domibus, & poſt horam denuò mugitus horribilis, & ſibilus nonnũquam tenuior diutiſsimè exauditus ſit, atq; poſt quadrantem horæ (proch horrendum & terribile factum) auditur per totam ciuitatem fragor domorum, & murorum terræmotu egerente fundamenta domorũ & turrium, & hiatu abſorbente arces, palatia, ędes ſacras, monaſteria, turres, ita vt nemo non nouiſsimum vniuerſalis iudicij diem adeſſe crederet. Neq; tamen ita finis erat, ſed quotidie ferè terra adhuc mouebatur, & triceſimo die Nouembris ſub octauam horam veſperi, iterum maximus erat terræmotus eadem in vrbe, & lunæ color totus erat ſanguineus, & meteorum in aëre viſum eſt brachij humani tenentis gladium, cuius cuſpis terræ imminebat. Quantus igitur pauor erit ſub finem ſęculi, quando corruẽt ædificia omnia, collidẽtur & petrę mutuò, quando *oĩs vallis* Eſai. 46.
implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & aſpera in vias planas. Et ecce, inquit Iob, Iob 26.
ex

ex parte dicta sunt viarum (id est, operum) *eius, & quum vix paruam stillam sermonum eius audierimus quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Tunc enim implacabiliter furor Domini succendetur contra iniquos,
Apocal. 6. adeò vt dicturi sint montibus & petris: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ eorum.* Audiamus nunc alia.

6. Meteora Sextò, antecedent etiam varia diem iudicij in cœlo & elementis horrendaque signa,
Luc. 21. de quibus Christus ait: *Erunt signa in sole, & luna, & stellis.* Quænam verò ea futura sint,
Matth. 24. apud Matthæum dicit: *Statim,* inquiens, *post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.* Et adhuc clarius enarrat B. Ioannes.
Apocal. 6. *Ecce,* inquit *terræmotus factus est magnus, sol factus est niger tãquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cælo ceciderunt super terram,* hæc inquit Ioel, *omnia fiẽt*
Ioël. 2. *antequam veniat dies domini magnus & horribilis.* Sed omittimus quæ acciderunt *in sole et*
Iosue 10. *luna, quando Iosue liberaturus obsidione Gabaonitas*, à quinque regibus obsessos, dixit, *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. Steteruntque sol & luna donec vlcisceretur se gens Israël de inimicis suis, & non festinauerunt occumbere spatio vnius diei.* Taceo etiam

etiam quomodo ſol in ſignum ſanitatis, & reualeſcentiæ, quam Eſaias *Ezechiæ ægrotanti prædixit, reuerſus ſit retrorſum decem gradibus ſeu lineis in horologio Achab.* Tranſeo itē, cuius paulò antè memini, quomodo ſol obſcuratus ſit, non per ecclipſin naturalem, ſed virtute ſupernaturali in acerbiſsima domini noſtri paſsione. Sed venio ad præſentis noſtri temporis meteora, quando etiam nobis Dauid dicere poteſt: *Miſit ſigna & prodigia in medio tui Aegypte:* Anno ſiquidem poſt Chriſtum natum, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Nona Nouembr. die Dominico veſperi ſtella noua quaſi alter Phoſphorus, ſeu lucifer, aut ſtella Veneris quæ ſtare ſemper viſa eſt ſuper rectam lineam inter Cepheum & Caſsiopeā, & Pleiades ſeu aſtrum ſeptem ſtellarum, non lōgè à coxa Vrſæ maioris apparuit. Venerat autē luna ad eundem locum in circulo Zodiaci, quando in Iunio eiuſdem anni ecclipſin paſſa eſt exiſtens in tertio gradu Capricorni, ad quem nunc Mars planeta dominus eiuſdem ecclipſeos vt peruenit, & luna cum capite Draconis ſe cōiungente, cum Iouis & Veneris congreſſu, ſubitò hoc lumen ſtellæ nouę apparuit, quę lumine ſuo ſtellas oēs fixas, imò & pleroſq; errones ſuperauit. Quin & aduſq; Calendas Februarias proximas eodē loco

4. Reg. 20. Eſaiæ 38.

Pſalm. 134.

Stella noua anno 1572.

loco & lumine conſpecta eſt. Neque conueniebat inter mathematicos, an ſtellam communem an cometem eandem eſſe iudicarét, nos autem fatemur eſſe lumẽ inſolitũ, quod Deus mortalibus oſtendit vt prona quum ſpectent animantia cetera terram nos in ſublime leuemus oculos & phenomenon nouæ ſtellæ intellegamus prænuncium eſſe futuri aliquando vniuerſalis iudicij. Sicut anno ſeptuageſimotertio octauo Ianua. in oppido Louanij & aliquot alijs locis ſubitæ exundationes aquarum in panolethriam, atque generalem deſtructionem ædium & ciuium coniuraſſe videbantur. Rurſum, anno ſeptuageſimo quinto an ne lætum erat ſignum in Septembri pridie Diui Michaelis, dum media nocte in prima quadra Lunæ regis Hiſpaniarum exercitus per Gubernatorem ſuum dominum Ludouicum Requeſenum ex terra ſanctę Annæ apud Zelandos celocibus trãſuectus in Philippilandiã, pedeſtri itinere per mare traducebatur in Duuelandiam, quando ſuper exiſtentem adhuc in Annelandia Gubernatorem circulus albicans, circũpoſito nigro, in aëre apparuit, &. proficiſcentibus militibus apparuerunt multi radij in tribus diuerſis aëris locis ſupra mare, quaſi per amplas aëris rimas emiſsi. Quid hoc fuit aliud quàm ſimile quid ei quod filijs

Inundatio anno 1573.

Traductio militum per mare zelandicũ anno 1575.

lijs Israel contigit, quibus dominus ad osten dendam viam *per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis apparuit*. Par omnino signũ fuit, nisi quòd illud antiquitate maiorem sibi fidem comparauit. Hæc & similia Deus signa fieri permittit, vt magnum malũ malis futurum annuncient, sicut *Pharaonem & exercitum eius proiecit in mare filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio eius*: deinde vt ostendant *creaturæ se armatas esse ad vltionem inimicorum*: atque ita dolorẽ nobis incutiant, & peccatores ad pœnitentiam incitent, iuxta illud Dauidis; *Imple facies eorum ignominia et quærent nomen tuũ domine*. Ad hæc in varijs creaturis signa nobis ostẽdit, vt illę eędẽ ostendãt sese miseriæ nostrę cõpati. Imò vt & nos accusent qui sumus illis abusi; vtq; cõsolationẽ bonis afferãt, quia ꝓpè est eorũ saluatio: & vt iram dei quãta sit, manifestẽt. Nam, teste Chrysostomo, patre familias moriente domus turbatur, familia plangit, & nigris se vestibus induit: sic humano genere (propter quod facta sunt omnia) circa finem constituto, cœli ministeria lugent, & candore deposito tenebris induuntur. Largiatur nobis Deus, vt signa omnia tã fausta quàm infausta intelligere queamus ad ipsius gloriam, & animarum nostrarum salutem æternam, Amen.

Exod. 13.
Exod. 15.
Sapien. 5.
Psal. 82.
Super Matth.

IX

Ecclef. 7.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET.

CONCIO X.

Quæ signa particularia vniuersale iudicium præcedent.

Signa iudicij communia.

QVid vniuerſale iudicium,& quot hominũ ordines ad illud conuenient, prę tereà quęnã ſigna inprimis communia illud præcedent, nempè maxima peccatorum grauitas,& intolerabilis omnis annonæ caritas, agrorum ſterilitas,& fames, bellorum horrenda rabies, noua item & immedicabilia tam in hominibus,quàm in beſtijs morborũ genera, terræmotus quoque terribiles,& varia in cælo atque elementis ſigna, quæ tam ad perterrefactionem malorum, quàm ad conſolationem bonorum hominum Deus fieri permittet, pridiano ſermone docuimus, nunc reliqua particularia magis ſigna, quæ futurum vniuerſale iudicium propinquiùs antecedent,declarabimus,quod vt felicius ſuccedat,diuini ſpiritus(qui in virginem Mariam deſcendit)præſidium inuocate, & vnà mecum eandem virginem ſalutate,dicentes:

AVE

AVE MARIA.

Iam ex his quæ propius, generale iudicium antecedent, primum signum erunt innumeræ, nec antea repertæ hæreses in fidei dogmatibus cunctis. Valde grauiter delinquit qui peccat in charitate & bonis operibus contra proximum suum, sed multò grauissimè & sceleratissimè offendit, qui in fide labitur & pertinaciter certat contra Deum & eius diuinum verbum. *Si enim peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Deum quis peccauerit, quis orabit pro eo?* Quanti igitur tenentur criminis rei qui non tantum veterum imitatores errorum sunt, sed & hæreses quas nullus antè asseruit defendunt, & mordicus tenent? quarum hæreseω̃ν secula hæc nostra feracissima sunt. Nam vt à mirifico Eucharistiæ sacramento incipiam, omniumque sacramentorũ pręstantissimo, de quo tamen plurimæ sunt iam diu hæreses exortæ, nouum excógitauit inuentum & hæresim stupidissimã Martinus Lutherus, dicens. Hoc est corpus meum, id est, hic panis est corpus meũ, vt scilicet post consecrationem maneant panis & vinum, & sint etiam illic nihilominus corpus & sanguis domini; non aliter quam si sit Christi caro impanata, & sanguis vino circumfusus. Quin & alterius non minus pestiferi erroris

Signa particularia.

1. Hæreses nouæ infinitę

1. Reg. 2.

auctor est idem, asserens ad huius sacramenti sumptionem damnosam esse præparationem animi, per peccatorum suorum discussionem, & eorundem confessionem, omnes enim tales iudicium sibi manducare & bibere: sufficere autem si credant & confidant se gratiam ibi consecuturos. Martinus verò Bucerus, nequior præceptore discipulus, quem modò sequuntur Lutherani omnes, alium excogitauit errorem, cui obstinatissimè patrocinatur, dicens in Eucharistia corpus Christi non esse diutiùs, quàm quum eo vtimur, & proindè nunquam esse seruandam in altari Eucharistiam, & eos qui eam illic adorant, idololatras esse. Ioannes Caluinus ait, nos Christum sumere non in pane & vino, neque in eius speciebus contineri, & sic tam à Luthero, quàm ab ecclesia catholica dissentit, sed dicit, quando cœnam Dominicam vero pane & vino repræsentamus, & panem ac vinum sumimus, tunc nos fide nostra, tanquam catena Christum è cęlo deducere, atque ita nos verè realiter Christum sumere. Atque ita etiam ipse hæresis nouæ inuentor fuit. Iam si ad aliud veniamus sacramentum, nempè Baptismum, nouam inuenimus excogitatam hæresim, quæ licet cõcedit per Baptismum peccatum originale dimitti, negat tamen per illum omne pecca-

tum deleri. Quia baptiſmo ſuſcepto, manet concupiſcentia, vel carnis rebellio, quæ (vt huius hæreſeos auctores docent) ſit verè peccatum, quia eſt contra illud præceptum: Non concupiſces, vt ipſi putant. Huius hæreſis parens & primus auctor eſt Lutherus, quem ſequuti ſunt Bucerus, Melanchton, Brentius, & ſimiles.

Adhæc contra ſacramentum Ordinis ſiue poteſtatis conſecrandi corpus domini, & abſoluēdi pœnitentes, vnus eſt ex ꝑniciosiſſimis Lutheri erroribus, quo docuit omnes Chriſtianos eſſe ſacerdotes, & omnes Chriſtianos habere æqualem poteſtatem, nulla ſtatus aut ſexus diſcretione facta. Has & nōnullas alias ex ſe finxerunt hæreſes noſtri temporis hæreſiarchæ, pręterquàm quòd infinitas alias hæreſes olim damnatas ab orco reuocarunt, & in ijs confirmandis multò magis impij, quàm illorum primi auctores & patroni fuerunt. Videmus enim omnes coràm, quàm perfrictæ frontis ſint Lutherani, Caluiniani, Anabaptiſtæ, vt non vereantur etiam manifeſtiſſima quæque negare, quando illorum ſententiæ non conueniunt. Mihi autem refellere has aut ſimiles hæreſes, hîc non ſtat ſententia, ſatis eſt enim mihi docuiſſe, hoc ſæculum noſtrum impudentiſſimū, & maximè temera-

rium omnifariam hæreſεων feraciſsimum eſſe, quæ res indubiè ſignum eſt iudicij no-
1.Timot.4 uiſsimi diem magis magiſq; appropinquare. Nā ex hæreſi Paulus nouiſsimū diem prædicit diſcipulo ſuo Timotheo, ſcribens, *Spiritus manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcendent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi*
Matt.24. *loquentium mendacium.* Signum quoque con ſummationis ſæculi, hæreſes eſſe Chriſtus atteſtatur: *Videte,* inquit, *ne quis vos ſeducat, multi enim venient in nomine meo dicentes, ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent:* Et poſt pau ca ibidem: *Multi pſeudoprophetæ ſurgent & ſe- ducent multos, & prædicabitur hoc Euangeliū regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* Ex hære ſi enim mox oritur malum aliud nempè diſ- ceſsio, quæ eſt vicinius adhuc ſignum fini- endi mundi. Quænam autem ſit hæc, audi- amus.

2. Diſceſ- sio. Diſſeſsio hæc eſt nationū multarū à vera & catholica fide, à Rom. imperio, & à Rom. Pontif. ſeparatio, & clandeſtina primū, dein
2. Theſs.2. de manifeſta contra eoſdē rebellio. Defectio nem hanc etiam Paulus futurum prædixit: *Rogamus,* inquit, *vos fratres per aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti et noſtræ congregationis in ipſum, vt non citò moueamini a veſtro ſenſu, neque*

neque terreamini, neque per ſpiritum neque per ſermonem neque per epiſtolam, quaſi inſtet dies Domini, ne quis ſeducat vllo modo quoniam niſi venerit diſceſſio primum: &c. Pro vocabulo diſceſsio, gręca vox eſt apud Paulum ἀποςασία, id eſt, defectio ſeu rebellio. B. Auguſtinus legit: niſi venerit, refuga primùm. Et fatetur B. Auguſtinus illic locum illum totum obſcurum eſſe, & mirari ſeſe quoſdam qui ex leuibus coniecturis locum illum explicare conentur. Lactantius tamen, & B. Hieronimus in Danielem ſcribunt communem eſſe patrum ſententiam, quod hæc defectio tam à Romano imperio quàm ab Eccleſia Romana ſit intelligenda. Sanè Pōtificis Romani auctoritatem, cui antehac etiam hæretici plurimum tribuerunt, primum Lutherus ex profeſſo infirmare ſtuduit. Olim quidem (vt ſcribit Staniſlaus Hoſius) Conſtantius Imp. iunior Arrianus & cum eo Arriani omnes maximum in ſententia Romani Pontificis pondus eſſe iudicabant, quo vi & etiam pollicitationibus munerum pertrahæret liberium Rom. Pontificem, vt ipſe Athanaſij condemnationi ſubſcriberet. Tam ardenti deſiderio nitebatur inquit Ammianus Marcellinus, auctoritatę Epiſcopi ęternę vrbis firmare, quod am impletum eſſe ſciebat. Intelligebat enim

Lib.20. de ciui. ca. 19.

Lib.7. inſtitu. diuinarum.

Libello de loco & auctori. Rom. Pont. ad Staniſlaū Orechouium.

Ammianꝰ Marcellinꝰ

nim irrita fore omnia, quæcunque acta ab alijs fuissent, nisi Romani Pontificis consensus accessisset. Sed Lutherus, teste Cardinale Hosio, quum Leo decimus Roman. Pontifex diu frustrà eum monuisset, & tandem excommunicaret, hoc est, è cœtu piorum eijceret, ex quo iam antea ipse se eiecerat, rationes omnes suas eò conferebat, vt Rom. Pontificatum de gradu suo deiectum, omni eundem auctoritate nudaret. hinc præclarum, si Deo placet, versiculum hunc fecit:

Hosius in confutat. prologomenon Brētij in principio.

Pestis eram viuens, moriens ero mors tua Papa.

Neque enim, teste B. Cypriano martyre ad Cornelium Papam, aliundè exortæ sunt hęreses, aut nata sunt schismata, quàm inde ꝙ sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur, cui si secundū magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quidq̄ moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coëpiscoporum consensum, iudicem se nō iam Episcopi, sed Dei faceret. Hæc Cyprian. Et certè qui ab auctoritate sui Pont. Maximi ꝑtinaciter discedit ac repugnat, audiet Christum dicētem ad ipsum: *Qui audit vos, me audit, & qui vos spernit, me spernit, qui autem me sper-*

Lib. 1. epist. epistola 1.

Lucæ 10.

spernit, spernit eũ qui misit me. Sed quàm multi à vera fide, & ab obedientia sedis Apostolicæ discesserint, sicuti numeratu prorsus esset nobis impossibile, ita multò plures, imò propemodum omnes sub finem seculi discedent attestante Christo: *Filius*, inquit, *hominis veniens, putasnè inueniet fidem in terra?* Iã Romanum imperium quantum sit accisum res ipsa docet, teste Daniële, *qui quartam bestiam seu monarchiam*, hoc est, Romanum imperiũ, *vidit primùm habere cornua decem*, id est, decẽ potentissima regna, quibus olim solus Imperator Romanus præerat, scilicet Italia, Hispania, Gallia, Germania, Illyricum, Gręcia, Africa, Aegyptus, Asia, Syria, quibus etiam adiungi possunt vtraque, Pannonia, nempè Austria & Hungaria. Sed (vt eleganter quidam huius æui in Daniëlem scriptor annotat) vbi primùm labascere cœpit imperium, primùm est diuisum in duo, sic vt duo essent Imperatores, quorum vnus Orientalis appellabatur, qui Constantinopoli agebat; hæc Byzantiũ antè vocabatur, sed Constantinus Magnus Imper. ex ruinis eius nouam vrbem ędificauit, ad formã, magnitudinem que ac splendorem veteris Romæ, propterea que nouam Romam ipse appellauit; sed vulgus eo nomine relicto Constantinopolim vocauit. Alter Imperator Occidentalis

Lucæ 18.

Daniel. 7.

Iacobus Veldius.

dictus est qui Romæ sedem habuit. Sed succeſſu temporis, vt eſt in Daniele, tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie beſtiæ, & cornu paruulum exortum eſt de medio eorum. Nam tempore Heraclij Imp. anno ſexcenteſimo trigeſimo primo Saraceni, aut verius Agareni, duce Mahumeto Arabe primum Perſas (quos paulò antè ſuperarat Heraclius) deinde Aegyptum, Syriam, & oram Ciliciæ, aliaſque Orientis regiones ab obedientia Romani imperij diſcedere fecit. Quãta verò deceſsio poſtmodũ facta ſit à Rom. imperio, & acceſsio ad Mahumetanum imperium, in quo nunc dominatur Turcarum Imperator, nemo neſcit Nam & patrum noſtrorum memoria perierunt nobis Imperium Conſtantinopolitanum, & regnum Rhodi: quin & iam noſtro tempore Africæ vltimum dominium, regni Tunetani nempè Guletta, atq; (eheu) anno M. D. ſeptuageſimo primo vniuerſum Cypri regnum. Vſque adeò, vt duæ partes mundi, multò maximè Africa, & Aſia vtraque maior & minor diſceſſerint à Roma. Imperio. Et inſuper tertia Europę pars in magno verſatur periculo, quia magnam quoque in ea partem habet. Et niſi quorundam principũ, Imp. Electorum, animi qui dudum per hæreſim ab exprompta Rom. Eccleſiæ, & etiam

Guletta excisa.
Cyprus capta.

am Romani Imperatoris obedientia desciuerunt, ad concordiam redeant. breui quoque Germaniæ metuendum erit. Adeò enim inualescit hoc cornu paruulum, quòd, vt ait Daniel, os habeat loquens ingentia, superbia enim eius adscendit semper. Quin & Lactantius vastitatis & confusionis huius meminit, dicens: Romanum nomen, quo nunc regitur orbis, horret animus dicere, sed dicam quia futurum est, tolletur de terra, & imperium in Asiam reuertetur. Verùm ne Lactantij vaticinium tanquam incertum vilescat, B. Ambro. in epistola B. Pauli ad Thessal. altera, cap. 2. non priùs, inquit, veniet Dominus, quàm regni Romani defectio fiat, &c. Sed ad alia signa diuinum illud nouissimum, iudicium, antecedentia porrò transeamus. Lib. 7. c. 15. Ambros.

Adhuc supradictis signis, vicinius est vniuersalis iudicij indicium aduentus Eliæ & Enoch. Nam priorem horum promittit nobis Dominus per Prophetam dicens. *Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem antequam veniat dies Domini magnus & terribilis*, vel (vt interpretati sunt septuaginta) illustris, *qui conuertet cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres, ne fortè veniens percutiam terram anathemate*, vel (vt transtulerunt septuaginta) penitus. Atque hoc idem cõfirmat Christus; 3. Prædicatio Eliæ & Enoch. Malach. 4.

N 5

ſtus, reſpondens diſcipulis ſuis: *Elias quidem*
Matth. 17. *venturus eſt primum, & reſtituet omnia.* Quem
Marc. 9. admodum enim Ioannes Baptiſta in ſpiritu
& virtute Heliæ præcurſor eſt prioris ad-
uentus Chriſti, ſic quoque Elias ipſe in cor-
pore ſuo præcurſor poſterioris aduentus e-
Inſtitutio- num diui. li. 7. ca. 17. rit. Qua de re Lactantius ille Firmianus:
Sed planiùs, inquit, quomodo id eueniat, ex
ponam. Imminente iam temporum conclu-
ſione, propheta magnus mittetur à DEO,
qui conuertat homines ad Dei agnitionem,
& accipiat poteſtatem mirabilia faciendi, v-
bicunque non audierint eum homines, *clau-*
3. Reg. 17. *det cœlum, & abſtinebit imbres*, & aquam con-
uertet in ſanguinem, & cruciabit illos ſiti ac
fame: & quicunque conabitur eum lædere,
4. Reg. 1. *procedet ignis de ore eius, & comburet illum.*
His prodigijs atque virtutibus conuertet
multos ad DEI cultum. Hæc Lactantius.
Sed quiſnam alter erit, non ſcribit Lactant.
Deuter. 19. Et tamen æquum fuerit, vt *in ore duorum vel*
Matth. 18. *trium teſtium ſtet omne verbum.* Vel maxi-
mè quum Beatus Ioannes in ſua Apocalyp-
ſi duos fore teſtes, diſertè dicat ex perſona
Apocal. 11. Chriſti. *Et dabo,* inquit, *duobus teſtibus meis*
& prophetabunt diebus mille ducentis ſexagin
ta (hoc eſt, tribus annis cum medio) *ami-*
cti ſaccos. Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candela-
bra in conſpectu Domini terræ ſtantes. Et ſi
quis

quis voluerit eis nocere, ignis exibit de ore illorum, & deuorabit inimicos eorum. Et si quis eos voluerit lædere, ita oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinē, & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint. Ansbertus presbyter in Apocalypsim ante septingentos ferè annos ad Stephanum Pontif. Romanum scripsit in hæc verba: Victorinus, inquit, hoc in loco duos testes Eliam vult intelligi & Ieremiā. Et quidem quantum ad speciem de vno verum sentit, de alio autem minimè. Nam *Eliam Dominus venturum prædicit*, de Ieremia verò nusquam tale aliquid legimus. Dicit enim præfatus vir, & (vt debitam ei venerationem exhibeamus) martyr Dei, non autem ideo venerandus quia tale sensit, sed ideò quia ad coronam martyrij peruenit, dicit inquā, quia mors Ieremiæ in scriptura sacra non reperitur, & quia prophetam in gentibus eū Dominus posuit, ille autē nondum ad gentes missus fuerit; idcircò ipsum cum Elia venturum credi debere, vt ecclesiā gentiū contra Antichristi fidem roboraret. Cui seruata martyrij reuerentia (martyr enim est Christi) è contrario nos dicimus, quia si mors Ieremiæ in scriptura sancta nō inuenitur,

Ambrosius cognomine Ansbertus Gallus.

Matt. 17.

nitur, omninò nec aſſumptio vel tranſlatio declaratur. Et non ſolùm vni, verumetiam multis gentibus tunc ventura mala prophetaſſe, Edom ſcilicet, Moâb, Tyro, Sidoni, Philiſtijm, Aſcaloni, Gazæ, Accaron, Azoto, Ammon, Arabiæ, Elam, Mediæ, Aegypto, Idumeæ, & Damaſco. Ergò propter neutrum horum Ieremias venturus, cum Eliâ poteſt veraciter aſtrui. Hieronymus verò atque Gregorius Pontifex Rom. cum præfato Elia Enoch venturum teſtantur. Hæc Ansbertus. qui quia neque Hieronymi, neque Gregorij verba profert, fortaſsè curioſo Lectori non ſatis facit. Agedum ergo nos

In Pſal. 20. ea citemus. *In reliquijs tuis præparabis vultum eorum*, hoc eſt, inquit B. Hieronymus, per Eliam & Enoch credituri ſunt in finem: Præparabis vultum eorum, ad te credentium,

Malach 4. iuxta illud: *Vt conuertat corda patrum in filios*. Fuſius hac de re B. Auguſtinus loqui-

Li. 1. de mirabilib. ſac. ſcript. ca. 3. tur in hanc ſententiam: Primus, inquit, Abel totius humanæ iuſtitiæ princeps, & ſecundus poſt eum Enoch inſigniſsimus ante diluuium eliguntur, quibus ſumma iuſtitiæ in ipſo initio mundi, & in fine committitur. Vnus enim ſtatim in iuſtitiæ ſuæ initio, in ipſo mundi principio ſanguinis ſui tripudio coronatur. Alter adhuc ſine morte in teſtimonium nouiſsimi temporis reſeruatur.

Et

Et infra paulò: Enoch verò sine morte per totius pæne sæculi tempus remotus ab hominum conuersatione custoditur: Et post pauca: Sed licet longo seruatus tempore adhuc viuat, mortis tamen debitum, quod omnes in Adam sumpsimus, vitare non poterit. Et idem B. Augustinus alio in libro: Neque enim, ait, Enoch & Elias, per tam longam ætatem senectute marcuerunt, nec tamen credo illos iam in illam spiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in domino prima præcessit, nisi quia isti nec his cibis egent, qui sui consumptione reficiunt, sed ex quo translati sunt, ita viuunt, vt similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ & collyrida panis sine cibo vixit, aut (si & his sustentaculis opus est) ita fortasse in paradiso pascuntur, sicut Adam, priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim quantum existimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem. Hinc sententiæ etiam diuus Gregorius subscribens, Hinc est, inquit, quòd duo illi prędicatores eximij, dilata morte subtracti sût, vt ad prædicationis vsum in fine reuocentur. Sed eo loco vnius duntaxat nomen ex-

Li.1. de pecca. meritis, & remissione, ca.3.

L.9. Mora. ca. 4. in 9. cap. Iob.

alterius nomen subticet; propterea denuò
Lib.14. Moral. ca.12.in 18. cap.Iob. vtriusque meminit postmodum his verbis:
Tunc verò contra eum (Antichristum) certamen iustitiæ & nouissimi electi habere narrantur & primi: quia & hi qui in fine mundi electi reperiuntur, in morte carnis prosternendi sunt, & illi etiam qui à prioribus mundi partibus processerunt, Enoch scilicet & Elias, ad medium reuocabuntur, & crudelitatis eius sæuitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt. Contra hæc aperta testimonia quidam contendunt, *Eliam & Mosen hos esse duos testes venturos, quia hi cum*
Matth.17. *domino in transfiguratione discipulis apparuerunt*. Sed his respondendum est, *Mosen* nusquam amplius esse in mortali corpore, sed *mortuum esse super montem Nebo in terra Mo-*
Deut.34 *ab, iubente domino, qui sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem. Moses centũ et viginti annorũ erat quando mortuus est, nõ caligauit oculos eius, nec dẽtes eius moti sunt. Fleueruntq́; eũ filij in campestribus Moab triginta diebus.* Diabolus verò conatus est Mosis sepulchrum & corpus Iudæis reuelare, vt illum videlicet tantum prophetam suum pro Deo adorarent, sed Michael archangelus, qui est princeps synagogę cacadæmoni restitit, & ne propria auctoritate vi-
Epist.Iudę apost.

dere-

deretur velle prohibere eum, atque ne blasphemus esset in Deum, si diuinam sibi potentiam arrogaret: *Imperet*, inquit, *tibi dominus, ne id facies*, vt Mosis cadauer reueles. Et his planè cognoscimus, Mosen nusquam esse in mortali corpore, sed cum patriarchis & prophetis mortuis in cœlo beatorum. *Sed Enoch trecentorum sexaginta quinque annorum existens traslatus est, & non apparuit, quia tulit eum Deus*; & Paulus Apostolus non solùm translatum, sed etiam viuere in carne designat dicēs: *Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inueniebatur, quia trāstulit eum Deus*. Ita & *Elias curru igneo per turbinem ascendit in cœlum*, & Elizæus non vidit eum amplius, cumque quinquaginta viri fortes quæsiuissent illum tribus diebus per iuga montium & auia vallium, non inuenientes eum, reuersi sunt. Manet ergo immota & vera sententia, quæ etiam ab Ioanne Damasceno recepta est, quòd mittentur Enoch & Elias Thesbites, vt conuertant corda patrum in filios, hoc est, synagogam ad Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, vt *quum plenitudo gentium intrauerit, tunc* iuxta vaticinium Pauli, *omnis Israel saluus fiat*. Cæterùm post horum prædicationem quodnam sequatur porrò signum audiamus.

Geneſ 5.

Heb. 11.

4. Reg. 2.

Libr. 4. orthodoxæ fidei ca. 27.

Per-

4. Antichristi persequutio. Persecutio Antichristi (quæ tribus annis cum dimidio duratura est) qui peractis operibus, nempè prædicationibus & miraculis supradictorum Prophetarum, orietur ex Syria, inquit Lactantius. Hic seducet Iudæos vocando se Mesiam, seducet & Gentiles ponendo statuas suas ab eis adorandas, quia per eas responsa dabit, seducet hæreticos cōtra eos disputando, & disputationibus suis in crassiores errores eosdem pelliciens, sicut & Lutherus fatetur se cum diabolo disputasse de Missa, & diabolum ostendisse ei Missam esse idololatriā, seducet iuuenes blādiendo eis, omnemque licentiam peccandi, furtis, comessationibus, impudicitijs alijsque sceleribus eis indulgens; seducet senes & alios quoscunque Catholicos Christianos, nempè probos tormentis, malos præmijs honorum & diuitiarum, seducet doctos sophisticis & falsis scripturæ locis, seducet simplices miraculis, & plerosque alios diabolicis præstigijs. Qua de re Dominus Iudæis prædixit: *Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me, alius veniet in nomine suo, & illum recipietis.* Itaque, teste Apostolo. *Antichristi aduentus erit secundum operationem sathanæ in omni virtute, & prodigijs, & signis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt, eò quod charitatem veritatis nō re-*

Li. 7. ca. 17.

In pestilenti libello de Missa angulari.

Ioan. 5.

2. Thes. 2.

receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus Apocal. 11.
operationem erroris, vt credant mendacio. Cùm verò finierint testimonium suum Enoch & Elias, bestia quæ ascendit de abysso (Antichristus) *faciet aduersus illos bellum, & vincet eos, & occidet eos; & iacebunt corpora eorum in platea ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus* (scilicet Hierusalem) *vbi & Dominus eorum crucifixus est. Et videbunt quidam è populis, tribubus, & linguis, & gentibus corpora eorum tribus diebus & dimidio, & corpora eorum* (ad maiorem contumeliam) *non sinent poni in monumentis. Et inhabitantes terram* (peccatores) *gaudebunt super illis & iucundabuntur, & munera mittent inuicem, quia hi duo Prophetæ cruciauerunt eos qui habitant super terram. Et post tres dies & dimidium, spiritus vitæ à DEO intrauit in eos, & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos,* (ita vt resipiscere inciperent.) *Et audierunt vocem magnam dicentem illis: Ascendite huc, & ascenderunt in cælum in nube, & viderunt eos inimici eorum.* Hactenus ex Apocalypsi. Cui ordine historico videtur subiungendum, quod habet Paulus, quòd tunc *homo ille peccati, filius perditionis, iniquus ille, qui aduersatur & extollitur super omne quod dicitur DEVS, aut* 2. Thessal. 2

O quod

de Antichristo plura inuenies apud Ioannem Viguerium, titulo de iudicio generali.

quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, etiã ad instar Christi, & horum eius Prophetarum conabitur eleuatis manibus ferri in cœlum, sed, vt Simon Magus idem facturus, tempore Apostoli Petri cecidit, ita & Antichristum *Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui*, & quando Antichristus *inter duo maria super montem inclytum & sanctum* (videlicet Olиueti) *figet tabernaculũ suum, corruet, & nemo auxiliabitur ei.* Itaque à tempore quo ablatum fuerit iuge sacrificium, hoc est, agnus matutinus, & agnus vespertinus qui significant sacrificium, quo Christus dietim offertur. qui est heri, hodie & in secula, & qui est agnus ille occisus ab origine mundi, quando Missa publicè nusquam celebrabitur, *sed abominabilis erit desolatio in loco sancto, templo videlicet Dei, dies erunt mille ducenti nonaginta*, hoc est, durabit illa constans vastitas annis tribus cum dimidio. Sed sequitur mox aliud signum consolatione plenum.

Daniel. 11. Daniel. 12. Exod. 29. Numer. 28. Daniel. 12.

5. status pœnitentię, ne pereant omnes quos ille seduxit Daniel. 12.

Sequentur enim quadraginta quinque dies adhuc antè finem mundi, prædicti à Daniele: Beatus inquit qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque: ecce ad illos mille ducentos nonaginta, si adijcias quadraginta quinque, inuenis mil-

le

le trecentos triginta quinque, ad quos qui peruenerint, beati erunt, quia illi peruenient ad pœnitentiam, quam & nobis largiatur in diebus noſtris, vt iuxta Apoſtolum, *operetur ea in nobis ſalutem ſtabilem* Deus, qui eſt benedictus in omne æuum, Amen. 2. Corin. 7.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET. Ecclef. 7.

CONCIO XI.

Concomitantia iudicium quædam hic declarantur.

DIximus heri quæ particularia ſigna interitum mundi mox anteceſſura ſint, nempè primùm horrendas & abominandas hæreſes, & ex his defectionem ſubſequuturam à fide catholica, à Romano Pontifice, & à Romano Imperio, deinde neceſſario ſucceſſuram prædicationem Enoch & Eliæ, qui reducant corda patrum in filios, & corda filiorum ad fidem patrum ſuorum: ſed Antichriſti dolos malos, & impias fraudes, atq; tandem apertã vim tot mortales decepturos. *vt niſi breuiati fuerint dies, non fieret ſalua oĩs caro.* Sed poſthec diximus dies, quadragĩtaqninq; hoĩm reſipiſcẽtię relictos iri. Nunc porrò de innouatione mũdi, & reliqs Matth. 24.

O 2 quę

quæ iudicium illud concomitabuntur, disserere fert animus. Verum enimuerò tam de his quæ hactenus diximus, quàm q̃ nunc proferemus, video mihi pronunciandum, quòd is, quem potißimum sumus in his sequuti, diuus Aurelius Augustinus ait: In iudicio vel circa iudicium has res dicimus esse venturas; Eliam Thesbiten, fidem & pœnitentiam Iudæorum, Antichristum persecuturum, mundi conflagrationem & renouationem, quæ omnia quidem ventura esse credendum est. Sed quibus modis, & quo ordine venient, magis tunc docebit rerum experientia, quàm nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi. Existimo tamen eo, quo à me commemorata sunt ordine ventura esse. Hæc Augustinus: Quem ordinem, quia & nos persequimur, diuinum imploremus auxilium, vt porrò benè sequi poßimus, & virginē salutemus deiparam, dicentes:

De ciuitat. dei, lib. 20. ca. vltimo.

AVE MARIA.

Innouabitur ergo mundus per ignem, finitis illis quadraginta quinque ad pœnitentiam concesßis diebus. Cæterùm sunt qui credant per hos quadraginta quinque dies post mortem Antichristi euentura specialiter, ea *signa*, de quibus loquitur Christus *in sole*

Ioan. Viguerius, tit. de iudicio generali.

le, & luna, & stellis, maximè quum apud Luc. 21.
Matthæum dicat, quòd *statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum mouebuntur*: Quod Matth. 24.
ipsos quoque Prophetas non latuit. Esaias Esai. 13.
enim dicit: *Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus, & iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea: quoniam stellæ cœli, & splendor earum non expandent lumen suum: Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo.* Cui concordat Ioël dicens: *Sol & luna obtenebrati sunt,* Ioël. 3.
& stellæ retraxerunt splendorem suum. Vidi, inquit Ioannes: *quum aperuisset sigillum sextum, & ecce terræmotus factus est magnus, & sol factus est niger tanquã saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cœlo ceciderunt super terrã* Quanquam enim nunc Apocal. 6.
ecclipses solis & lunæ certis temporibus, non simul, sed distinctim fiant (nam naturaliter secundum Astronomos nunquam vnà esse possunt. quum ecclipsis solis sit interpositio lunę inter solem & aspectum nostrum: lunæ verò ecclipsis sit interpositio terræ inter lunam & aspectum nostrũ) circa tamen diem nouissimum aduentus Christi, crebrius diuina virtute fient, & pręter solitum cur

ſum naturę,ſtellę cadēt de cęlo,ſicut videm9 nonnunquā fieri in exhalationibus è terra in aëre attractis, quæ circa diem iudicij creberrimæ erunt,accenſis. Hæc enim incendia exhalationum vi ſtellarum attractarum proxima erunt ſigna,imò & principia conflagrationis totius mundi. Quia in momento aduentus Chriſti ſol & luna non obſcurabuntur,quum tunc totus mundus ſit innouandus,iuxta illud: *Et erit lux lunæ ,ſicut lux ſolis,& lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum,in die qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui.* (Eſai.30.)

(6. Mundi totius innouatio.) Atq; ita demum ſequetur ſignum illud proximi in foribus iudicij cōflagrationis totius mundi,quæ ab ipſo mundi principio eſt hominibus pręoſtēſa. Scribit enim Ioſephus (Antiquita. Iud.l.1.c.4) filios Seth omnes bonos fuiſſe, & eos eſſe, qui diſciplinam rerum cęleſtium primi prędixerunt,& ne delaberentur ab hominibus, (Geneſ.5.) q̃ ab eis inuenta fuerant, quū prædixiſſet Adam exterminationem rerum omnium,vnā ignis virtute,alterā aquarum vi ac multitudine fore venturam,duas facientes colūnas, vnam ex lateribus non coctis,aliam ex lapidibus,ambabus quæ inuenerant,conſcripſerunt:vt ſi conſtructa lateribus exterminaretur ab imbri,lapidea permanēs pręberet hominibus ſcripta cognoſcere. Et lapidea ha-

ctenus,

ctenus, inquit Iosephus, in Syria permanet. Ecce in his scriptum erat, bis mundum esse interiturum, nempè diluuio semel, & semel igni. Quod ipsum in antiquis gentilium libris etiam scribitur. Inde est hoc Ouidij Nasonis, de Ioue loquentis: Lib. 1. Metamorph.

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cæli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Vnde & noster Bapt. Mantuanus, memini, inquit, me apud Petrum Aponensem, in eo libro qui Conciliator inscribitur, legisse, tépore diluuij generalis, planetas omnes sub aquatico piscium signo conuenisse, & conspirantibus astris in animaliũ perniciem cælũ coniurasse, fortè pari modo volunt aliquando futurũ, vt planetis omnibus in leone coniunctis (qui flãmigerantis est naturæ) virtus ignis supra modũ excrescens, cæteris elemẽtis, & cunctis animantib. moliatur interitũ. Sed quia hinc sequi videtur, diẽ illã ab astronomis posse ꝓuideri, vtpotè qui peritiã habeant motuũ cælestium, puto hunc admirãdum ac terribilẽ effectum non à cælo, sed à Dei voluntate pendere, quæ quũ sit etiã angelis & beatis inscrutabilis, ꝓsciri nullo modo datur. Nam discipulis interrogantibus responsum est: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ pater posuit in sua potestate.* (De patien. lib. 3. c. 30.) (Matth. 24. Marc. 13. Acto. 1.)

Lactãtius quidem Firmianus Chiliastarum
Li.7.c.14. seu millenariorum errori sese inuoluẽs, alle-
Psal.89. gans illud Psalmi: *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriјt*, sex milibus annorum dũtaxat mundum duraturum credidit. Cui concordat quod legitur in Talmud, Hebræorum filios prophetarum sub Elia dixisse: Sex mille anni fuere mundi, hoc est, mundo sunt assignati à Deo: duo milia vanitatis vel inanitatis, quia sine lege transierunt, duo milia legis, duo milia Christi. Eodem ferè modo lapsi sunt, Methodius, Tertullianus, Irenæus, Apollinarius, Beda, Eusebius. Sunt qui Cerinthum huius erroris auctorem faciunt, hominem qui ventris causa nihil non faciebat. Contra illos
Lib. de ciuitate Dei, 20. ca. 7. 8. & 9. antiquos Chiliastas scripsit etiam Augustinus, qui tamen & ipse aliquando se in hoc errore fuisse fatetur. Refert Mantuanus noster exemplum ridiculum manifestæ delu-
De patien. lib. 3 ca. 29. sionis ex eiusmodi prædictionibus enatum. Iustiniani imperatoris inquit, tempore circumferebatur oraculũ, quo dicebatur mundum cũm prole sua interiturum, quum ad Romanum imperium Aphrica redijsset, Et quum eodem tempore, Belisario duce strenuè rem agente redijsset, putabatur in foribus adesse iudicium. Subpauidi omnes arrectis animis circumspectabant, vnde confla-
gratio

gratio generalis erumperet In hac communi gentium ac populorum trepidatione, ac tumultu, pugnæ cuiusdam repentinus euentus cum summa omnium admiratione pænæ, ac risu, declarauit oraculum. Nam post receptam Aphricam, quum vellet idem imperator liberare à Gotis Italiam, ducem nomine Mundum (græcè Cosmus is dicebatur.) ad præclari id negocij misit cum exercitu, qui in ipsis Italiæ faucibus contra Gotos infeliciter pugnans, cum prole occisus est. Mox quum rumor increbuisset, Cosmũ ducem cum prole perijsse, vaticinio intellecto, timore iudicij functus, & liberatus est mundus. Vates ergo tales ignorantes, arrogantes, mendaces, leues, ridiculos, nugigerulosque esse, qui ex regulis Astrologicis statum aliquem iudicij diem prædicere conantur, euentus ipse probat. Sed contra diuinatricem illam Astrologiam, Ioannes Picus Comes Mirandulanus satis multa scripsit. Ioannes Picus contra Astrologos.

Sed vt eò redeat vnde digressa est oratio, quanquam dies certus non constet quo futurum est iudicium, hoc tamen certum est, mundum vniuersali conflagratione innouandum esse. Hoc enim attestatur rex & propheta Dauid, dicens: *Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Psalm. 96. Fiet autem hæc ipsa innouatio, partim qui-

dem propter ipsius hominis ibi habitaturi glorificationem, ac delectationem, partim propter creaturarum (quæ homini seruierant) remuneratione. Ea namq; loca in quibus enormia perpetrata sũt scelera, dicimus prophanata, & inepta; indignaque, in quibus res sacræ peragantur, nisi purgatione antecedente, quapropter reconciliantur etiam templa polluta vel sanguine, vel semine humano.

Titulo de consecrati on ecclesię & altaris.

Ad eundem planè modum, quia per innumera peccata hominũ, vniuersus mundus est denuò post ablutionem sui, aquis diluuij factam, coinquinatus, consequitur eundem indignum esse, qui glorificata hominũ corpora suscipiat, nisi prius lustrico igne totus expurgetur. Structuræ igitur vrbium, ędificiorum, ædium sacrarum, murorum & mœniorum, totaq; pulchritudo huius mundi, & reliqua accidētia, motus item orbium cælestium, vicissitudines temporum & partium anni, hyemis, veris, ęstatis, & autumni prouentus frugum & segetum, generationes atq; corruptiones rerũ quas profert hæc humus, non erunt deinceps. Vt scribit Apostolus

1. Corint. 7.

Hoc itaque, inquit, *dico fratres, tempus breue est; reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui flent,*

flent, tanquam non flentes. & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur, preterit enim figura huius mundi. Simili quoque argumento ad pietatem nos Petrus Apostolus commone- 2. Petri 3.
facit, dicens: *Adueniet autem dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu transibunt, elementa verò calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt, opera exurentur. Cùm igitur hæc omnia, inquit, dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, expectantes & properantes in aduentum dies Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.* Hæc ille: Neque tamen ex hisce verbis orbes planetarum, putà lunæ, solis, & reliquorum, aut etiam ipsum firmamentum stellarum arsurum existimabis, nũquam enim homines illîc peccauerũt, quanquã quippe cæli non sunt mundi in cõ- Iob 15
spectu eius, vt scriptum est in Iob, hoc non Iob. 4.
de cęlis ipsis, sed de his qui aliquãdo illîc peccarant, angelis intelligendum est, vt apud eundem aliquantò suprà legitur, quòd, *qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem.* Quorum peccatum, quia mox commissum est, vt creauerat Deus cælum & terrã, simul antequam expãsum esset

firmamentum, & cœlorum ornatus completus erat, non sunt cœli ab illorum peccato igne expurgandi, non magis quam aquis diluuij sunt ijdem abluti. Aquæ namque diluuij non ascenderunt ad superiores illos cælos, sed solùm quindecim cubitis
Genes. 7. super altitudinem montium, vt in Genesi scriptum est. Per cælos igitur Petrus Apostolus aquam & aërem intelligit, sicuti accipi-
Psalm. 8. tur in Dauide: *Volucres cœli & pisces maris*, neque enim volucres ad orbem elementi ignis transuolant, sed duntaxat in aëre inferiore volitant, & tamen *volucres cœli etiam*
Lucæ 8. *à Christo nominantur*. Tria ergò tantummodo elementa purgabuntur, nempè terra, aqua, & aer, & homines qui purgatione egebunt. Nam pios bonosque, qui neque peccatis, neque peccatorum pœnis obligati inuenientur, non magis nocebit vel cruciabit,
Daniel. 3. quàm adlæsit *flamma tres pueros in camino ignis ardentis*. Impios autem tam antè, quàm post iudicium intolerabiliter excruciabit. Quantùm porrò conflagrationis ignis differetur post illos quadraginta quinque dies pœnitentiæ concessos post mortem Antichristi etiam incertum est. Ex quo consequitur, quòd etiam tunc victuri diem iudicij, determinatè non poterunt scire. Si rogas an post tantum ignem quidam superstites

tes erunt, respondeo certò superfuturos esse quosdam, teste Christo, dicente: *Sicut erat in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis, sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium & tulit omnes, ita erit & aduentus filij hominis. Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur, duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur.* Et Paulus, *hoc*, inquit, *vobis dicimus in verbo domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui dormierunt.* Sed denuò fortasse quæris quid sibi hoc velit, *an ne statutum sit*, vt idem ait Apostolus, *omnibus hominibus semel mori, & post hoc iudiciū.* Respondeo ex beato Augustino, quod intereundum ad iudicium morientur, & statim resurgent. Sicut enim, teste Apostolo, *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita & in omnes homines mors pertransit. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Stimulus enim mortis peccatum est, virtus verò peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per dominum nostrum Iesum Christū.*

Matth. 24.

1. Thessa. 4.

Hebr. 9.

Libr. 20. de ciuit. dei.

Roma. 5.

1. Corin 15.
Oseæ. 13.

Ergo

Ergo omnibus omnino hominibus semel mortuis, vt dicit eodem capite, nouissimè inimica destruetur mors. Eheu quam terribile cogitatu erit nouissimū illud tempus, quo totum humanum genus mortuum erit. Si in campum aliquem venimus vbi confligunt hostes, strepitumque audiuimus tubarum, tympanorum & lituorum, horribilemque clamorem inuadentium sese hostium, atque post longum certamen vtrinque ad vnum omnes cecidisse videmus, quis horror nos inuadit, quum in tanto silentio tantam multitudinem postratam videmus, quātus ergo tremor nos occupare debet, quoties recordamur tam horrendi spectaculi mortuorum omnium hominum, & subitò tam terribilis iudicij? Sed iam ad eas res quæ iudicium hoc concomitabuntur, veniamus.

Concomitantia iudicium. Apocal. 21. Esai. 30.

Quando proinde, teste Ioanne, *primum cœlum & prima terra abijt, & mare iam non est, sed cœlum nouum est*, *& terra noua* complanata erit, & fulgebit de cœtero sicut aurum, aqua sicut crystallus, aër vt cœlum, ignis vt stellæ *luna tam clara vt modò sol, sol verò septies clarior*, hic in Oriente ille in Occidente stantes, amplius non mouebuntur: tunc, vt Chrysostomi interim verbis vtar sicut rege terreno processuro ad prælium totum territorium regni eius mouetur

uetur, exercitus concitatur, cōmunitas feruet, sic Christo cœlorum rege ad iudicandum descensuro totus mundus turbatur, cœlestis exercitus progreditur, atque vniuersum genus humanum citatur. *In momento,* inquit Apostolus, *in ictu oculi, in nouissima tuba. Quoniam ipse dominus in iussu & voce archangeli & in tuba Dei descendet de cælo.* Sicut & Christus de seipso nobis prædixit *Tunc* inquiens, *videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate. Et mittit angelos suos cum tuba & voce magna & congregabunt electos eius à quatuor ventis à summis cælorū vsque ad terminos eorum.* Tuba ista non erit instrumentum aliquod quod videri vel tangi poßit, neque vox quasi procedens ex ore animalis, sed planè spiritualis, & nihil aliud quàm Dei nutus & imperium atque citacio generalis. Sic enim canet tuba: Surgite mortui venite ad iudicium. Huius tubę sonitus semper Diui Hieronymi auribus insonabat vt ipse fatetur; Quotiens, inquit, diem iudicij considero toto corpore contremisco, siue enim comedam, siue bibam, siue quid aliud faciam, semper videtur illa tuba terribilis insonare auribus meis, surgite mortui, venite ad iudiciū. Rursū Diuus idē Hieronimus. Ego, inquit, in scelerū meorū latens

1. Clamor & strepitus angelorū

1. Cor. 15.
2. Thes. 4.
Matt. 24.

Tuba vocans ad iudicium quid sit

2 Vocatio iudicandorum

Hier. sup. Matth.

latens sepulchro,& peccatorum vinculis col
Ad Chromatium & Heliodorū ligatus, quotidie dominicum illum clamorem expecto: Hieronyme veni foras. Alludit enim,& sequitur illam Christi vocem:
Ioan.11. *Lazare veni foras*. Verè, vt Dauid ait: *Vox*
Psal.28. *Domini in virtute, vox Domini in magnificentia*. Verè magna vox illa est, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, tumulos rumpit, inferos aperit, vincula mortis dissoluit, vniuersos mortuos resurgere facit,& & ad iudicium venire compellit. Hæc est illa vox quam iussu Domini in figura protulit Ezechiel, stans in campo operto ossibus
Ezech.37. mortuorum *Ossa arida, audite verbum Domini*. Hic est ille *clamor, qui media nocte factus*
Matt.25. *est ad decem virgines: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.*

3. Resurrectio mortuorum. Mox dicto, citiùs resurgent omnes qui fuerunt, sunt,& erunt, homines. Illa enim resurrectio erit velox, vnà nempè cúm vocatione, quia (vt ex Paulo iam diximus) *in mo*
1. Corin.15. 2. Corint.5. *mento, in ictu oculi, in nouissima tuba* actutum fiet. Vniuersalis quoque erit eadem, quia te-
vniuersalis ste apostolo, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*. Dictio omnes, nullam patitur exceptionem, & Oportet est verbum necessitatis. Et Euangelista scribit: *Tunc con*
Matt. 25. *gregabuntur ante eum omnes gentes*. Omnes imprimis angeli boni aderunt, imò ne vnus

quidem

quidem dæmon ex inferno deerit, nullus deerit puer, siue baptizatus, siue non baptizatus, nullus deerit adultus siue ethnicus, siue Iudæus, siue Christianus, sit bonus, sit malus sit Ecclesiasticus, sit Laicus, non licebit coram illo iudicio (vt in terris licuit) per procuratorem cōparere, sed in propria persona venire, Illìc nudi stabunt omnes populi, comites, principes, duces, reges, Cæsares, atque Pontifices. Hoc attestatur B. Ioannes dicens: *Vidi*, inquit, *mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & aperti sunt libri, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta sunt in libris eorum.* Quamuis igitur (vt colligit beatus Thomas Aquinas) in libris paruulorum non baptizatorum nulla sunt peccata actualia scripta, tamen originalé peccatum in ijs scriptum est, ideo iudicabuntur, tamen non tristabuntur; sed lætabuntur de gloria corporali iudicis, quam misericorditer Christus, secundum. D. Thomam eis ostendet. Erit quoque hæc resurrectio integralis, quo ad omnes corporis partes. Quanquam enim vt *alia est claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum, & sicut stella à stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum* differet claritate; tamen boni & mali resurgent similiter numero ijdem & persona sine aliqua diminutione membrorum.

Apoca. 20.
In additi. 3 p. q. 75. arti. 3.
Integralis
1. Corin. 15.

rũ.Quod fatetur ipſe Iob,dicẽs: *Credo q redẽptor meus viuit,et in nouiſſ.die de terra ſurrectũrus sũ,& rursũ circũdabor pelle mea,& in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum.quẽ viſurus ſum ego ipſe & non alius, repoſita eſt hæc ſpes mea,inquit,in ſinu meo*. Vnde eleganter ita argumentatur Ioannes Damaſcenus: Reſurrectio,inquit,eſt eius quod cecidit ſecunda ſurrectio,ſed corpus quod nũc gerimus, per mortem cadet, ergo idem numero reſurget,quod non fieret, niſi eadem ei anima reuneretur. Quanquam igitur iuxta qualitatem vitæ alia erit qualitas, vel claritatis vel fœditatis,vel gaudij vel mœroris,tamen omnes mortui reſurgent incorrupti & immortales ex puluere & cadauerum reliquijs. Et quanquam membra quædam in formatione hominis ſint ordinata ad eiuſmodi functiones in hac mortali vita,quæ poſt reſurrectionem non erunt in vſu, illic enim *neque nubent, neque nuptui traduntur*, nec rei proletariæ operam dabunt, neque naturali receſſu opus erit; tamen ea membra omnia in reſurrectione habituri ſumus, quia hæc membra non tantùm ad operationes carnales, ſed etiam ad oſtendendam Dei virtutẽ & ſapientiam in formationẽ hominis & ad diſtinctionem ſexuum vſuuenient, quamobrem non erunt ocioſa. Erunt etiã inteſtina non turpibus ſuperfluitatibus,ſed nobilibus

Matth. 22.

humoribus referta. Imò, teste Christo, *vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.* Matth. 10.
Quin &, vt Lucas scribit, *capillus de capite vestro non peribit.* Neque tamen existimandum est quod capillitia mulierum & barbæ virorum ita resurgent calamistrata & focalibus torta, aut etiam tam prolixa, vt modò quosdam gestare videmus: hæc enim ad curiositatem, inanem gloriam, & fastidium magis quam ad ornamentum faciunt, quapropter in resurrectione omnia hæc vitia corrigentur. Sicut nec vrina, fęces sudor, & similes inutiles superfluitates erunt in corpore rediuiuo, neque deformitates monstrorum, aut mutilationum neque vt pueri, vel vt senes, sed; *Occurremus* inquit Apostolus, *omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*: hoc est, in ea integritate corporis, qua naturaliter fuimus vel fuissemus anno ætatis nostrę trigesimo tertio. Neque tũc vir mulieri vel mulier viro alligata amplius erit, aut vir in mulierem vllam superioritatem habebit, vt dicit glossa. 1. Corint. 15. Lucæ 21. Ephes. 4.

Aeternalis

Erit etiam hæc resurrectio æternalis, quia mors omnino morietur (vt antè diximus) præter infernalem. Animorum incorruptibilitatem & immortalitatẽ nõ grauatè neq; diffiiculter multi philosophorum crediderunt, videbant. n. eam ex elementis cõpositã non esse, sed diuinę particulã auræ esse, non

ex quatuor elementis, sed quinta quadam essentia existere; cæterùm corporis humani, quod ex elementis quatuor constare certũ, vt immortale futurũ crederent, adduci non potuerunt. Ratio erat, quia motus orbium cœlestium cessationem seu quietem aliquãdo futuram non præuiderunt, qui motus quum sit naturalis causa ortus & interitus corporum omnium inferiorum, indubiè si perpetuus esset, etiam corpora nostra naturaliter mortalitati & corruptioni manerent obnoxia. Cessante ergo illa circumactione post resurrectionem corpora nostra naturaliter manebunt immortalia. Nam in diebus illis, vt est in Apocalypsi, *querent homines* (damnati) *mortem & non inuenient, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.*

Apoca.9. Iam quartum concomitans iudicij est Congregatio omnium in valle Iosaphat circa Ierusalem, inter montem Syon & montẽ Oliueti per quam decurrit torrens Cedron. De hac congregatione testimonium habemus prophetæ, per quem dominus loquitur dicens; *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo ibi cũ eis super populo meo Israel.* Et paulò post: *Consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu.* Supra enim vallem eam in aëre apparituros

4. Congregatio in valle Iosaphat.
Ioël.3.
Ibidem.

riturus est, super nubem candidam. Atque hoc idem prædixerunt viri illi duo in albis, quum discipuli intuerentur Christum euntem in cælum: *Viri*, inquiunt, *Galilæi quid statis aspicientes in cœlum, hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*, scilicet circa eundem locum supra vallé Iosophat & montem Oliueti De separatioue autem collocationeque diuersa mox dicam, Quis enim futurus sit ordo congregationis huius generalis prius explicẽ oportet. Quum enim *deus omnia in numero, pondere, & mensura disposuit*, teste Sapiente; imò & *rex Salamon admirabilem ordinem ministrãtium sibi constituit, adeo vt regina Saba eundem videns non haberet vltra spiritum*, quanto magis *Christus qui est plus quam Salomon* ordinem sibi ministrantium in tam magno, solenni, & vltimo iudicio designabit? Adeo quòd iusti omnes videntes ordinem, quem Christus instituet in processione angelorum ipsum præcedentium, ad secundum aduentum maximè consolabuntur, iniusti autem multò maximè terrebuntur. Angeli.n. singulorũ ordinum primi arma dominicę passionis apportabũt, primus chordas quibus ligatus fuit Christus, secundus virgas & flagella quibus flagellatus est, tertius columnam, ad quam liga-

Sapien.11.

3.Reg.10.

Matt.12.

5.Apparitio Signorum passionis Christi.

tus erat, quartus albam vestem, quintus clauos, sextus spongiam, septimus lāciam, quæ latus eius aperuit benedictum, octauus coronam spineam, nonus crucem benedictam. de qua ipse Christus dicit. *Tunc parebit signū filij hominis in cœlo.* Et videtur super hunc locum Chrysostomus esse in ea sentētia, quòd non signum tantùm, sed lignum crucis apparebit in cœlo. Et Cyrillus Hierosolymitanus signum, inquit, verum & proprium Christi est crux. Fiet autem hæc apparitio ad ostendendam gloriosam eius de diabolo victoriam. Ita enim *deletum ostendit chyrographum peccati expolian principatus & potestates, & affigens illud cruci.* Fiet quoque ad ostēdendam nostram liberationem. Nam *qui facit peccatum, seruus est peccati, si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Per lignum serui facti sumus, per sanctam crucem liberati sumus. Fiet ad ostendendam Dei ergo nos misericordiam Sic enim Deus dilexit mundū &c Fiet demum ad ostendendam iustam esse iudicis iram tam ergo hostes suos infideles udæos & gentes quam erga omnes ingratos Christianos. Tunc videbunt in quē transfixerunt. Vos autem fideles his fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra quia appropinquat Redemptio vestra, Amen.

Matt.24. Chrysost. super Matt.24. Coloss.2. Ioan. 8. Cantus Ecclesiæ. Ioan.3. Zachar. 12. Ioan.19. Apoca.1.

IN

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET. Ecclef. 7.

CONCIO XII.

Iudex qua forma veniet, qui assessores, qui rei, qui accusatores, & qui testes erunt.

COncomitantia generale iudicium quædam, putà de clamore & strepitu angelorum in voce tubarum, de vocatione & citatione iudicandorum, de resurrectione mortuorum, de congregatione omnium in valle Iosaphat, de apparitione signorum & armorum passionis Christi, diximus superiori sermone: iam nunc vt de ipso iudice, de separatione & locatione bonorum & malorum ad dextram & sinistram, & de dispositione omnium, quid scilicet boni, quid mali, visuri sint, & qui accusatores, qui testes, quæ increpatio malorum erit, declarabimus: sed ante omnia iuxta receptam nobis consuetudinem inuocemus Dei, & superbenedictæ matris eius auxilium, dicentes:

AVE MARIA.

Omnibus igitur omninò creaturis rationalibus, nempe angelis, animabus sanctis, dęmonib. & animabus impiorum, & hominib. cõgregatis, tã subitò Christus veniet, vt pcipi vix 6. Qua forma & maiestate veniet.

Matth. 24. vix posſit, iuxta illud quod ſcriptum eſt: *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis.*
Matt. 25. *Et, veniet quidem filius hominis in maieſtate ſua ſed ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ.* Hoc eſt, vt explicat Remigius Altiſiodorenſis Epiſcopus, veniet in diuinitate, ſed ſedebit in humanitate glorificata, quæ eſt ſedes diuinitatis eius.
Matth. 24. *Veniet in nubibus*, non vt occultetur propter metum Herodis vel Iudæorum.
Pſalm. 49. *Nã Deus noſter manifeſtè veniet*, nõ vt prius ita celatus, vt vix ẽt à bonis cognoſceretur, initio
Philip. 2. a ductus ſui prioris, ſed manifeſtus cũ gloria
Matt. 27. atq; maieſtate, & tamen in illa forma ſerui, & condemnati, in qua *ſtetit ſub iniuſto iudice Pilato*, vt in eadem forma iudicet iuſtè, in qua iudicatus eſt iniuſtè. Impij verò maieſta-
Matth. 5. tem eius, hoc eſt, diuinitatem videre non poterunt *quia non erunt mundo corde: Beati er-*
Eſai. 26. *go mundo corde, quoniam illi videbunt Deum*, Et, vt ſcriptum eſt, *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Nubes itaque quibuſcum veniet, gloriam eius, ne hanc impij videant, abſcõdent, potentiam autem non abſcondent. Sic
Ibidem. futurum eſſe, dudum Eſaias vaticinatus eſt:
Ibidem. *Domine*, inquit, *exaltetur manus, vt non videant impij gloriam tuam.* Deinde ſubdit idem: *Videant*, ſubaudi maieſtatis tuæ potentiam, *& confundantur Zelantes populi, & ignis hoſtes tuos*

tuos deuoret. Quanquam enim Christus sit ille speciosus de quo Dauid ait, *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis*, tamen vt Beatus Augustinus dicit, palato infirmo pœna est panis, qui sano est suauis, & oculis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis: iuxta illud: *Dulce lumen & delectabile est videre solem*, quando sunt dispositi, sed si sint indispositi, est magnum tormẽtum. Ita & malefico condemnando pulchræ vires, & magna potentia iudicis atque consiliariorum eius, non potest esse solatio, sed timori. Nam dispositio iudicandorum varios & contrarios affectus in ipsis faciet. Boni enim videbunt supra se placabilem Deum, infra se deuictum mundum, & carnem, ante se lætantes angelos, retrò tristes dæmones, in dextris socios suos sanctos, in sinistris damnatos. Contrà, mali & damnandi videbunt & conspicient supra se iudicem iratũ, subtus horrendum chaos, à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia, intus vrentem conscientiam, foris ardentem mundum, retrò vitam peractam detestabilem, antè iudicium sine misericordia. Quam quoque partitionem iustorum & impiorum legimus, apud sapientem sic loquentem: *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt. Et qui abstu-*

Psalm. 44.

Li. Cõfess.

Ecclesi. 11.

7. Dispositio iudicandorum varia, varios eis animos faciet.

Sapien. 5.

lerunt labores eorum, videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Sed omitto comparationem, quia illîc longa valde est. *Iudex enim sedens super sedem maiestatis suæ, separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos à sinistris suis.* Per dextrã in sacris intelligitur dignior potiorque locus, & æternum bonũ, sicut Dauidicus ille Psalmus intelligi debet: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis,* quasi dicat: Dixit dominus Deus pater cælestis filio suo Messiæ, Domino meo deuicta morte ascendenti in cælum, sede modò mihi à dextris, mecumque nunc quietè in æquali potestate regna super omnia in eminentiori loco, & potioribus bonis. Sic boni erunt in eminentiori loco, nam *rapientur in nubibus obuiam Christo in aëra.* Mali verò erunt in terra ex latere sinistro Christi, *rediuiui quidem, sed non immutati claritate & specie corporis,* neq; immunes à doloribus, sed timore & dolore pleni,

Matt. 25.

Psal. 109.

1. Thess. 4

1. Corin. 15.

ni, circundatiq; dæmonib. Tunc plenè com plebitur, quod aliquando dixit Dauid de se Psalm. 76.
à Deo ex calamitate erepto: *Dixi*, inquit, *nūc cœpi* (intelligere quòd) *hæc est mutatio dextræ excelsi.* Multi in hoc mūdo sunt in parte dextra, qui in iudicio hoc erūt in parte sinistra, qui modò honorati & diuites sunt, tunc erunt contempti & inopes. Hæc mutatio dextræ excelsi, quondam in cancellatione prę figurata fuit manuū Iacob Patriarchæ, quā Genes. 48.
do *benedicturus filijs Ioseph, manum dextram posuit super caput Ephraim minoris fratris, & sinistram super caput Manasse, qui maior natu erat*, quam cancellationem videns Ioseph, grauiter accepit, & apprehēsam manum dextram patris, leuare conatus est de capite Ephraim super caput Manasse, dicens, hic est primogenitus. Sed pater Iacob renuēs: Scio, inquit, fili mi, sed frater eius minor, maior erit illo. En, *quod altum est hominibus, frequenter contemptibile est apud Deum.* Luc. 16.
Imò, quòd horrendius erit viri ab vxoribus, & è cōtrario, parentesq; à filijs separabuntur; si vnus bónus, alius inuentus fuerit malus. Atque talis quidem erit, vt iam diximus, aduentus iudicis, in clangore tubarum in maxima maiestate, & ingenti comitatu angelorum, Apostolorum, deniq; sanctorum omnium. Quòd nobis testatur Esaias, dicens: *Stat ad in-*

8. Aduētus iudicis. Comites.

Esaiæ.3. *iudicandum Dominus stat ad iudicandos populos: Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius.* Quanquam hæc scriptura allegetur ab ecclesia in sensu quem hic intendimus, tamen potiùs à Propheta pronunciatur contra senes & principes Iudæorum: sequitur enim illic, vos depasti estis vineam meam. Verùm nihilominus esse sensum illum priorem (quanquam non sit sensus proprius) etiam attestatur Zacharias,
Zachar.14. dicens: *Veniet*, inquit, *Dominus Deus meus, et omnes sancti cum eo.* Et multò clarius hoc ip-
Daniel. 7. sum Prophetat Daniel: *Millia millium ministrabunt ei, & decies centena millia assistebant ei.*
Iudæ 1. Similiter hoc repetit Iudas Apostolus: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eum peccatores impij.* Sed de concomitantibus porrò alijs dicere pergamus.

9 Iudicum confessio amplissima. Erit enim iudicium consessio celeberrima, & amplissimum latissimumque concilium, atque senatus maximus, qui vnquam in toto terrarum coijt, & parlamentum vniuersalissimum.

Tota trinitas iudicabit. Nam iudicabit imprimis tota Trinitas auctoritate ordinaria. Hoc enim iudicium fiet non ex virtute hominis cuiuscunque, sed in potestate diuinitatis patris, et filij,

filij,& spiritus sancti;quæ tres personæ vnicus indiuiduus Deus sunt. Et ita id Psalmo Propheta, quum dixisset: *Confitebimur tibi Deus,confitebimur, & inuocabimur nomen tuũ, narrabimus mirabilia tua* mox Deum introducit loquentem:*Cùm accepero tempus,ego iustitias iudicabo*. Neque iudicandi, hoc est vel condemnandi, vel absoluendi potestatem vllam habuisset Pilatus.& ei rẽspõdit Christus *nisi ipsi datum fuisset desuper*. Nam, vt Paulus ait,*Omnis potestas à Deo est quæ autem sunt,à Deo ordinatæ sunt*.Propterea seuerè Iosaphat à se ordinatis in ciuitatibus Iudeæ iudicibus,dixit: *Videte*,ait,*quid faciatis. non enim hominis exercetis iudicium, sed Dei*, hoc disertè habebat ab antecessore suo Dauide, qui quondam ita modulatus erat.*Deus stetit in synagoga Deorum.in medio autem Deos diiudicat.* Quem Psalmum isto claudit epiphonemate,exclamans: *Surge Deus iudica terrã, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Qui ergo dixit,*faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram*, etiam dicturus est, iudicemus ex communi nostra & indiuidua omnipotentia hominem, non quidem ita, vt conspicuam sese illic præbitura sit sancta trinitas,sed quod iudiciaria potestate in cõsistorio sanctæ trinitatis sententia super homine definita erit. Quanquã ergo Christus dicat.

Psalm. 74.

Ioan.19.

Roman. 13.

2. Paral. 19.

Psal.82.

Genes.1.

dicat: *Pater non iudicat quenquam*; hoc tamẽ nõ ita intelligemus quasi pater desierit prouidentiam habere rerum humanarum, sed quòd pater & spiritus sanctus in sua persona non proferent sententiã à sese tamen constitutam. Sed Christus delegata & commissa auctoritate, non virtute sua humana, verùm diuina sua potestate sententiam pronũciabit, sicut ipse fatetur: *Non possum ego à me ipso facere quicquam*, hoc est, ex virtute carnis meæ, quam sumpsi à matre mea Maria; *sed pater dedit filio suo potestatem facere iudiciũ, quia filius hominis est*: hoc est, quatenus filius Dei homo est, alioqui auctoritatem à seipso habet, quia ipse in patre, & pater in ipso est secundum diuinitatem, *& ipse et pater vnum sunt*. Et sub hac distinctione similes scripturarum loci sunt intelligendi, vt: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*. Et rursum hoc q Petrus concionabatur in domo Cornelij centurionis. *Ipse*, inquit, *est qui constitutus est à Deo, iudex viuorum & mortuorũ*. Et q Paulus Philippens. scribens, ait: *Propterea Deus exaltauit eũ, & dedit illi nomen super omne nomen; vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium terrestrium & infernorum, & oĩs lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est dei patris*. Non igitur mirum, si ipse iudicabit viuos & mortuos. Nam & Aposto-

Christus iudicabit.

Ibidem.

Ioan. 14.

Matt. 28.

Acto. 10.

Philip. 2.

Apoſtolis iudicum dignitatẽ promiſit. Sed Apoſtoli dignitate aſſeſſoria iudicabunt, & viri conſulares, ſicut ſcriptum eſt: *Amen dico vobis, quòd vos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione quum ſederit ſilius hoīs in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Neq; duntaxat Apoſtoli iudicabunt, ſed & ſancti reliqui approbantes diuinam ſententiã, ſicut ſcriptum eſt: *Iudicabunt ſancti nationes, & dominabuntur populis, & regnabit dominus illorũ imperpetuum.* Ad hanc ſcripturã videtur Paulus aſpexiſſe, dum ſcripſit Corinthijs: *An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt?* Ergo ſancti laudabunt & approbabunt iuſtiſsimum iudicium, quemadmodum in ſpiritu præuidit Ioannes in Apocal. Poſthęc, inquit, *audiui vocem turbarum multarum dicentium: Allelu Ia: laus, & gloria, & virtus deo noſtro eſt: quia vera & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magna.* Imò & increduli oẽs cõparatione melioris facti à ſe, quàm fecerunt Chriſtiani, eoſdẽ iudicabunt, ſicut ꝓdixit Chriſtus: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabũt eã, quia egerunt pœnitentiam in prædicatione Ionæ.* Et, *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecco*

Apoſtoli iudicabũt. Matt. 19.

Sancti iudicabunt. Sapien. 3.

1. Corint. 6

Apocal. 19.

Increduli iudicabũt.

Matth. 12.

Ionæ 3.

3. Reg. 3.

ecce plus quam Salamon hic. Veneamus nunc ad concomitantia alia.

Examinatio igitur subsequetur. In omni siquidem foro, seu Ecclesiastico seu prophano, quinque plærumque personæ requiruntur, nempe actor, reus, testes, aduocatus seu procurator, scriba publicus, & iudex, cuius officium est vt non ex odio, amore, vel misericordia sed ex inclinatione iustitiæ, de his super quæ auctoritatem & comissionem habet, iudicet secundum allegata & probata. Nam actore non probante reus absoluitur, nō enim sufficit iudicis notitia priuata, quòd sciat reum nocentem aut innocentem esse, et propter ea vel condemnandum vel absoluendum, sed debet ex actis publicis per scribam publicum adnotatis ac retentis iudicare, atque ita non tam ipse iudex quàm ipsi testes occidunt aliquādo innocentem. Simili modo in extremo iudicio, non tam ipse Christus, quàm testes & crimina sua condē-nabunt, ad supplicium æternum, per accusatores obiecta, peccatorem. Accusatores verò erunt permulti, imprimis ipse Christus qui dicit iudæis: *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare, sed qui me misit verax est*. Quasi dicat, multis nominibus vos accusare possé & iure iam nunc condemnare, sed qui me misit verax est, & promissam misericordi-am in

Accusatores multi.
1. Christus.
Ioan. 8.

am in hoc primo meo aduentu ſicut fidelis Ioan.3.
& verax eſt offert, non enim miſit me vt iudicem nunc aut condemnem mundum, ſed vt ſaluetur mundus per me. Sed hîc ſtatim quiſpiam apud ſe cogitet, quomodo? erit ne Chriſtus actor ſeu accuſator & iudex? hoc enim in nullo foro vnquã permiſſum fuit. Reſpõdeo, ſicut & antè diximus, quod Chriſtus vt homo eſt iudicabit, ſed vt filius Dei cui omne cor patet & quem nullum latet ſecretum etiam accuſabit peccatorem. Quod verò dicit Iudæis: *Nolite putare quia ego ac-* Ioan.5.
cuſaturus ſum vos apud patrẽ. Hoc ita intelligendum eſt, ne exiſtimate quod ego ſolus vos apud patrem deferam, ſequitur namque: Eſt qui accuſat vos Moſes in quo vos ſperatis. Chriſtus ergo ſicut piorum eſt aduocatus & ſaluator, ſic impiorum eſt & accuſator & iudex. O homo quis illîc te excuſabit, vbi filius Dei te condemnabit? quis te ſaluare poterit, vbi filius Dei te condemnabit. Deinde & angeli noſtri qui ſem- 2. Angeli
per vidẽt faciem patris, eorum quos ſcanda cuſtodes
lizauimus puſillorum accuſabunt nos. Prop noſtri.
tereà diligenter nos Chriſtus pręmonuit, di- Matt. 18.
cens ibidem; *Væ mundo à ſcandalis. Et: Videte ne contemnatis vnũ ex his puſillis, dico enim vobis, quia angeli eorum ſemper vident faciem patris mei qui in cælis eſt.* Et quia angeli ſunt cõ-

serui nostri, iuxta illud quod ad Ioannem lo-
Apoca. 22. quebatur angelus: *Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum*, & (vt ait Origenes) vnusquisque angelorum in iudicio aderit, illuc, quibus præfuit, perducens; indubiè iuxta parabolam euangelicã: *Videntes conserui eius quæ*
Matth. 18. *fiebant, contristati sunt valdè, & venerunt, & narrauerunt Domino suo omnia quæ facta fuerant.* Tertiò etiam peccatoré incusabunt ca-
3. dæmones Iob 1. cadæmones. Nam, vt ait Iob. *quum venissent filij Dei vt assisterent coram Domino, adfuit inter eos & sathan*, calumniaturus Iob. Ipse e-
Apoc. 12. nim diabolus & sathanas, atq; *angeli eius sunt accusatores fratrum nostrorum, qui accusabant illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* De quo fusiùs scribit S August in oratione qua-
Tom. 6. in orat. cont. Iudæos, Paganos, & Arrianos. dam quæ incipit: Inter pressuras: Astabunt, inquit, omnes ântè tribunal Christi, & præstò erit diabolus, & recitabit verba professionis nostræ, & obijciet nobis in facié quidquid fecimus, & quidquid peccauimus & in quo loco, & quid facere debueramus. Dicturus tunc est ille aduersarius noster; iustissime iudex, iudica istum esse meum ob culpam, qui tuus esse noluit per gratiam. Quar-
4. Conscientia. Cicero in Catone maiore. tò insuper nos propria cõscientia accusabit. Nam (vt scribit Tullius) sicut cõscientia benè actæ vitæ, multorumq; benefactorum recordatio iucundissima est, ita econtrariò scelerum suorum conscientia solicitus, quo se

vertat, videre non poteſt. Quod ipſum fate- tur & Apoſtolus: *Gentes, inquit, quæ legem nō habent, oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus, in die quum iudicabit Dominus occulta hominum.* Quia multis antè ſæculis prophetauit Eſaias, & repetiuit Chriſtus: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Vnuſquiſque enim librū ſuæ condemnationis portabit, & apertū omnibus demonſtrabit, quod clarè legimus in Apocal. vbi Ioannes ſcribens: *Libri, inquit aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ. & iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.* Libri ſunt conſcientiæ noſtræ, ſed liber iſte ſingulariter nominatus, qui eſt vitę, eſt liber diuinæ prędeſtinationis, qui vſq; ad iudicium latet incognitus, ſed tūc aperietur, quū palàm fiet qui electi erunt, & ex libro vitæ, tanquā ex catalogo vocabuntur ad vitam æternā. Quintò adhæc ipſa arma dominicę paſsionis accuſabunt ingratitudinem & blaſphemiā peccatorum. Nā, ſicuti ſuperiore ſermone diximus, apparitionē ſignorū paſsionis Chriſti futurā ad cōſolationem piorū, ita eadē quoq; videbūtur accuſare ingratitudinē impiorū, ita vt mirabili diſpēſatione eadē ſeruiant pijs, q̄ nocebunt impijs, ſicut *pugnāte Ioſue cū*

Rom. 2.
Eſai. 66.
Marc. 9.
Apocal. 20.
5. Arma paſſionis Chriſti.
Ioſue 10.

regibus Chanaan sol stetit fixus contra Gabaon, & super fugientes hostes Dominus grandinabat lapides magnos, & fulminabat, per quorũ fulminum tanq̃ sagittarum lucem, & splendorem fulgurantis hastę, illuminati filij Israël, illæsi ibant ad persequendum hostes. Sicut hoc idem canit Propheta Abacuc: *Sol & luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurãtis hastæ tuæ.*

Abacuc. 3.

Ad eum planè modum in iudicio vniuersali fiet. Tunc enim, inquit B. August. filius hoīs sup sedem maiestatis suæ plus iustus q̃ misericors, reos incipiet accusare & dicere: Ego te, ô homo, de limo manibus meis feci, &c. Et post pauca: Ego irridentium palmas & sputa suscepi, acetum cum felle bibi, flagellis cęsus, veprib. coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, vt tu eripereris morti animã dimisi, en clauorũ vestigia, quibus affixus pependi, en perfossum vulneribus latus. Suscepi dolorem tuũ, vt tibi gloriam darem, suscepi mortem tuã, & tu in æternum viueres, conditus iacui in sepulchro, vt tu regnares in cælo. Cur q̄ pro te pertuli perdidisti, cur ingratæ redẽptionis tuæ munera renuisti? Et quia post omnia mala ad medicamentum pœnitentię confugere noluisti, ab audi tu malo nõ mereberis liberari, &c. Sextò p̄tereã oppressi accusabũt suos opp̄ssores, vti dicit

Ser. 67. de tempore, feria 2. post domin. primam quadrages.

6. oppressi.

Dominus: *Videns*, inquit, *vidi afflictionem eorum qua opprimuntur ab Ægyptijs sed veni et mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israël de Ægypto.* Si enim, vt ait Christus, *iudex qui nec Deum timebat, nec hominem, propter molestiam tamen vidua vindicauit illam*, existimas tu, quod *Deus non faciet vindictam, electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.* Quapropter inuectiuum sermonem Iacobus conuertit ad eos, qui opprimunt proximũ: *Agite*, inquit, *nunc diuites vlulate in miserijs qua aduenient vobis, ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, qua fraudata est à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit.* Septimò etiam ipsi scandalizati accusabunt eos, qui ipsis offendiculo fuerunt, sicut dicit Christus: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Octauò demùm omnes creaturæ accusabunt peccatorem, quia eisdem abusus est, & de his sibi à Deo concessis ingratus semper mansit. Quapropter dixit Dominus: *Inuocabo contra eos cælum & terram*, hoc est, omnes creaturas quæ sunt in cælo & in terra. Cui consonat Sapiens, dicens: *Pugnabit pro*

Exod. 3. Lucæ 18. Iacob. 5. 7. Secundalizati. Matth. 18. 8. Omnes Creaturæ Deut. 32. Sapien. 5.

Iacob. 5. *es orbis terrarum contra insensatos*: scilicet, *Diuitiæ putrefactæ, vestimenta à tineis comesta, aurum & argentum* quod æruginauit, de quibus ad longum videri potest in epistola B. Iacobi. Diximus suprà in omni iudicio requiri testes erunt itaq; & in hoc iudicio accusantium verissimi testes. Imprimis Deus qui scit omnia, & quem nihil latet, nemo fallit. Hunc enim nobis sic inducit Propheta loquentem: *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit dominus exercituum.* Sed forsitan interrogabis, quomodo Deus, qui iudex est, testis esse posit, neque enim hoc in aliquo foro humano ius admittit, vt idem homo in eadem causa & iudex sit, & testis. Respõdeo longè dissimile esse iudiciũm diuinum humano, quia iudex mortalis iudicat secundum allegata ab accusatorib. & ꝓbata per testes fide dignos, sed Deus (vt dicit Propheta) *Non secundum visionem oculorum iudicabit, neq; secundum auditũ aurium arguet; sed iudicabit in iustitia pauperes.* Deus ergo iudicat authoritate propria, & omnisci9 est, homo iudicat authoritate aliena, & causam plerunq; nisi testibus probetur, nescit. Et id circò Propheta sic dominum dixisse scribit: *Ego sum iudex & testis, dicit dominus*: Rationẽ

Testes verissimi.
1. Deus.
Malach. 3.
Esai. 11.
Hierem. 29

cur ita fieri poſsit. Paulus nobis adferẽs. ait: *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autẽ nuda & aperta ſunt oculis eius, ad quẽ nobis eſt ſermo* Quod ipſum dicere homini nefas eſt Cæterùm nõ vnus tantũ erit hic teſtis, ſed plures nempè ſancti dei omnes. De quib. ipſe domin⁹ bis dicit: *verè, vos teſtes mei: vos eſtis teſtes mei.* Hoc ipſum repetit Chriſtus dicens: *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, et in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Et iuxta Moſis ſententiam. *Quia in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* ecce adhuc alios teſtes ipſos Infideles, de quibus ſcribit Sapiens: *Ex iniquis enim oẽs qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſua.* Adde & dæmones ipſos, de quibus intelligi poteſt quod dicit Dauid: *Inſurrexerunt in me teſtes mei, & mentita eſt iniquitas ſibi, credo videre bona Domini in terra viuentium:* Demum & ipſa peccata teſtabuntur contra peccatorem, iuxta illud Hieremiæ: *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te.* Sicut enim furtum ligatum ad collum furis, prodit eundem, ſic & peccata ſua miſerum peccatorem ſua atteſtatione grauabunt. Si namque, beati mortui qui in domino moriuntur, opera enim illorum ſequuntur eos: ſanè perditi ſunt, qui extra dominum moriũtur, quia eorũ opera ſimul

Hebr. 4. — 2 Sancti. — Eſaię 43. & 44. — Acto. 1. — 3. infideles. — Deut. 19. — Sapien. 4. — 4 dęmones — Pſal. 26. — 5. Peccatã. — Hiere. 2. — Apoc. 13.

loquentia dicent ad singulos peccatores miseros, tu elegisti nos, opera tua sumus, te non deseremus, tecum erimus, tecum ad iudiciū pergemus. Hisce iam auditis testibus quid existimabimus facturum iudicem Christū, nisi quòd cum summo stomacho & maxima increpatione malorum dicet: *Quid hoc audio de te, redde rationem villicationis tuæ, iam enim amplius non poteris villicare.* Redde rationem de donis acceptis spiritualibus, corporalibus, & temporalibus. redde rationem de peccatis cogitatione, locutione, consensu, ore, & opere commissis, redde rationem de virtutibus omissis, prçceptorum putà & cōsiliorum euangelicorum neglectu. Nam, vt scribit Salomon: *Cuncta quæ fiunt, in iudiciū adducet Deus, siue bonum sit siue malum.* Quocirca Bernardus ad comitem Theobaldum scribens: An ignoratis, inquit, quid minetur? *Quum accepero tempus, ego iustitias iudicabo:* quòd si iustitias, quantò magis iniurias; tunc cognoscetur dominus iudicia faciens, qui nunc ignoratur iniuriam patiens. Idem hoc argumentum denuo Bernardus fusius tractans, ait: Ante tremendum iudicem accusaberis non vno accusatore, sed tot quod sunt delicta tua. Ipse iudex erit districtus accusator tuus. Omnes etiam spiritus boni & mali coram Deo te accusabunt cum eo. boni quia Deo

II. Increpatio malorū. Lucæ 16. Eccles. 12. Epist. 37. Psalm. 74. Lib. de interiori domo ca. 38.

Deo debent æquitatem, mali quia seruant tuam iniquitatem. Tot iudicibus & populis astabis, quod te præcesserunt in opere bono. Tot arguentibus confunderis, quod tibi præbuerunt bene viuendi exemplum. Tot conuinceris testib. quot te monuerũt bonis sermonibus, & iustus actionibus. Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ, non solùm actuum, verumetiam cogitationum & locutionum. Multa verò peccata tũc proruent ex improuisio quasi ex insidijs, quæ modò non vides, & forsitan plura & terribiliora his quæ nunc vides. Vndique tibi erunt angustiæ, hinc erunt accusantia peccata, inde terrens iustitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus iudex, intus vrens conscientia, foris ardens mundus. 1. Petri 4.
Si iustus vix saluabitur, peccator sic deprehensus in quam partem se premet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. In tanto discrimine torquebit te tua conscientia mali sibi conscia, cruciabunt cordis arcana. Cogente etiam conscientia tu ipse eris accusator tuus: Cõuictus teste propria conscientia, & testibus oculis ipsius iudicis fugere non poteris, sed tremens & anxius stabis. suspensus ad grauissimã sententiam in angusto periculo & in periculosa angustia tanquam ilicò recepturus, quod in perpetuum amittere non

poteris. Iudex tunc vehementer iratus, & terribiliter districtus sententia eius semel lata erit immutabilis, tortores horribiles qui nūq̃ misererentur, erūt parati vt data sententia te damnatum ad tormenta rapiant. Tormenta erunt sine interuallo, & sine temperamento, timor conturbabit te quum terra aperietur subtus te, & tu cades in stagnum sulphuris ardentis & fetentis. Ignis exterius carnem tuam comburet, vermis interius conscientiam corrodet. Ibi eris sine spe veniæ sine spe misericordiæ. Omnia verò gehennæ supplicia superabit, deum non videre, & bonis carere quæ in potestate habuisti obtinere. Hactenus Bernardus. An verò hæc obiurgatio malorum à Christo fiet per spacium aliquod tēporis, & successiuam inquisitionem atque discussionem, an verò potius in momento sicut citatio & resurrectio mortuorū: deniq; an vocaliter, an potius mentaliter S. August. & B. Thomas Aquinas disputant, vtraq; quidem opinio non est improbabilis, sed sine voce & in mente peccatoris hanc futuram increpationem, credibilius est. Quia etsi Christus loqueretur peccatori, & quidem longo spacio, tam erit consternatus illîc peccator, vt nec loquentem vocē, nec spacium temporis perferre posset. Seruet nos Deus ab eiusmodi increpatione, & consolatione potius iustorū lętificet, q̃ est benedict⁹ in ſęuū. Amē.

Li. 20 de ciuit. dei, c. 1. In addit. 3. par. q. 88. art. 2.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET. Eccles. 7.

CONCIO XIII.

Sententiæ prolatio pro bonis & malis diuersa, & vtriusque expositio.

QVoniam qua forma iudex Christus & quo scemate in sua maiestate iudicaturus adueniet, & quales ordines iudicandorũ, qui comites iudicis, qui viros consulares & assessores, cuiusmod erit examinatio, qui accusatores, qui testes, quæ increpatio malorum, seu cum peccatoribus iudicis expostulatio, & quemadmodum ea fit, diximus; nũc vt de consolatione iustorum, & sententiæ finalis prolatione, & quãtum varijs de causis timendum sit, quousque tempus & hora hęc feret, ordo postulat vt dicamus. Cœterum ne illotis manibus in hoc argumentum inuolemus aspersionem diuini roris cœlitus imploremus, & gratia plenam virginẽ, pro recepto ecclesiæ more salutemus. dicentes:

AVE MARIA.

De consolatione iustorũ sciendũ imprimis, ꝙ interdũ etiã in hac mortali vita suos cõsoletur dominus vti testis est rex & propheta Dauid, qui Deo gratias agens ait: *Secundũ multi-* 12. Consolatio iustorum imperfecta & perfecta.

Psalm.93. *multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Sed lac istud à gratia diuina vbere de cælo pleno iustis non conceditur in hac vita, quia in hac vita duntaxat ad necessitatem, in altera porrò ad satietatem dabitur. Quod confitetur etiam Dauid, dicens: *Satiabor, quum apparuerit gloria tua*: Idem & dixerat Psalmo præcedenti: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finē.* Hîc consolatur nos Deus sua gratia, illic verò consolabitur sua gloria. Iuxta illud Psalmistæ: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Gratia enim magna est, quod bona Dei voluntate hîc affligimur, qui hîc punit, hîc secat, vt in æternū parcat. Magna, inquit Gregorius, est consolatio in eo quod displicet, quod ordināte illo erga nos aperitur, cui nō nisi iustum placet. Imò, vt idem ait, festina consolatio bonorum, consideratus finis malorum est: dum enim ex eorum interitu malum conspiciunt quod euadunt, leue existimant quidquam in hac vita aduersum patiuntur. Sic multi nō cupiunt consolationem præsentis vitæ, vt dicit Propheta: *Vox in excelso audita est lamentationis, Rachel plorātis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt.* Ita quoque affectus orabat Dauid: *Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem*

Psal.16. Psal.15. Psal.83. Aug. tract. 22. in Ioan. Li. 2. Mor. Li 21. Mor. Hier.31. Psalm.118.

ſpem dediſti, hæc me conſolata eſt in humilitate mea, quaſi dicat, verbum promiſsionis tuæ ſpem mihi facit in afflictione mea. Et infrà: *Defecerunt*, inquit, *oculi mei in eloquium tuum dicentes, quando conſolaberis*. Et quodnam eſt illud eloquium & verbum promiſsionis, niſi quod dixit nobis Chriſtus: *Beati qui lugẽt, quoniam ipſi conſolabuntur*. Et in alio loco: *His autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra*. Tales erant qui, vt dicit Paulus, diſtenti ſunt non ſuſpicientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Hac ſpe & beatus Hieronymus Heliodorum ſuum conſolatur & hortatur ad heremiticam vitam, priuſquam is Epiſcopus fieret, ſub finem epiſtolæ: Tunc tu Ruſticanus, & exultabis, & ridebis, & dices: Ecce crucifixus Deus meus, ecce iudex, qui obuolutus pannis in præſepio vagijt, hic eſt ille operarij & quæſtuarij filius, hic qui matris geſtatus ſinu, hominem Deus fugit in Aegyptũ, hic veſtitus coccino, hic ſentibus coronatũs, hic Magus, dæmonium habens, & Samarites, cerne manus Iudeæ quas fixeras, cerne latus Romane quod foderas: videte corpus an idem ſit, quod dicebatis clàm nocte ſuſtuliſſe diſcipulos. Et B. Bernardus ſu p illud q̄ eſt in Canticis: *Surge, propera amica, columba mea,*

Ibidem. Matth. 5. Luc. 21. Hebr. 11. Hieron. epiſt. 1. Sermon 57. Cant. 2.

mea formosa mea & veni: Nos quoque adhec inquit, quamuis audacter, adiecimus, quòd quæuis de nobis anima si similter vigilet, similiter salutabitur vt amica, cõsolabitur vt columba, amplexabitur vt formosa. Sed de consolatione iustorum plenam declarationẽ audiemus in expositione sententiæ, quam feret iudex ꝓ his qui ad dexterã suam stabũt.

Sententię prolatio.

Vltimum ergo, quod iudicium concomitabitur est sententiæ prolatio, quæ an vocalis erit, an mentalis, addubitant doctores quidam. Ego, saluo meliori iudicio, puto cũ Beato Augustino vocalem futurã esse. Itaque tandẽ omnibus districtè examinatis dicetur bonis: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum vobis paratum à constitutione mũdi* In qua quidem sententia totidem sunt blandissimæ consolationes quot sunt et verba. Nam quid quæso sonat Venite? quàm amabilem vocationem. Ach quantæ dulcedinis, etiam super omne mel & fauum, fuerit audire hoc Venite, quis non æquo animo ferat omnia aduersa, vt hanc vocem aliquando audire possit? *Adam* in paradiso quũ peccasset, vocauit eum dominus, & dixit ei: *Vbi es? Qui ait, Vocem tuam domine audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem & abscondi me.* Peccauerat quippe morsu pomi vetiti, cuius inobediẽtiæ lapsu ita excidit à gratia diuina, vt Deus iustissima motus iracũdia ęternę

Matth. 25.

Amabilis vocatio.

Genes. 3.

morti eum ſubiecerit; vnde & factum eſt vt intellectu cæcitate,& voluntate malitia obſcuratis,nunquam ad eum ſuũ fuerit reuerſurus,niſi Deus eũ reuocaſſet, & indicato ei peccato ſuo eundem ad pœnitudinem & noua promiſsione ad ſpem veniæ animaſſet. Quia ergo & nos,teſte apoſtolo, *natura ſumus filij iræ*. Reuocauit nos etiam Deus per patriarchas, prophetas, per proprium filiũ, & apoſtolos ſuos tam iudæos quàm gentes, vt nos paſsim docent ſacra biblia. Ad Abraham enim dixit: *Egredere de terra & cognatione tua, et veni in terram quã monſtrauero tibi.* Propheta Dauid dixit: *Venite exultemus domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro*. Sapientia apud Salomonem ait *Venite comedite panem meum, et bibite vinũ quod miſcui vobis* Eſaias dicit: *Venite aſcendamus ad montẽ domini & ad domũ dei Iacob et docebit nos vias ſuas, quia de Syon exibit lex, & verbũ domini de Hieruſalẽ.* Rurſum idẽ vates clamat: Oẽs ſitientes venite ad aquas,& qui non habetis argentũ, ꝓperate,emite & comedite, venite,emite abſque argento, & abſq; vlla commutatione vinũ & lac, venite ad me, audite,& viuet anima veſtra. Filius verò Dei Chriſtus dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Apoſtolus denique Ioannes in ſua Apocalypſi ita introducit ipſum Io-

Ephef.2.
Genef.12.
Pfalm.94.
Prouer.9.
Eſai.2.
Eſai.55.
Matth.11.
Aopcal.21.

Roma. 8. loquentem: *Ego Iesus misi angelum meum testificari vobis hæc in ecclesijs, quòd ego sum radix & genus Dauid stella splendida & matutina. Et Spiritus & sponsa dicunt: Veni. Et qui audit dicat: Veni. Et qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Concludo igitur senté-

Ibidem. tiam meam verbis Apostoli, quòd: *Nihil damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.* Quoniam vt in eodem capite idem Apostolus ait: *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperãtur in bonum, ijs qui secundum propositum* (dei) *vocati sunt sanctis. Nam quos præsciuit, etiam prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autẽ prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit, seu magnificauit:* maxima gratia & suauissima consolatione, quum sæpissimè vsqueadeò affligerentur, vt tæderet eos viuere. Ex his omnibus colligimus, quòd

2. Corint. 1. initium nostræ salutis & iustificationis penes

Roma. 9. nes nos non sit, sed teste Apostolo, *penes miserentem Deum.* Sed, quod omnium maximũ est, qui iam vocati non renuunt, neque auersantur vocantem, sed potius viam mandatorum eius currunt, iuxta verbum eius, hi in

Psalm. 118. nouissimo die de terra audient iudicẽ Christum dicentem, Venite. O si sapere in cordis

dis nostri palato posſit nunc, quid dulcedinis tunc habiturum ſit illud venite. Venite milites fidiſsimi, venite ſerui obſequentiſsimi. venite amici certiſsimi & cõſtantiſsimi, venite fratres & ſorores chariſsimi. *Venite ad nuptias, quia iã parata ſunt omnia.* Huius itaq; amabilis vocationis cauſa redditur, vbi dicit Christus: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum: vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Secũdum porrò finalis bonorum ſententiæ verbum eſt, *Benedicti,* quod diuinam benedictionem denotat. Sanè auditu perquam iucundũ erat ſeruo Abrahã illa vox Laban fratris Rebeccæ: *Ingredere benedicte Domini, cur foras ſtas.* Auditu quoq; volupe fuit Iudith, reduci è caſtris Holofernis illa gratulantis Oziæ principis populi Iſrael, & dicentis: *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram.* Et Archangeli Gabrielis illa vox ſalutationis. *Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,* oppidò quàm ſuperiucũda & ſuauis erat Mariæ virgini, ſed ea tamen nihil ad noſtrã hanc congratulationem, quando Mariæ filius dicet electis ſuis, *Venite benedicti,* qui maledicti fuiſtis ab hominibus, à me benedicti eſtis. En Chriſtiane Lector, quomodo

Luc. 14.
Luc. 22.
Diuina benedictio.
Geneſ 24.
Iudith. 13.
Luc. 1.
Matt. 25.

quos suos fore Dei filius præscitos prædesti-
Paternà di- nauit. prædestinatos vocat, venite, vocatos
lectio. iustificat, dicens, Benedicti. Tertium verò verbum est, *patris mei*, in quo paterna dilectio nobis significatur. Iuxta hoc quod ait Christus in Euangelio: *Si quis diligit me, ser-*
Ioan. 14. *monem meum seruabit, et pater meus diliget eũ, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quam promissionem solis Apostolis factam suspicaremur postmodum Christus in conclusione sui nouissimi sermonis coram discipulis patrem suum orans expo-
Ioan. 17. suit, dicens: *Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sunt, sicut tu pater in me, & ego*
Rom. 8.
Galat. 4. *in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Vnde & Paulus infert, colligitq; hoc modo. *Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in*
Ioan. 3. *corda vestra clamantem, Abba pater.* Et paternæ huius dilectionis magnitudinem Christus clarissimè ostendit in colloquio Nico-
Rom. 8. demi: Sic, inquit, *Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, & omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternã.* Ex quibus Paulus rursum infert: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo & non cũ illo oĩa nobis donauit?* Propterea bene & apposite in verbis huius bonorum sententiæ subsequitur,

pessi-

possidete, in quo declaratur nobis remunera tio. Non ait, accipite, sed possidete, ex hæreditate paterna, propria, & vestra. Ex quibus intelligi licet, ad quid creatus erat homo, nempè vt primum possideret terram, iuxta illud: *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subycite eã, et dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, &c.* deinde etiam regnum cœlorum. Hęc est pręcipua gloria, qua vocatos & iustificatos tandem glorificabit. Hoc enim vltima huius sententiæ verba apertissimè manifestant, quando dicitur: *Regnum quod vobis paratum est, à constitutione mũdi.* Quia, quemadmodum scribit Propheta, *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Atque, vt Paulus attestatur: *Ihesus Christus heri, & hodie, ipse & in secula.* Ipse enim (vt est in Apocalypsi) *agnus est qui occisus est ab origine mundi.* Non igitur momentaneum, vel terrenum aliquod regnum nobis largietur, quod hodie si tranquillum forsitan est, cras sit turbulentum, si hodiè floreat, cras flaccescat & deflorescat, sed perpetuum, quale *oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit, quod preparauit DEVS filius diligentibus se. Nam dabit ei DOMINVS sedem Dauid patris*

Remuneratio.
Gen. 1.
Aeterna saluatio.
Dani. 7.
Hebr. 13.
Apoc. 13.
1. Corint. 2.
Luc. 1.

sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis. Sed hac de re satis dictũ sit. Audiuimus de promissione patris, de expectatione filiorum, de fine huius nostræ peregrinationis, de mercede laboris, de fructu pietatis bonorum omnium fidelium christianorum, iam nunc de retributione peccatorum videamus. Nam & in malos christianos, atque infideles Iudæos & ethnicos durissima
Matt.25. pronunciabitur sententia, nempe hæc. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabulo, & angelis eius.* In qua etiam sententia totidem sunt cruciamina, quot verba. Quid enim significat *ite*, nisi seperationem à Deo sempiternam. Separatio erat acerbi doloris quando non tantùm Ioseph cum fratribus suis, sed etiam *tota Ægiptus planxit morientẽ*
Separatio à Deo perpetua.
Genes.50. *Iacob patriarcham.* Quam grauis etiam sit dissolutio animi à corpore ex verbis pinguissimi regis Amalecitarum audire est dicentis:
1.Reg.15. *Siccine separat amara mors.* Verum nullus luctus vel mortuorum parentnm, liberorũ, coniugum, vel amicorum, aut diuiciarum quarumcunq; tantus esse poterit, atque discedentium à Deo per finalem illam horribilem sententiam ploratus atque vlulatus erit. Quum multi discipuli ab Iesu discede-
Ioan.6. rent, eumque desererent non intellectis verbis eius, dixit ipse ad suos duodecim: *Nunquid*

quid & vos vultis abire? Respondit Petrus, Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Daniel.5.
Ergo qui à Christo separatur, à vita æterna in æternam mortẽ separatur. Legimus apud Danielem, quum ipse regi Balsasar legisset scripturam in superficie parietis aulæ regiæ ab apparente illic manu hominis scriptam ex aduerso candelabri *Mane, Thecel, Phares*, id est. Numerus, Appensio, Diuisio, statim facies regis immutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, compages renum eius dissoluebantur, & genua eius ad seinuicem collidebantur. Quantus ergo tremor est futurus eis quibus dicet Christus, numeraui opera tua, appẽdi ea & inuentus minus habẽs, nimis est leuis vita tua, discedito? Hãc sententiam dilucidè Chrysostomus confirmat; Nonnulli imperitorum, inquit, sibi satis esse putant & optabile videri, si gehenna tantummodò careant. Ego autẽ multò grauiores gehenna cruciatus esse dico remoueri, & abijci ab illa gloria. Pone mille gehennas & mille cruciatus, nil tale inuenies, quale à gloria excidere, & à Deo odio haberi, & audire: Ite maledicti. Hoc tãtum generat cruciatum, quòd & si nulla extrinsecus pœna torqueret, hæc sola sufficeret, omnes enim gehennæ superat cruciatus. Sequitur iã alterum verbũ: *Maledicti.* Intolerabile prorsus

In homil. de raparatione lapsi.

Maledictio.

ſus eſt auditu illud, ite, ea infelix diſceſsio, il la dura ſeparatio, à ſaluatore, à fonte vitæ, à lumine gloriæ, à torrente voluptatis inundã tis, à plenitudine vbertatis inebriãtis. & ecce ſecundum verbum non minus afflictorium.

Pſalm. 111. Audierant pij qui à dextris ſtant, venite benedicti patris mei, impij sũt à ſiniſtris ſtãtes, auditionem illã malã, à qua iuſti non timebunt, audire coguntur: Ite maledicti. In quibus quidem verbis obſeruandum eſt ꝙ non dicit, maledicti patris mei, ſicut dixerat bonis, benedicti patris mei, quia maledictio nõ eſt à deo, ſed à peccatis noſtris proprijs, vt ait

Eſai 59. Eſaias; *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos et deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciẽ eius à vobis, ne exaudiret.* Hoc ipſum cõ

Hiere 5. firmans Hierem. *Iniquitates*, inquit, *veſtræ declinauerunt hæc, & peccata veſtra prohibuerũt bonum à vobis.* Idem quoque atteſtatur alius

Oſeæ 13. propheta: *Perditio tua ex te,* inquit, *o Iſraël, tãtummodò in me auxilium tuũ, auditis Eſau ſer*

Geneſ. 27. *monib. patris, irrugijt clamore magno.* Vendiderat paulò antè benedictionem primogenituræ, ꝓ cocto pulmento lentis rufæ, paruipendens illã benedictionem patris. paruifaciens ꝙ peccarat, ſi ſic ille irrugijt, & niſi pater eũ conſolatus fuiſſet (dicendo, in rore cœli, & pinguedine terræ erit benedictio tua) præ anguſtia mortuus fuiſſet. q̃d ergo putamus, cõtinget illîc deſolatiſsimis re ꝓbis maledictis?

Si, teste Petro: *Iustus vix saluabitur, peccator vbi parebit.* Tertium porrò verbum quod notandũ est in hac reproborum censura, est *in ignem.* Iudex enim nõ tantùm abijciet eos cum maledictione, cum opprobrijs & contumelijs, sed etiam in grauissimas pœnas deturbabit eos Nam. *Pro mensura delicti, erit & plagarum modus*, Qui iam delitijs assueti, paululum excedentem modum in æstate calorem ferre non possunt, considerent illud ꝙ dicit Propheta: *Quis è vobis poterit stare cum igne deuorante, aut quis habitabit.* (hoc est habitare poterit) *cum ardoribus sempiternis*: Et tamen hoc est inexorabile iudicium contra Babilonicam meretricem, hoc est, peccaminosum hunc mundum: *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormẽtum & luctum.* Neque enim profligati duntaxat, & maledictis proscissi à iudice Christo peccatores erunt, sed etiam infernalibus includentur carceribus. De quibus plura, quũ ad tertium nouissimum peruenerimus, disseremus. Transeamus ergo ad quartũ in hac sententia verbũ, nempè *Aeternũ.* Eheu quale & cuius significationis hoc verbũ est, vtinã modò omnib. mentib. altè impressum sit verbum hoc; sanè nunꝗ peccare liberet. Memorare igitur, ô homo, *memorare nouiss. tua, et in æternũ non peccabis?* Nã post decies centena annorum millia hæc pœna ignis inferna-

1. Petr. 4.
Incarcera-torũ pœna.
Deut. 25.
Esai. 33.
Apoc. 18.
Liberatio nulla.
Ecclef. 7.

lis non erit breuior, quàm modò est. Si tota superficies seu area terræ, vsq; ad summi cæli laquear granis synapi conferta esset & coagitata, atque in centum annorum millibus vnicum duntaxat granum extraheretur, & damnati essent certi post omnium granorum euacuationem sese liberandos, dij boni quantam haberent consolationem. Cæterùm quum certi sint, quòd post tot annorũ millia, ne tantulum quidem eorum pœna abbreuiata sit, nõ potest eis hoc verbum nõ esse terribilissimum. Et quod omnium erit

Societas mala.

grauissimũ, subindicat quod sequitur: *Qui paratus est diabolo & omnibus angelis eius*. Si damnati mitterentur ad aliquam bonam societatem, haberent quandoq; aliquod verbum consolatorium, sed mittentur ad diabolum & angelos eius, vt sine fine & absq; pietate ab eis crudeliter sine fine torqueãtur, vt dicemus plura, quum in tertio nouissimo de pœnis inferni agemus, ideoq; hoc verbum, nihil quàm tristitiam & desperationẽ adauget. Sed obseruatu dignum est, quod non addit, *à cõstitutione mundi*: sicut de regno quod bonis paratum est, prius dixerat, vt ostẽdat quòd aliter Deus affectus est ad miserendũ, & aliter ad puniendum, ad miserendum. n. ab æterna & propria sua natura ꝓcliuis est,

Sapient. 2.

sed ad puniendum, successu temporis cõpulsus

ſus eſt ex ſua iuſtitia. *Deus enim mortē nō fecit, ſed creauit hominē inexterminabilem, et ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum: inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Illa ſedet (vt eſt in Apoc.) *ſuper equum pallidum, & infernus ſequebatur eam.* Itaque vt dicit Eſaias. *Ab heri præparata eſt Tophet*, id eſt, ruina ſeu infernus. Et quamuis igitur ignis ille à Deo præuiſus ſit ab æterno & ante mundi cōſtitutionē, non eſt tamen præparatus ab æterno, ſed ab heri, hoc eſt, ab eo tempore quo homo peccare cœpit. & quotidiè magis atq; magis hominum peccatis præparatur, augetur atque ſuccenditur. Vt igitur quę de malorum ſententia diximus, in pauca conferamus, reprobi maximum cruciatum habebunt. Primò ex aſpectu iudicis, qui eis apparebit irato leone terribilior. Secundò ex voce, quia nunquam fuit tantum tonitruū auditum, iuxta illud: *Dominum formidabunt aduerſarij eius, & ſuper ipſos in cœlis tonabit.* In horto paſsionis Domini noſtri milites ceciderunt & abierunt retrorſum in terram, quando eis reſpondentibus quòd *Ieſum Nazarenum quærerent*, ipſe leuiſsima & mitiſsima voce dixit, Ego ſum. Quid ergo, inquit Sanctus Auguſt. iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Atque ſententia

Apocal. 6.
Eſai 30.
1. Reg. 2.
Ioan. 18.
Sup Ioan. tractat. 112.

hæc mox executionem sortietur, hanc sancti Dei omnes approbabunt, impijssimi tortores cacadæmones complebunt. *Exibunt. n.*
Matt. 13. *angeli & separabunt iniustos de medio iustorũ, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus et*
Psal. 57. *stridor dentium.* Tunc: *Lætabitur iustus quum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatorum.* Quid, inquit B. Bernardus,
Serm. 8. in Psalm. Qui habi. modò tam irreligiosum, imò quid tam inhumanum. & execrabile videretur, quàm cruore quantumlibet inimicorum, quantũlibet iniquorum, pascere velle oculos, & oblectare aspectus supplicijs miserorum? attamen. sicut videbit peccator, & irascetur, den-
Psal. 111. tibus suis fremet & tabescet (prius enim benedicti vocabuntur in regnum, quàm maledicti in caminum deijciantur ignis æterni, quo videlicet acrius doleant, videntes quid amiserint) sic iusti quoq; videbunt & lætabuntur, considerantes quid euaserint. Hæc
Psalm. 90. Bernardus in illum versiculum Psalmi. Qui habitat: in quo legitur. *Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.* Tunc quoq; complebitur, quod apud
Esai. 65. Esaiam dicit Dominus Deus: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis, ecce serui mei bibent, & vos sitietis ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini, ecce serui mei laudabũt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis,*

dis, &c. Itàque ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam, ad quã nos Dominus Iesus ob meritum suæ acerbissimæ passionis nos citò post mortem deducat.

Sed quia de his quæ iudicium vniuersale præcedunt, & de his quæ illud concomitabuntur, abundè iam quinque declamationibus diximus, reliquum esset, vt etiam de his quæ consequentur, differerem, sed quia in tertio & quarto nouissimis hoc commodius fiet, reijciam, & eo vsque quo ad illa perueniam, differam. Sunt enim quæ iudicium consequentur, duo tantùm, eleuatio, scilicet iustorum ad cælos, & detrusio malorum ad inferos. De quibus passim sacræ litteræ mentionem faciunt, vti in Daniele legimus: *Multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium sempiternum.* Et similiter apud Euangelistas nempè apud Matthæum. *Ibunt hi in supplicium æternũ, iusti aũt in vitam æternam.* Apud Ioannem verò similiter: *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Hanc luctuosam depressionem iniustorum considerãs Ephrem diaconus Edessę in Syria scribit: Tunc segregantur ab inuicem, iterq; cõfici-

Consequẽtia iudiciũ

Eleuatio iustorum depressio malorum

Daniel. 12.

Matt 25.

Ioan. 5.

Lib. de vera pœnitẽtia, c. 8.

cōficiunt omni ſpe reuerſionis deſtitutum. Quis adeò lapideo corde, qui iam hic diem illam nō defleat, amariſsimè? tunc ſeparātur epiſcopi à coëpiſcopis, diaconi à cōdiaconis, ſubdiaconiq́; atq; lectores à ſocijs ſuis. Tunc ſeparātur hi qui aliquādo reges fuere, plorabuntque velut infantes, atq; vt mancipia pellentur, Tunc ingemiſcent principes, & diuites, & immiſericordes, pergentque nudi ac deſolati huc illuc intuentes. Anguſtiabuntur quærentes adiutorium, & non erit adiutor, Exclamat quoque Beatus Auguſtinus, in euangelium feriæ ſecūdæ dominicæ primæ quadrageſimæ: Qui ſtridor dentium? quum ſanctorum multitudine ad dexterā regis congregata, peccati populus in profundo tartari ſine vlla miſerationis ac veniæ ſpe demerſus, excludi ſe tenebris ſuis à Beata ſanctorum Luce viderit, & in profundi ſinum ſine fine deſcendens, vrgente os ſuum puteo, æterna ſupplicia & perpetuam mortem non moriturus aſpexerit, Hæc ille. Sed hiſce forſitan territationibus nimis dudum immorari videbuntur quibuſdam quos, vti facit Auguſtinus in ſermone antedicto, rogatos peruelim, vt cogitent ſeſe depellendis venenis aliquoties theriacam, & alias etiam amariores bibere potiones. Iam quum totus ferè mundus in maligno poſitus eſt, & pec-

Serm.67. de tempore.

cati

cati venenis periculosissimè laboret, hoc sal tem animandis saluandis, quod corpori curando facimus, non negligamus. Sunt, fateor, quæ iam sermonibus aliquot vobis protulimus, sed *hæc tristitia secundum Deum est*, 2.Corin. 7.
& pœnitentiā operatur in salutem stabilē seculi aūt tristitia mortē operatur. Largiatur nobis ita pœnitudinis lixiuio, *eluere veterem hominem, & induere nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*, vt illîc audire mereamur. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*, quod faxit Deus, qui est benedictus in sæcula, Amen. Quantumuis autem ex promissionibus & comminationibus sacræ scripturæ sciamus omnes quòd erunt: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, &: *Iudicium sine misericordia erit ei, qui non facit misericordiam*, tamen sicut iustis præ maxima & ineffabili cordis lætitia admirantibus, nouum erit, quòd illa maiestas de minimis suis *esurientibus, sitientibus, hospitibus, nudis, infirmis, & incarceratis* tantum curare dignata est, vt in illis esurierit, sitierit, &c. sic & impijs horrendum erit audire, *Discedite maledicti, &c.* Propterea se conabūtur excusare, dicentes *Domine quando vidimus esurientem aut sitientem, &c.* q dicant: Tu creator omnium, cæli & terræ Domi-

Ephes. 4.

Causę & rationes damnationis impiorum
Matth. 5.
Iacob. 2.

Matth. 25.

Impiorum excusatiões friuolæ.

mi-

minus, quid tibi vnquam defuit, vt egeres nostri? Hæ sunt ineptę eorũ excusationes: Sed respondebit illis iudex, & dicet: *Amen dico vobis quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Cristus caput est ecclesiæ omnisque principatus et potestatis.* Minimi autem Christi sunt abiecti omnes in mundo et contemptibiles quique, quorum sermo est. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.* In eiusmodi enim pauperibus qui & corpore & spiritu pauperes sunt, Christus esurit: sitit, &c. In corpore enim caput sursum est, pedes deorsum, in aliquà tamen hominum turba constipatus (vt eleganter magnus ille diuus Aurelius Augustinus Hippon. Episc. scribit) si quis tibi calcat pede, nõne clamat caput & linguà? calcas me, lædis me. Quemadmodũ ergo lingua q̃ nemo tangit, dicit. Calcas me, sicut & Christus caput nostrũ quem nemo calcat, et qui nõ esurit modo, nec sitit, dicet, In his membris meis esuriui, & sitiui, sedi ad foras vestras, & fuste me abegistis, & asperrimis verbis me profligastis, vos interim cuticulam curastis, & ad vomitum vsque vorastis cibũ, & potu vos obruistis ad insanã vsque & mutã ebrietatẽ: vestibus quoq; varijs non modò ad fastum abusi estis, quinetiam à tineis corrodi siuistis, cum frater meus

Colos. 2, Christus caput. Fratres minimi sunt pauperes. Psalm. 130

In Psal. 50. contion. 1.

Inuectiua in impios.

pauper &nudus in frigore, glatie, & niue ante ædes vestras iaceret. In marmoreis ædificijs, in operosis structuris immensum aurũ & argentum profudistis, imò aurum & argentum vestrum rubigine absumi permisistis, & quum essent vobis amplissimæ domus, eburnei lecti sericis aulæis & cortinis adornati, fratri tamen meo pauperi & perigrino stabulum aut vestræ domus angulum non concessistis, sed inhumaniter sub dio frigore vel bestijs agri periturũ exagitastis. Scorta, histriones, mimos, canes, equos in domos vestras collegistis & recepistis, magnisque impendijs nutriuistis, inopes & mendicos fratres meos nusquam tolerastis. Prostibula, popinas, œnopolia, spectula, choreas gestientes & magna cũ alacritate frequentastis, vt vestris concupiscentijs & voluptatibus indulgeretis, cæterùm, vt fratrẽ meum languidum inuiseretis & consolaremini, ne pedem quidem mouistis. Alia vna nocte viginti, centum, mille aureos & vltra vobis sæpe ꝑdidit, sed puellam paupertate addactã, prostituentem suam pudicitiam ne teruncio quidem iuuistis, sed vt talem aliquam corrumperetis, nullis pecunijs pepercistis. Dic mihi, inquit Chrysost., canis auare, cur tam durè compellas pauperem, num cogit te, num vim facit? orat, obsecrat, supplicat, omnia

omnia bona tibi precatur, & hoc facit pro paucis nummis tibi iure debitis, vel lege charitatis, vel fortaſſe pro labore manuum ſuarum, & ſudore vultus ſui. Et quid adhęc dicemus fratres? Si illi qui non vt homicidæ vel latrones, ſed vt illi, qui bonum non fecerunt, ita obiurgantur, dānantur & profligantur, quid fiet furibus, latronib9, viduarum & pupillorum oppreſſoribus, mœchis, cinoedis, quorum flagitia referre pudet. Ergo miſericordiæ opera faciamus, tam corporalia quam ſpiritualia, quæ duobus hiſce verſibus continentur:

Viſito poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,
Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

Quæ quum feceris, ad dextram collocaberis ouis, quod faxit pater, filius, & ſpiritus ſanctus, Amen.

IN

IN OMNIBVS OPE- RIBVS TVIS MEMO- RARE, ET CAET. Ecclef.7.

CONCIO XIIII.

Iudicium propter eius consequentia summè formidandum.

Vltimo hoc de iudicio sermone fert animus explicare, cur hoc iudicium timẽdum sit, tam ex parte incertitudinis eius diei, quàm ex parte, & iudicantis, & iudicandorum. Ac denique paraclesi, seu exhortatione, qui sint fructus memoriæ iudicij nouissimi commonstrare: inuocemus ergo sacri pneumatis charismata, & ne virginem matrem præteriamus, eandem breui, sed petaci salutatiuncula compellemus, dicentes:

AVE MARIA.

Vt igitur prima huius nouissimi cum vltimis coniungamus, atque laconica quadam anacephaleosi repetamus, ex quatuor quæ secundum nouissimum (scilicet Iudicium) nobis memoranda proponit, primum est, iudicia Dei esse quædam in hoc sæculo, quædam in futuro, è quibus vnum est particulare, alterum vniuersale. Secundum autem est, quod quædam vniuersale iudicium præcedunt, quædam concomitentur, & quædã

S conie-

consequantur. Ac de his quoniam sex sermonibus fusè satis diximus, tertiũ quod de hoc Iudicio considerandum est, nempè quã sit illud timendum,& quartum,qui sint fructus diligenter recogitati iudicij, hoc vnico sermone breuiter expediemus. Iudicium igitur imprimis, quia dubius & incertũs est

Iudicij dies incertus

eius aduentus, summoperè timendum est. Præcisũm enim iudicij diem scire nobis nõ expedit; sicut enim mundi principium à solo Deo, à quo factus est, præcognitum fuit: sic & finem eius solus Deus nouit, vti Christus nobis attestatur: *De die autẽ illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus pater.* Quod apud Marcum adhuc incertius esse ostenditur, vbi scriptum est: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque filius, nisi pater.* Ergo nec Christus ex humano intellectu, sed ex sola diuinitate hoc iudicij momẽtum & punctum temporis præcognoscit. Proptereà apostolis suis respondebat: *Nõ est vestrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate.* Et quid ita? interroget quispiam. Videlicet ne pigriores sumus, sed semper incerti. *Si* enim inquit Christus *paterfamilias sciret qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non fineret perfodi domum suam, ideoque & vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet* Ergo Christus & si hunc diem sciat, sed discipulis suis,

Matth. 24.
Marc. 13.
Act. 1.
Lucæ 12.

& nobis neſciuit, vt omnes paratos inueniret. Quemadmodum ſenectutis ſigna cognoſcimus, diem autem vltimnm ignoramus: ſic & labentis ſæculi ſigna cognoſcimus, finē autem eius neſcimus. Quum enim hominē ſenio grauatum videmus, quia propè moriturus eſt, ſcimus, quando verò neſcimus: ſic & mundum quum perturbatum cernimus, caſurum cognoſcimus, diem autem ignoramus. Et ſæpe ſenectus tam eſt longa, quàm ſimul iunctæ omnes ætates reliquæ. Sunt enim ſex hominis ætates, primis enim ſeptem annis homo infans ſeu ſugens, proximis ſeptē annis puer, ſequentibus ſeptē adoleſcens, ſubſequentibus ſeptem iuuenis vir, inſequentibus ſeptem vir abſulutè nominatur, adeò vt poſt quadrageſimum annum, teſte beato Auguſtino, ſenectus dicatur incipere. Et proinde cùm hominis ætas poſsit vſque ad annos centum & viginti peruenire, in confeſſo eſt, ſolam ſenectutem tam longā eſſe poſſe quàm omnes ætates priores. Sic & finis ſæculorū ſexta & vltima mundi ætas eſt in qua nunc ſumus, ſed tantùm vel magis protrahi poteſt, qnantùm priores omnes. Fruſtra igitur, inquit Auguſtinus, annos qui remanēt huic ſæculo conamur definire. Omniū enim de hac re calculantiū digitos, & numerādi peritiā reſoluit, & qeſcere iubet, q ait: De ciu. dei li. 18. ca. 53.

Non est vestrũ nosse tempora vel momenta quæ
Act.1. *pater posuit in sua potestate.* Similitudinem nobis dat Christus, dicens ex libro Geneseos;
Genes.7.
Matt.24.
Lucæ 17. *Sicut erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerũt, donec venit diluuium et tulit omnes,*
1.Thes.5. *ita erit & aduentus filij hominis. Quum* enim, teste Paulo, *dixerint impij pax & securitas, tũc repẽtinus eis superueniet interitus.* Ita & Christo (qui verus Noa est quia per eius gratiam
1.Petri.3. *aquis baptismi saluantur pij*) arcã ecclesiæ (*extra quam non est salus*) fabricante, prædicatur
Act.4. aduentus eius inopinatus. Quo audito multi à suis vitijs resipiscentes, & fructus pœnitentiæ dignos ostendentes, tametsi cum Noë vóce tacent, opere tamen loquuntur. Cæterùm impij ridentes & pœnitẽtiam contemnentes lasciuiunt, in diem viuunt, & omnia pacata existimant. At in die qua non putant, veniet dominus & perdet omnes. Similiter
Lucæ 17. *sicut factum est*, ait Christus, *in diebus Loth, edebant et bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant qua autem die exiuit de Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo, & perdi-*
2.Pet.2. *dit omnes, secundum hæc erit qua die filius hominis reuelabitur.* Propterea vigilemus, habeamus in memoria quia mundus fallax est, vita breuis, finis dubius, exitus horribilis, iudex

dex seuerus, pœna interminabilis, hæc semper nos terreant, & ad vigilantiam inducant. Nam quod tertio, ante hunc, sermone, diximus beatum Hieronimum iudicij diem semper extimuisse, idem hoc de se scribit Augustin. in hæc verba: Nec me reuocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis & futuri iudicij tui, qui nunquam recessit de pectore meo. *Vigilate* ergo inquit Christus, *quia nescitis diem neque horam.* Verùm, eheu, *Quia*, vt ait Salomon, *Non citò profertur contra malos sententia; absque vllo timore filij hominum perpetrant mala.* Imò peccator nunc quando omnium scelerum impunitatem habet atque licentiam, tũ se beatum, tum libertatem adeptũ iactitat, cui ensem illum Damoclis ego semel optauerim, vt aliter iudicet. Scribit enim Cicero quòd Dionysius tyrannus Dionysij boni filius, cùm quidem ex eius assentatoribus Damocles commemoraret quàm esset beatus. Vis ne igitur, eandem degustare, & experiri fortunam meam? Eo annuente collocari iussit hominem in aureo lecto, stratu pulcherrimo, textili magnificis operibus picto, abacosque quàmplures ornauit argento, auroque cœlato; tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eosque ad nutum illius intuentis diligenter mi

Lib. 6. Confess. cap. 16.

Marci. 13. Lucæ 12.

Eccles. 8.

Lib. 5 Tusculanarũ quæst.

niſtrare. Aderant vnguenta, odores, epulæ: In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appensũ demitti iuſsit, vt impenderet illius beati ceruicibus. Ita que nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in menſam, iam ipſæ deflue bant coronæ. Denique exorauit tyrannum vt abire liceret, quòd iam beatus eſſe nollet. Vtinam modò noſtri peccatores quibus mũdus adulatur, & ipſi mundo placere ſtudent, enſem illum diuini iudicij tam dubij & incerti conſiderarent, & vitã ſuam de filo, imò de pilo, pendentem aduerterent, quàm mox ex hac mũdana beatitudine ſeſe proriperẽt?

Iudicantis auctoritas. Eſt etiam ſummè metuendum illud iudicium ex parte iudicantis propter eiuſdem ſummam in, & erga nos authoritatem, à qua nemo poteſt appellare. Solent enim inferiorum iudicium ſententiæ minus timeri, quoniam & ſi cõdemnẽt in cauſis quibuſdam, euaſio patet per appellationem ad iudicem ſuperiorem, Quapropter dicit: *Ego ſum dominus deus tuus fortis zeloies, viſitans iniquitatem patrũ in filios in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens miſericordiam in millia, his qui diligunt me, et cuſtodiunt præcepta mea.*

Exod. 20.

Iob. 36. Quod conſiderans Eliu in libro Iob ait: *Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua,*

sua, & nullus es similis in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias eius, aut quis dicere poterit: operatus es iniquitatem. Propterea dicit Dauid: *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* Psal. 75. Sapien. 12.
Quam auctoritatem etiam Sapiens agnoscens: *Quis, inquit, dicet tibi, quid fecisti, aut quis stabit contra iudicium tuum, nec enim est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus, vt ostendas quoniam non iniustè iudicas iudicium: Neque rex, neque tyrannus inquirent in cõspectu tuo de his quos pdidisti.* Quamobrẽ prudenter nos cõmonefacit Salomon, dicẽs: Eccles. 8.
Ne festines recedere à facie eius, & ne permaneas in opere malo quia omne quod voluerit, faciet, & sermo eius potestate plenus est. Est & metuendus noster iudex propter summam eius sapientiam, quam nihil latet. Legimus *Salomonem* sententia regia *diremisse litem inter mulieres duas de vno infante viuo rixantes, & quum omnis Israel audisset iudicium quod iudicasset Rex timuerunt Regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.* Judicantis Sapientia 3. Reg. 3.
Imò & *regina Austri venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic. Quia sapientia eius attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Nam vt Iob ait, *Oculi eius super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat. Non sunt tenebræ, & non* Matth. 12. Sapien. 8. Iob. 34.

est vmbra mortis, vt abscondantur ibi qui operantur iniquitatem. Quod si ergò non licuit sacco
Hester 4. *indutum aulam regis Assueri intrare, si etiam*
Daniel 2. *Nabuchodonosor præposito eunuchorum suorum iussit, vt introduceret de filiis Israel pueros, sed non nisi natos ex semine regio, in quibus nulla esset macula decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, doctosque disciplina, vt possent stare & ministrare in præsentia regis,* quid mirum si rex omnium sæculorum, immortalis, inuisibilis infinitè perfectus splendorem virtutum, lucem sapientiæ, & ab omni macula (præsertim mortali, immunes & puros expetat. Nam, teste Apostolo, *Omnia*
Hebr. 4. Sapien. 1. *nuda & aperta sunt oculis eius.* Imò, & in cogitationibus impij erit interrogatio eius. Sed iam prætereà iudicis omnipotentiam, cui nihil resistere potest, si aspiciamus, indubie iudicium eius terribilissimum erit. De ipso enim dicit Dauid: *Deus iudex iustus, fortis, & patiens, nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum.* Sanè quàm metuenda nobis sit altissimi iudicis omnipotentia, ipsemet in euangelio docet in parabolis, dicens: *Quis*

Iudicantis omnipotentia.
Psalm. 7.
Luc. 14.

Rex volens committere bellum aduersus alium Regem, non priùs sedens cogitat, an possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin illo adhuc

longè

longè agente legationem mittens. rogat ea quæ pa cis sunt. Per quæ verba Christus designat, quòd homo iudicandus ab ipso Christo rege cælorum, debet quotidie examinare vitam suam, an in iudicio valeat respondere de cunctis interioribus & exterioribus, cogitationibus, verbis, operibus, omissionibus suis. Et si homo diligenter expendit, quid quæso dicet, nisi quod dixit Iob: *Verè scio quia ita sit, et quòd non iustificetur homo comparatus Deo; si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Quod si facere non potest, studeat ergo omnipotentiã eius placare, & metuendissimum iudicem sibi reconciliare per lachrymarum effusionem, per eleemosynarum elargitionem per celebrationem Missarum, per exercitia sacra vigiliarum, orationum, disciplinarum & ieiuniorum. Audiamus quid per Mosen dixerit Dominus: *Cùm acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea reddam vltionem hostibus meis.* Rursum quid dicat Esaias, aduertamus: *Ecce*, inquit, *nomen Domini venit de longinquo ardens furor eius grauis ad portandum.* Et iterum dominus ait per eundem. *Tacui semper silui, patiẽs fui, sicut parturiens loquar. dissipabo, absorbebo simul.* Imò, vt dicit alius Propheta. *Quis poterit cogitare diem aduentus eius, et quis stabit ad*

Iob. 9.
Dionys. Carthus. de nouiss. arti. 21.
Deut 32.
Esai. 30
Esai. 42.
Malch 3. Iudicantis iustitia.

videndum sum? &c. Terribilis enim erit, sum meq; tremendus propter eius iustitiam, per q̃ non parcet, aut per iudicandi supplicatio-nē, aut ꝑ minoris pœnę inflictionē, neq; mi-serebitur per cōpassionem, neq; flectetur ꝑ munerum largitionem. Quapropter ait B.
Iob 9. Iob: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Etiamsi iudicandus pec-
Dionys. cator supplicet iudici per matrē eius benedi-
Carthus. 2. ctam virginem Mariam, aut sanctissima vul
nouiss. art. nera eiusdem iudicis; non enim erit illic pœ
14. nitendi aut remittendi peccata tempus, iux-
Iob. 41. ta illud S Iob, per quem Dominus dicit: *Nō parcam ei & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.* Neque precibus etiam Stentoreo clamore emissis, vel tantulum pœna remittetur. Nam, *Scimus*, inquit Apostolus,
Rom. 2. *quoniam iudicium Dei est in veritate, in eos qui talia agunt.* Et paulò infrà ibidem: *Qui reddet* inquit, *vnicuiq; iuxta opera sua.* Neque tan-
Malch 3. getur tunc iudex vlla cōpassione, ipse enim
Matth. 5. dicit per Prophetam suum. *Ego Dominus, & non mutor.* Esto igitur, ait Christus, *cōsentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris: Amen dico*
Hom. 5. de pœnitētia. *tibi, nō exibis inde, donec reddas nouissimū quadrātem.* Quæ omnia eleganter connectit D. Chrysost dicens: Illic magnum iudicem ars Rhetoris nulla decipiet, qui nullius potētia

mitigatur, dignitati non condeſcendit, non veneratur perſonam, ſed tremendum & implacabile iuſti iudicis iudicium eſt, nec fle-ctetur per munerum largitionẽ. Vndè & Salomon proteſtatur: Diuitiæ non proderunt in die vltionis. Imò & cõtemptiùs loquitur de iudicio Domini Ezechiel: Argentum, inquit, eorũ foras proijcietur, & aurũ eorum in ſterquilinium erit: Argentum eorum, & aurum eorũ non valebit liberare eos in die furoris domini. Sophonias rationem addit, dicens: *Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini, nam in igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia conſummationem cum feſtinatione faciet omnibus habitantibus terram.* Placet etiã ampliùs audire, quàm terribiliter contra iniquos loquatur Dominus, ait enim per Oſeam: *Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum, & conſumã eos ibi quaſi leo.* Hæc ille: Vt enim aſſerũt philoſophi naturales, nihil ferocius eſt vrſa, dũ catulos ſuos amiſit, eum enim quem primũ inuenit, inuadit. Cur ergo Deus, cuius natura bonitas eſt, & cuius proprietas eſt pietas, comparat ſe crudeliſsimæ feræ, niſi ad demonſtrandum intolerabilem rigorem iuſtitiæ ſuæ, quæ etiam per Moſen iuſsit, dicens: *Non miſereberis pauperis in iudicio,* ſcilicet in dero-

Prouerb. 11
Ezech. 7.
Sopho. 1.
Oſeę 13.
Exod. 23.

derogationem iustitię aut detrimẽtum partis aduersæ. Nihil enim tam gloriosum in iudice est, quàm amare & facere iustitiam.
3. Officior. Nam, vt ait M. Tullius Cicero, Exuit personam iudicis: quisquis amicum induit, debet ergo amici personam ponere, quisquis induit personam iudicis. Quamobrem Deus Opt. Max. cuius hîc misericordię non est nu-
Iudicantis iurisdictio. merus illîc iustitię suę infinitatem ostendet. Quin & maximè metuendum est Dei iudicium propter eius in nos iurisdictioné, quia quidquid sumus, ab eo habemus. Quod ag-
Esther. 13. nouit etiam in oratione sua Esther delicata, dicens. *Domine in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tuę possit resistere voluntati.* Hæc illa. Iam si forsitan verba hæc minoris facias, quod à fœmina sint prolata, audi ip-
1. Paralip. cap. 29. sum Dauidem regem, dum concionaretur ad vniuersum Israelem. qui tandem conuersus ad Deum nostrum omnipotentem, sic ait: *Benedictus es Domine Deus patris nostri Israel, ab æterno vsque in æternum. Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atq; victoria, & tibi laus: cuncta enim quæ in cœlo sunt, et in terra, tua sunt: tuum domine regnum, & tu es super omnes principes: tuæ diuitiæ, & tua est gloria, tu dominaris omniũ, in manu tua virtus & potentia, in manu tua magnitudo &*
1. Corin. 4. *imperium omnium.* Et paulò infrà: *Tua sunt omnia*

omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Ex quibus verbis occasionem accep ſſe Paulus videtur, quando interrogat: *Quid habes quod non accepiſti.* Quoniam igitur, vt ait idem: *In ipſo viuimus mouemur, & ſumus,* ſicut quidam veſtrorum poëtarum, inquit Athenienſibus, dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus: ſanè æquiſsimum eſt, vt eius iudicium ſummè reuereamur & formidemus, nã quo altior eſt præcipientis auctoritas, eò vio lati pręcepti eius culpa grauior eſt. Denique quò maior eſt beneficentia, quam nobis in hac vita iugiter exhibet, eò vitioſior eſt ingratitudo, inobedientia & tranſgreſsio noſtra, & magis horrendum eſt iudicium. Huiuſmodi enim ingratis dicet, quæ per Prophetam ſcripta ſunt *Filius honorat patrem, et ſeruus Dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus, & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* Dicit ei Dauid: *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore oportuno, aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Si denique *ſolẽ ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, atq; pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*, quanta dementia eſt eius velle beneficijs vti & amore frui nolle, imò indies eum magis magiſq; offendere, vnde grauius iudicemur. In hac vita omnes ex ęquo beneficijs afficit, bonos, vt gratias agant

Actor.17.
Aratus.
Iudicantis beneficentia.
Malach.1.
Pſalm.144
Matth.5.

gant

Iudicandi sunt infirmi. gant, malos vt resipiscant, cæterùm: Est etiam summè formidandum dei iudicium ex parte iudicandorum. Sunt enim imprimis qui iudicabuntur homines infirmi. *Homo enim natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur et conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Quod rectè considerans Propheta, precatur. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Adhæc homunciones iudicandi sunt pauperes. Quod etiā Dauid perpendens, ait. *Citò anticipent nos misericordia tua, quia pauperes facti sumus nimis.* O si quidam qui nunc exultant in superbijs suis & diuitijs, audiant angelum dicentem: *Dicis diues sum, & locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Sunt quoque soli. *Vnusquisq; enim pro se rationem reddet Deo.* Sicuti enim nemo pro alio moritur, sed quisque suam mortem moritur, ita & suum iudicium feret. sicuti & nemo sineret alium pro se vitam æternam intrare. Sunt in omnibus deniq; rei. Nam: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. In multis enim offendimus omnes.* Sunt denique omnes incerti, odióne an amore digni veniāt. Quod Salomon ita scribens, ait: *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum*

Iob. 14. Psalm. 6. Sunt pauperes. Psalm. 78. Apoca. 3. Sunt soli. Roman. 14 Sunt in omnibus rei Psalm. 13. Iacob. 3. Sūt incerti. Ecclesi. 9

rum in manu Dei sunt, & tamen nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta, eò quòd vniuersa æquè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo et immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti, &c. Quàm expauescendum sit diuinum iudicium, Bernardus ostendens: Verùm tu, inquit, qui aduentum desideras saluatoris, time scrutinium iudicis; time oculos capreæ, time illum qui per prophetã dicit: *Et erit in die illa, & ego scrutabor Ierusalem in lucernis.* Et idem Bernardus in sermonib. 6. 7. & 8. in Psalmum, Qui habitat, & alijs locis quàmplurimis. Item Chrysost. homil. 48 ad populum Antiochenum, & homilia 5. in epist. ad Roman. Et sciendum, quod huius præsentis concionis argumentum Dionysius Carthusianus in secundo nouissimo octodecim circiter capitibus seu articulis copiosissimè simul & pijssimè diducit & explicat. Sed nos iam ad alia transeamus, nempè ad id quod quarto loco circa secũdum nouissimũ memorandum esse diximus, nempè quinã sint diligenter percogitati iudicij fructus.

In Cantica serm. 55.

Sophon. 1.

Fructus autem memoriæ iudicij sunt hi sequentes, timor, correctio vitæ, dolor præteritorũ peccatorũ, cautela futurorũ, sollicitudo, cõsolatio, & confirmatio. Ante omnia. n. timorem & horrorem peccatori incutit fre-

Vsus memoriæ & recordationis iudicij.

frequens & seria recordatio iudicij supremi,
Timor. sicut ait Salomon: *Per timorem declinat omnis*
Prouer.15. *à malo.* Cuiusmodi timorem nobis quoque
Christus inculcans: Ostendam, inquit, *vobis,*
Luc.12. *quem timeatis, timete eum qui postquàm corpus*
occiderit, habet potestatem animam mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete. Quis non timeat, quum audit dispar iudicium illud
Luc.16. in Lazarum & epulonem? Et quid iste ros docet epulo, quàm quod scriptum est apud
Ecclef.38. Iesum Syrach: *Memor esto iudicij mei sic enim erit & tuum mihi heri, tibi hodie*, Propterea
Psal.118. tam feruenter Propheta Dauid orabat. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Diximus superiorib. sermonibus B. Hieron. & D. August anxiè semper formidasse iudicium, audi & nunc sanctum Gregorium valde timuisse semper finale iudicium, qui ita scribit: Præsentis temporis ita est agenda lætitia, vt sequentis iudicij amaritudo nunquam recedat à memoria. Et in
Serm.18. de verb. apost. eandem sententiam. Augustinus quoque dicit: Timor iudicij & gehennæ est quidam custos, & pædagogus legis. Secundus autem attentè recogitati iudicij fructus, est vitæ correctio, ad quam Ioannes Baptista Pharisæos
Correctio vitæ.
Matth.3. & Saducæos ad suum baptisma venientium, exhortabatur timore & recordatione venturi iudicis, dicens: *Progenies viperarum, quis vobis*

quis vobis demõſtrauit fugere à vẽtura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitẽtia. Et ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham potens eſt enim Deus, de lapidibus his ſuſcitare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor quæ non facit fructũ bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Profectò, inquit beatus Auguſtinus, nihil ſic reuocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis & iudicij cogitatio. Tertius porrò fructus eſt ſui ipſius de peccatis prę teritis punitio, & in ſemet animaduerſio atque caſtigatio, de qua apoſtolus ſcribit Corinthijs, dicens: *Si noſipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur: quando autem iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Sic Daniel quum identidem in ſpiritu videret formam futuri iudicij, dicit de ſe ipſo: *Ego Daniel cogitationibus* meis multum conturbabar, & facies mea mutata eſt in me. Et idem denuò capite ſequenti: Ego Daniel langui & ægrotaui per dies aliquot, ſcilicet ex horrore tremendi iudicij. Hoc quoq; iudicium meditabatur Iob, dum dicebat: *Ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationib.* Super quæ verba Gregor. ſcribit: Qui enim ſibi in conſpectu Dei iudicium ponit, os ſuum increpationibus replet, quia dum ſubtile examen tremendi contra

Li. 2. de Geneſi contra Manichęos ca. 28.

Caſtigatio ſui.

1. Corin. 11.

Daniel. 7. & 8.

Iob. 21.

Lib. 16. Moral. c. 14.

ſe iudicis contemplatur, amarè ſe pœnitentiæ inuectione perſequitur. Prætereà non ſolùm conducit iudicij commemoratio ad

Cautela futurorum.

præteritorum peccatorum emendationem ſed valet etiam ad cautelam de peccatis futuris iuxta verba thematis noſtri, *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* B. Bernardus Moſis illum verſiculum, ſcilicet: *Vtinam ſaperent, intelligerent, ac nouiſſima prouiderent*, explicans ſcribit: In his verbis tria nobis video commendari, ſapientiam, intelligentiam, prouidentiam. Arbitror ſanè tribus eas poſſe aſsignari temporibus, vt æternitatis quædam imago reformari videatur in nobis, præſentia meditantibus per ſapientiam, præterita per intelligentiam dijudicãtibus, futura prouidentibus ad cautelam. Idẽ denuò Bernardus ad quendam, qui auſus eſt nouitium dehortari à propoſito: O vtinam, inquit, ſaperes, & intelligeres, ac nouiſsima prouideres. ſaperes quæ Dei ſunt, intelligeres quæ mundi ſunt, prouideres quæ inferni ſunt. profectò inferna horreres, ſuperna appeteres, & quæ ſunt ad malum, contemneres. Inſuper frequens cogitatio iudicij excitat piam & Chriſtianam ſolicitudinem, quã nobis commendat Propheta, dicens: *Indicabo tibi, o homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere indicium, & diligere*

Eccleſ. 7. Deuter. 32.

Sermon. in die apoſt. Petri & Pauli.

Epiſt. 292.

Solicitudo Chriſtiana

Micheę 6.

ligere misericordiam, & solicitum ambulare cũ Deo tuo. Qđ ipsum Hebræis p̃cipit Paulus, dicẽs. *Cupimus vnumquemq; vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei vsque in finem, vt non segnes efficiamini: verùm imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabunt promissiones.* Quin & assidua iudicij meditatio alleuat præsentes labores pro Christo iudice sustinẽdos. Sic enim filium ad seruitutem Dei accedentem animat Syrach. *Omne,* inquiens, *quod applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argentum homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Quod multò copiosiùs adhuc dicit Petrus his verbis: *Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuã per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem.* Et post pauca: *In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari, vt probatio fidei vestræ multò preciosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam, & honorem in reuelatione IESV CHRISTI,* scilicet ad iudicium finale. A simili quoque consolatione exorditur epistolam suã Apostolus Iacobus: *Omne gaudium,* inquit,

Hebr. 6.

Cõsolatio laborum.

Ecclesi. 2.

1. Petri 1.

Iacob. 1.

fratres existimate, quum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Quam sententiam Iacobi
Rom.5. Paulus perficiens, dicit: *Gloriamur in tribulationibus scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patiētia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit*. Sed audi quam restrictionem adijcit idem Apostolus in 8. ca.
Rom.8. *Si tamen compatimur*, inquit, *vt conglorificemur: existimo enim, ait, quòd non sint condignæ passiones huius temporis ad futurā gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Na sicut ipse Paul⁹ Esaiā
Esai.64. citans, ait: *Oculus non vidit, auris non audiuit,*
1.Corint.2. *& in cor hominis non ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se* Sed eiusmodi promissionibus, quia tota scatet scriptura sacra, videamus quid præterea nobis conferat perpetua
cōfirmatio in bono. finalis iudicij commemoratio, nempè hoc quòd confirmat in omni opere bono iustū. Nam panis quotidianus confirmat ille qui-
Matth.4. dem cor hominis, *at non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Iam vt panis sacræ scripturæ varium habet delectamentum, & omnem saporem suauitatis, nulla tamen est scriptura quæ tantam promittit consolationem, quæq; nos vt duremus, perinde confirmat consolidatque, atque illa quæ in mentem reducit, quid in iudicio iustis & mundi ærumnis excruciatis,
pro-

promittit, nempè redemptionem. *Qui enim* Matth. 24.
perseuerauerit vsque in finē, hic saluus erit. His Luc. 21.
ergo fieri incipientibus aspicite, & leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra. Propterea vt huius concionis finem faciam, aliquot Pauli verbis vos ad constantiam in tribulationibus, & in pietate stabili exhortabor. Dicit ergo Paulus: *Itaque fratres* 1. Corint. 15
mei dilecti stabiles estote et immobiles, abundantes in omni opere domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. Et rursum: 1. Thessal. 5
Propter quod consolamini inuicem, & ædificate alterutrum, sicut & facitis. Et in eodem capite post pauca. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester & anima, & corpus sine querela in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruetur, fidelis est qui vocauit vos, qui etiam faciet.* Hoc idem Deus no- Apoca. 2.
ster angelo Smyrnæ ecclesiæ scribi iussit: *Esto*, inquit, *fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Hoc nobis omnibus, in quem credimus, largiatur Iesus Christus, *vt in iudi* Ioan. 5.
cium (condemnationis) *non veniamus sed trāseamus à morte in vitam.* vocati ab illa suauissima voce: *Venite benedicti patris mei, percipi-* Matt. 25.
te regnum quod paratum est vobis ab origine mūdi. Quod nobis concedat, qui viuit & regnat in æternum Deus pater, filius & spiritus sanctus; Amen.

Lectori amico S. P.

SErenitati nubem inducere, aut sus Mineruam forsitan videbor docere velle, quòd (in quas exegesi quandam commentor) F. Ioannes Schvveinbergeri de quatuor nouissimis tabulas affabre delineatas, & Ioachimi Staingadensis Abbatis sui impensis euulgatas, inuertam: ac ὕστερον πρότερον faciam, dũ quod ille quartum nouissimum, nempè Infernum, ego in ordine tertium colloco. At si hoc peccatum est, peccauit Antonius Fabricius, qui ex temporaneo Elegiaco carmine easdem laudans, Infernum ponit ordine tertium. Scio etiam prius ad gaudia cœli vocandos iustos, & postremo tandem impios ad tartara profligãdos. Sed beatus Bernardi enumerationem plerique omnes, vt Bonauentura; Dionysius Carthusianus, Ioannes Cartenius Doctor Carmelita sequũtur, propterea neque nos extra publicam viam ambulare voluimus. Præsertim quia B. Augustinus hunc etiam ordinem tenere voluit, vt prius de pœnis inferni, posteà verò de felicitate sanctorum differere maluerit, Vale.

sermon. de primordijs & medijs, atque nouissimis.

Li. 21. de ciuitate dei, in ipso statim limine

IN

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET. Ecclef. 7.

CONCIO XV.

De tertio nouissimo, quid sit Infernus, vbi sit, & quando creatus, quodque sint eius partes.

QVemadmodum è quatuor nouissimis, duo priora, nempè Mors & Iudicium omnibus omnino hominibus cōiunctim & pariter vsuuenient (*Statutū est enim omnib. hominibus semel mori, & post hoc iudicium*) ita duo posteriora videlicet Infernus & Cęlum non pariter, sed diuisim singulis mortalibus contingent. Nam sicut in hac mortali vita, duæ hominum societates, vna bonorum, altera malorum est: ita & illìc cōsortia duo, eaq; diuersissimis locis distincta erunt, beatorum & damnatorum. Et istis quidem, vt ait Augustinus, facultas, illis verò voluntas non poterit vlla esse peccandi, & neutris vlla conditio moriendi, sed iusti in æterna vita feliciter viuent, reprobi verò in æternis tormentis sine vlla potestate moriendi infeliciter perdurabunt in sæcula sæculorum. Horum duorum nouissimorum figuram & similitudinem, vi-

Hebr. 9.

In Enchiridio ad Laurent. c. 111.

Conditio piorum & impiorum post iudicium.

vidit Hieremias ca. 24. quando vidit duos calathos ficuum, ficus valde bonas & ficus valde malas Quis ergo damnatorum locus, quomodo appelletur, vbi sit, & quot eius sint partes, hoc sermone decreuimus explicare, sed ante omnia diuinam opem inuocemus, & virginem Deiparam salutemus, dicentes;

AVE MARIA.

Tristia & horrenda erunt omnia quæ quinque proximis declamationibus de Inferno dicturi sumus, non tamen inutilia: quippe q̄ occæcatum & obduratū peccatorē à peccati fœditate retrahere posſūt. Nam vt, *Oderunt peccare boni virtutis amore. Sic & Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Quemadmodum sunt arbores aliquot quæ, vt fructum ferant æstate proxima, nolunt nisi molliculæ tractari, vt sunt oleæ, & malus punica, & è contrario sunt quædam quæ, nisi probè flagellatæ, fructum non pariunt: ita sunt & hominum quorundā ingenia, quæ clementia, bonitate, cōsolationibus, & promiſsionibus, non flectuntur aut ducuntur, sed, vt asini: virga & comminationibus impelli, trahique debent. Propterea quoq; spiritus sanctus Dei, author sacræ scripturæ nos non tantùm prolicit promiſsionibus, sed frequenter nos territat grauiſsimis cōminationibus,

Horat. Epist. li. 1. epist. 16. ad Quintiū.

nibus, vt per totum Exodum tam plagis Aegyptiacis, quàm durißimis Israelitici murmurantis & recalcitrantis populi castigationibus perspicuum fit. Similiter & in Deuteronomio, vbi *multiplex promittitur obseruantibus legem benedictio, & transgressoribus maledictio*: Et in Psalmis permultis præsertim in eo, vbi dicitur: *Dilexit maledictionē & veniet ei, et noluit benedictioinem & elongabitur ab eo*: in quo magna vehementia os peccatoris & dolosi quod super se apertum erat, Dauid redarguit, Si fortasse quispiam neget metu Christianum esse cogendum, quia *hilarem datorem diligit Deus*, & non placent Deo coacta seruitia, respondeo persæpe Dei singulari beneficio fieri, vt quæ coguntur inuiti, postea volentes faciant, vt Paulus qui quum pœna corporis ad euangelium suscipiendū compulsus sit, tamen postea plus omnibus, qui solo verbo vocati paruerunt laborauit. Felix ergo necessitas quæ cogit ad meliora. Videmus, inquit B. August. per setam introduci linum quando aliquid suiter, sed nisi exeat seta non succedit linum, sic timor primò mentem occupat, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit vt introduceret charitatem. Itàque timor pœnarum inferni est adolescentibus, & necdum in virtute charitatis Dei perfectis, velut in vixorius

Exod.
Deut. 28.
Psal. 108.
2. Corint. cap. 9.
De vera religione cap. 17.
Idē tractatu 9. in epist. Ioā.

In vita. S. Antonij Abbatis ad peregrinos fratres, excusa in Aloysij Lipomani vitis sanctorũ.

rius scipio, quo se sustentent, ne cadant in tentationes dæmonum. Sicut sanctus Athanasius episcopus Alexandrinus scribit beatũ Antonium fecisse, quum in adolescentia sua annorum circiter viginti anachoreticam vitam incepisset. Sed Athanasij verba referre præstat: Per dies etiam (inquit) tam apertis in eũ telis irruebat, vt nullus ambigeret, quin Antonius contra diabolum dimicaret, nã & ille cogitationes sordidas conabatur inserere, & hic eos oratu summouebat assiduo. Ille titillabat sensus naturali carnis ardore, hic fide, vigilijs, & ieiunijs corpus omne vallabat. Ille per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta lasciuię; hic vltrices gehennæ flammas, & dolorem vermium recordans, ingestæ sibi libidini opponebat. Ille lubricum adolescentiæ iter, & ad ruinã facile proponebat; hic æterna futuri iudicij tormenta considerans, illæsam animæ puritatem per tentamenta seruabat. Ista autem omnia ad confusionem diaboli fiebant. Hæc Athanasius. Iuuerit igitur quàm plurimum vt pœnas inferni præ oculis habeant adolescentiores, & dæmoni eos ad peccandum prouocanti, illud Christi verbum respondeant: *Vade satana.* Et iterum illud: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et omni-*

Matth. 4.
Matt. 25.

omnibus angelis eius;In hunc igitur vsum tremendas illas & intollerabiles apud inferos pœnas non omnes quidem enumerabimus, sed aliquod.Nam vt cecinit Virgilius: Aeneidos lib.6.

Non mihi si linguæ centum sint,oraque centum.
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Cæterùm,priusquã orationi vela panda mus,in ipso portu Grãmaticos atq; Dialecti cos interrogemus, vnde nomẽ suũ deriuarit Infernus & quãdo factus, & quidnã sit, & q̃ alia nomina habeat,vbi deĩdelit,deniq; quot receptacula seu partes habeat. Sed en commodum sanctus Augustinus:vir qui literarum omnium bonarum orbem absoluit, in littore stat, hunc interrogemus.Is quæ sequũtur verba scribens: Variè,inquit, in scripturis,& sub intellectu multiplici sicut rerum de quibus agitur sensus exigit, nomen ponitur inferorum. Sed vt idem in tomo epistolarum scribit Dardano. Non facilè alicubi scripturarum, inferorum nomen positũ inuenitur in bono. Hęc ille: Attamen nõ(vt ineptè quidam)à verbo Infero,eò quòd reorum animæ in infernũ inferantur,nuncupatus esse credi debet, alioqui & *sinus Abrahæ(quo mẽdicus Lazarus portatus est ab angelis)* infern⁹ appellãdus esset,quu tamẽ is non pœnæ

Inferni ety mologia.

Quæstionũ super Numeros. Lib.4.c.28.

Dionys. Cart. de nouis. art.43.

Lucæ 16.

pœnæ, ſed conſolationis locus erat. Rurſum ergò ſanctum Auguſtinum interrogemus, hic ita reſpondens: Inferi, inquit, eò quòd infrà ſunt, latinè appellantur: ſicut .n. ſecundū corpus (ſi ponderis ſui ordinem teneant) inferiora ſunt omnia grauiora, ita ſecundum ſpiritum, inferiora ſunt omnia triſtiora. Vndè & in Græca lingua origo nominis ἅιδης, quo appellantur inferi, ex eo quòd nihil ſuaue habeant reſonare, perhibetur. Hæc Auguſtinus. Sanè ἅιδης παρὰ τὸ α καὶ ἴδη, idem eſt ac ſi dicas, ſine voluptate. Locus enim ille priuatus omni dulcedine, caret omni voluptate. Ob eandem cauſam quoque dicitur Acheron, quem alij lacum, alij fluuium ſcribunt, per quem traijcitur trans immanem ſpecum ad inferos. Αχέρον vel παρὰ τὸ ἄχι ῥέων, hoc eſt, dolor fluens, vel παρὰ τὸ α καὶ χαρᾶς, hoc eſt, ſine gaudio exponi debet. Vocatur & alio nomine Erebus, quæ vox ἔρεβος tenebræ & caligo Latinis redditur. Quin & Styx appellatur, quam legimus eſſe aquam ad Nonacrim in Arcadiæ regione, ex altiſſima ſaxi crepidine diſtillantem, tam violētæ frigiditatis, & naturæ tam atrocis, vt in ea neque argenteum, neque æreum, neque ferreum vas poſsit durare, ſed mox diſsiliat ac diſsipetur. Sed contineri & conſeruari poſſe eam aquam, vngula duntaxat mulæ, &

De Geneſi ad literam, ca. 34.

Infernus.

ἅιδης.

Inferni Synonima.

Acheron.

Erebus.

Styx.

& ea aqua Alexandrum Magnum enecatum ferunt. Itàque hoc nomine intolerabilem frigoris pœnam antiquitas in inferno significare voluisse videtur. Et mox contrario nomine Phlegethon etiam ab ijsdem est nominatus Sicut enim Styx Græcè στυξ, παρὰ τὸ στυγέω, odium, à verbo odi Latinis significat, sic Phlegethon, παρὰ τὸ φλέγω, hoc est, ab ardeo ardens exponitur, & est Phlegethõ. Iob 24.
Phlegethon sulphureus & flammans amnis infernalis. Et quid aliud vult dicere Iob, vbi recenset varias hominum iniquitates, à Deo puniendas: *Ad nimium calorem transeat* (peccator) *ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius*. Scitis nullam esse niuali aqua frigidiorem, scitis quoque quanta sit pœna, si manus rigentes & congelatæ ex aqua niuali subitò admoueantur calidissimo igni, quantus sit pugnantis frigoris cũ calore cruciatus. Sed reliqua inferni cognomina audiamus. Vocatur enim & Lethe qui etiam fluuius est, & in Hispania & in Aphrica descendens ad inferos. Græcè dicitur λήθη, id est, obliuio. In inferno enim omnis voluptatis obliuio est. Appellatur etiam Orcus & Cocytus, qui etiam duo sunt infernalia flumina. Græcè ὅρκος Latinè iusiurandum est. Nam Orcus in regione Bithyniæ periurium in hanc aquã immissum vorticibus

Lethe. Orcus. Cocytus.

bus mox inuolutum, abripere credebatur. Græcè autem κωκύτος, Latinè luctus significat. Quin & Barathrum infernus vocatur.
Barathrū Nam græcè βάραθρον hiatum præcipitem significat. Locus is erat Athenis, in quem noxios deturbabant. Tandem & Abyssus etiam appellatur, quòd sine fundo infernus sit.
Abyssus
Auernus Imò & Auernus ab aliquibus dicitur, quasi sine vere & temperie. Sunt & eiusmodi alia inferorum nomina, vt Tartarus, Tænarus, &c. Hæc autem attigimus, vt ostendatur antiquorum semper eam fuisse sententiam, apud inferos omnium eorum esse congeriem; quæ apud nos leguntur esse tetra, dira, horrenda, pestifera. Atque hæc inferni synonyma in gentilium libris inuenimus, nunc in sacris literis an amabiliora nomina infernus habeat, inquiramus. Ac inferni quidem nomen frequens est, vt apud Dauidem habetur: Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Sed apud Esaiam aliud nomen habet, nempè Tophet: *Præparata est*, inquit, *ab heri Tophet, à rege præparata, profunda, et dilatata nutrimenta eius ignis, & ligna multa: flatus domini sicut torrens sulphuris succendens eam* Totum enim hunc locum S. Hieron. in tormenta malorum accommodat. Porrò autem Tophet locus est in valle filij Ennon, qui cernitur in Hierosolymæ suburbanis,
Psal. 48.
Esai. 30.
Tophet.
Gehenna.

vbi

vbi quondam parentes gentiles filios suos igni exustos deuouebant, & immolabant dæmonio Moloch. Locus autem ille dictus est Tophet hoc est, timpanũ, quia quũ idolo Moloch incendebantur pueri viui, sacerdotes saltantes percutiebant tympana, ne pueri eiulatus audiretur. Hunc locum vocat Christus gehennam. *Qui*, inquit, *dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et iterùm: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & corpus, & animam perdere in gehennam.* Atque rursum: *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & quum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò quàm vos.* Tandem hunc locum *Tophet Iosias rex aboleuit, & contaminauit ac destruxit, proijciendo illuc cadauera fœtida, & alias quasque immundities.* Cęterùm, quia Esaias dicit ab heri Tophet à rege præparatam esse existit hoc loco quæstio, quando creatus sit infernus. Hanc etiã sibi quæstionẽ obiecit B. Augustinus, & soluit his verbis: Damnandis, inquit, in nouissimo die, Domino pronunciante dicitur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparauit pater meus diabolo & angelis eius.*

Matt. 5. Matt. 10. Matt. 23. 4. Reg. 23. Infernus quando creatus. Libro de mirabilib. sacræ scripturæ. Matt. 25.

Quando ergo præparatus est ille ignis? nisi

in

in perfectione creaturarum omnium, nisi fortè dicamus post sextæ diei perfectionem Deum aliquid creasse, quod absit, ne mendacem scripturam, imò nosmetipsos, faciamus. Cui ergo carcer in illa creaturarũ conditione præparatus est, illius peccatum originaliter illas creaturas præcessit. Quoniam, vt scriptura inquit, *Ipse ab initio mendax est, et in veritate non stetit.* Restat ergo vt ruina angelica qua causa à domino tacita sit, exponamus, dum illum creaturarum Dei primum angelum cecidisse non ambigimus. Angelicum igitur vulnus qualiter factum sit, verus medicus indicare noluit, quia illud curare posteà nõ destinauit. Et qualiter sit eiectus, per sententiam vindictę reticuit, quem per pœnitentiam nullo modo reuocauit. Peccatum verò hominis quomodo factum fuerit profertur; ipsum namque quandoque promereri veniam non desperatur. Et qualiter eiectus sit homo Deus indicare maluit, quẽ ad statum pristinum in nouissimo iterum reuocauit. Hæc B. Augustinus. Ex hoc loco & similibus credit sancta ecclesia, quod infernus sit profundissimus locus circa centrum seu meditullium globi terræ, qui & latissimus est & profundissimus, ignobilissimusque ac orbicularis & perpetuò duraturus, ad hoc ordinatus à Deo vt sit carcer dæmonũ, in quo

Ioan. 8.

Infernus vbi sit.

in quo vſque ad diem iudicij cruciabuntur animæ peccatorum in peccato mortali decedentium,& poſt diem iudicij animę &corpora ſimul cum dæmonibus. Et quanquam nunc per aëra vagantur maligni ſpiritus angelici,& quorundam animæ etiam in terra forſitan crucientur (vbi enim cunque locorum ſunt damnati, ſuum ſemper ſecum ferunt infernum) tamen poſt iudicij die omnes impij & dæmones & homines, iubente Deo, detrudentur in infimum illud centrũ terræ,inde nunquam exituri. Vt ſic impleatur quod cecinit Dauid: *Dixit Dominus Domino meo,ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos;ſcabellum pedum tuorum.* Quod clarius exponens Paulus, *Deinde,* inquit, *finis cùm tradiderit regnum Deo & patri, quum euacuauerit omnem principatum,& poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius.* Et paucis interiectis,addit: *Cùm autem ſubiecta fuerint illi omnia,tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei qui ſubiecit ipſi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus.* Exiſtimarunt aliquando Theologi quidam, in his Iſidorus Hiſpalenſis, quòd ſub ipſo globo terræ ex aduerſa parte hemiſpherij noſtri apud Antipodes eſſet Infernus, quodque poſt iudicium, ſolis & lunæ orbes ita conſiſterent, ſol ad Orien-

Pſalm. 109.

1. Corin. 15.

tem,& luna ad Occidentem, sic vt duntaxat hemispherio nostro lumen infunderent, dãnatos verò in sempiternam noctem alterius hemispherij relegandos. Sed hæc iampridem explosa est sententia, nam in medio terræ ventre, non in tergo sunt hæc pœnarum loca, sicuti & ratio docet. Decet enim eos qui obstinatè à Deo per prauam voluntatẽ & morum obscœnitatem discesserunt, ad infimam trudi *terræ partem*, à cælo remotissimam *opertam mortis caligine, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.*

Iob 10.

Psalm. 85. Cæterùm quia Dauid gloriatur, dicẽs, *Glorificabo nomen tuum in æternum, quoniam misericordia tua magna est super me, eruisti animam meam ex inferno inferiori*, apparet duos esse infernos, vel vnius inferni distinctas partes. Propterea priusquam exactè definiamus, quæramus ex sacra scriptura & placitis Theologorũ Ecclesiasticorum quot partes infernus habeat, & quotuplicia sint animarum receptacula, maximè quum ex symbolo Apostolorum, atq; articulis fidei nostræ doceamur, ꝙ etiam Christus descẽdit ad inferna, quẽ in pœnis damnatorum, aut etiam in societate eorũ fuisse credi, nefas est. Quæ

1. Corint. 6 *enim*, rogat Paulus, *societas luci ad tenebras, quæ autem conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli.* Ex quib. intelligitur non

non solum Christum, sed nec fideles omnes eodem inferni receptaculo cötineri. Primú igitur ꝙ tertium nouissimum, scilicet Infernus, contemplãdum proponit, est quòd quatuor ex sacris litteris docemur inferni partes esse. Prima, superior & nobis proxima, quæ limbus patrum dicitur, vbi sola pœna seu priuatio gloriç fuerat, & eam parté Christus destruxit. Altera purgatorium, tertia limbus puerorum, quarta damnatorũ. Verùm enimuerò de singulis partibus iam speciatim plura dicemus. Diximus autem paulo antè infernum nõ in tergo globi terrç nobis opposito, sed in ipsius globi meditullio esse. Atq; hoc D. Hieronymus super illud dictum Christi, nempè: *Sicut fuit Ionas in ventre cœti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ*, affirmat, exemplum sumensà corde animalis, Vt, inquit, cor est in medio animalis, ita & infernus est in medio terræ. Cæterùm si quisquam interroget, quantum distet à superficie terræ, quidquid dicant Geometræ, aut Astronomi, nobis omninò incertũ est, Lucifer & alij mali angeli, q id mẽsurauerũt, hoc dicere possẽt. Quemadmodũ legimus episcopũ fuisse, qui inter cæteros sanctos in honore habens S. Andræã Apostolũ, ab antiquo hoste tẽtatus

Quatuor inferni partes esse.
1. Limbus patrum.
2. Purgatorium.
3. Limbus puerorum.
4. Carcer reproborũ.
Matth. 12.
Legenda Lõbardica

est in formam mulieris pulcherrimæ transformato. Venit enim ad pallatium episcopi, asserens se velle confiteri eidem. Mandat episcopus vt suo Pœnitentiario confiteatur, cui plenitudinem tradiderat potestatis. Renunciat illa, quòd nulli hominum nisi ipsi secreta conscientiæ suæ vellet reuelare. Sic victus episcopus, eam ad se venire permittit. Cui illa: obsecro, inquit, domine miserere mei. Ego vt cernis puella à pueritia delicatè enutrita, regia stirpe progenita, huc in peregrino habitu sola veni. Nam pater meus rex valde potens cuidã magno principi volebat me in coniugium dare. Cui respondi quòd omnem thorum abominarer maritalem, quia virginitatem meam Christo imperpetuum dedicaui, & ideò nunquam possem in carnalem copulam consentire. Denique sic arctata sum vt vel voluntati eius durissimæ obedire, aut certè diuersa subire supplicia debuissem, ideò fugam inij, magis eligens exulare, quàm sponso meo fidem infringere. Audiens verò vestræ sanctitatis præconium, sub alas vestræ protectionis confugi, sperans apud te locum inuenire quietis; vbi contemplationis capere secreta silentia, præsentisque vitæ naufragia vitare, & perstrepentis mundi perturbationem fugere possim. Admirans in ea episcopus nobilitatem

tem generis. pulchritudinem corporis, tantumque deuotionis feruorem et tantam eloquentiæ venustatem, placida & benigna voce respondit. Esto secura filia ne formides, quia ille ob cuius amorem et te, et tuos, tuaque omnia tam viriliter contempsisti, ob hoc in præsenti vita cumulum gratiæ, et in futura plenitudinem gloriæ largietur. Sed et ego seruus eius me et mea tibi offero, elige hîc tibi mânsionem, hodieque mecum prandeto. Cui illa. Noli pater hoc à me petere, ne forte hinc aliqua mali suspitio proueniat, et nitor famæ vestræ denigrationem quampiam patiatur. Cui episcopus. Plures erimus & non soli, ideòque nullum malæ suspitionis scrupulum incurremus. Venientes itaque ad mensam, episcopus & illa ex opposito sederunt cœteris residentibus hinc inde. Intenditque in eam crebrò episcopus, eiusque faciem non desinit intueri, & pulchritudinem admirari, ita vt dum oculus figitur animus sauciaretur. Et dum eius faciem non desinit intueri, antiquus hostis graui iaculo cor eius vulnerauit. Perpendit hoc & ipse diabolus, & pulchritudinem suam cœpit magis ac magis augere. Itàque episcopus iam proximus erat consensui, vt eam de illicito opere tentaret primum atque daretur occasio. Tunc subitò, quidam peregrinus

venit ad ostium crebris ictibus pulsans, & magnis clamorib. postulãs sibi aperiri. Cum que aperire nollet, & ille validis clamorib. fieret importunus, interrogat episcopus mulierē si ingressu illius peregrini nó formidaret ꝓdi apud patrē suũ regi. ꝓponatur, inqt ei primum q̃stio aliqua grauis, q̃ si enodauerit, admittatur, si nescierit, tanq̃ inscius & indignus episcopi p̃sentia repellatur. Fauēt oēs eius sentētiæ, eamq; rogãt, vt ipsa dignetur ꝓponere. Tũc ipsa dixit. Interrogetur quod nã sit illud minimum, in quo Deꝰ maximũ miraculum edidit? Respõdit peregrinꝰ: Diuersitas & excellentia facierũ. Inter tot.n. homines q fuerunt ab initio mundi, non sunt duo p oīa similes. Audientes oēs responsionem laudauerunt, ꝙ esset optima solutio, tunc mulier secundã ꝓponens, interrogetur ait, vbi terra sit altior omni cęlo? Percũctatꝰ sup hoc peregrinus, dixit: in cęlo empyreo, vbi residet corpus Christi, hoc.n. de terrena substãtia formatũ est. Hanc responsionē mirabiliter oés apꝓbant, laudantq; sapientiã. Tunc illa: ꝓponatur, inquit, q̃stio tertia, quã (credo) nó soluet: nempè quãtum sit spaciũ à terra vsq; in cęlũ? respõdit peregrinus: Hoc ipsa melius me nouit, nã ipsa spacium mēsurauit, quãdo de cęlo in abyssum cecidit. Audiens hoc nuncius vehemēter expauit, & dũ hoc in cõuiuio recitat, stupentib. omnib. dę-

mon euanuit. Et dum redit nuncius vt peregrinũ introducat, is etiã discesserat. Episcopus postridiè cõuocato populo ieiunium & supplicatiõem indicens, nocte sequenti scire meruit peregrinum illum fuisse S. Andreã Apost. quem semꝑ in honore habuerat. Itàque q̃stio intercapedinis inter suꝑficiem terrę & infernum nobis scitu necessaria nõ est. Satis erit nobis, ꝙ sciamus terram esse rotundã, & in suo meditullio concauam, & ibi dicuntur quatuor receptacula ordinata, vnũ suꝑ aliud ad modum sphærarum, velut si sit rota in medio rotę. Cuiꝰ ratio hinc cognosci potest. ꝙ anima quãdudum est cõiũcta corpori sit in statu merẽdi & demerẽdi, sed exuta à corpore est in statu accipiẽdi finalẽ retributionẽ & hoc bifariã, Nã vel recipit ꝓ bono opere vitã æternam & gloriam. Sed hanc ante Christi resurrectionem nemo hoĩm intrarat, quia tunc reatus peccati originalis impediebat, descendebant enim omnes in sinum Abrahæ; seu in limbum patrum. Quoniam, vt scribit Beda, quanquam idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere reuelatæ gratię tempore cõsueuit, hoc tamen differt ꝙ circumcisio regni cælestis ianuam non aperiebat; tamen in sinu Abrahæ post mortem, requie beata

Infernꝰ est rotundus.

Super Lucã c. 2. super hoc, Et postquam consummati sunt.

consolati supernæ pacis ingressum spe felici expectabant per Christum. Altero verò modo nēpè pro peccato suo recipit homo pœnam. Iam peccatum est vel originale solum, vel veniale, solum, vel mortale. Pro mortali peccato est constitutus carcer damnatorū, pro venialibus autem & pro reatu ac satisfactione peccatorum mortalium remissorum ordinatum est purgatorium: pro solo autem originali in quo discedunt non baptizati pueruli, est limbus puerorum.

Limbus patrum. Iam denuò de singulis quatuor partibus ex ordine dicam. Limbus propriè significat vittam seu fasciolam qua vestis extremitas ornatur, sed diducto ad alia generaliter vocabulo omnis orbis vel extremitas rei circularis limbus vocatur. Et ideò superior pars inferni circulariter comprehendens alias partes, dicitur limbus patrum. Quia enim sub veteri lege nondum *vicerat leo de tribu Iuda et clauis David*, hoc est Christi passio nōdum aperuerat cœlum, idcircò sanctorum patrum animæ descendebant ad hunc limbum seu sinum Abrahæ. Diciturque sinus Abrahæ, quia Abraham primus fuit pater credentium qui explicitè credidit mysterium incarnationis & redemtionis, qui se separauit ab idolatria & in signum fidei suæ accepit circumcisionem, & huic prima de Chri-

Apoca. 5.

Christo, (sine cuius fide non peruenitur ad requiem) specialis facta est reuelatio. Et in hoc limbo erant tenebræ quantum ad carẽtiam claræ visionis diuinæ. Vnde dixit Esaias: *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis*. Hic est ille infernus ille lacus, de quo ait propheta Christo, *Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti nos de lacu*. Neque erant illîc tenebrę quantum ad carentiam gratiæ & scientiæ, nec erat ibi pœna aliqua sensibilis quam homines patiuntur pro actuali peccato, sed quies summa & refrigerium. Ideòque & sanctorum ille cœtus, vbi nullus dolor erat ad similitudinem sinus maris, in quo non sunt agitationes, neque procellæ, vel fluctuationes sed tranquillitas summa, vocabatur Sinus Abrahæ. *Ad hunc sinum* siue quietem *delata ab angelis anima lazari* fuit ante mortem Christi, eratque ibi in refrigerio quietis absque dolore sensibili, quo refrigerio carebat diues epulo in profundissimo existens inferno. Refrigerium & cõsolatio eorũ, qui erãt in hoc sinu, consistebat in quiete conscientiæ, & in contemplatione rerum naturalium, & eorum quæ per fidem audierant de reparatione humani generis. Erat tamen quidam dolor de dilatione speratæ gloriæ; secundum

Esai. 9.

Zacha. 9.

Luca 16.

 illud

Prouer.13. illud: *Spes quæ differtur affligit animã* Lachri
Esai.45. mabilibus enim vocibus clamabant: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet saluatorem. Itẽ vt ait B. Aug. lachrymabilibus vocibus excipiebant aduentãtem eius genibus aduoluti,
Acto.2. dicentes: Aduenisti redemptor mundi. Ab his doloribus liberauit eos Christus vt áttestatur Petrus dicens: *Deus Christum suscitauit solutis doloribus inferni.* Nam ad hunc locum inferni anima Christi diuinitati coniuncta, postquam emisit spiritum in die parasceues,
Li. quest. 65. c. 1. 26. descendit, & vt Augustinus ait, horis triginta sex in inferno fuit, iuxta illud Ecclesia-
Ecl. c. 24. stici: *Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in domino*, scilicet sanctos patres lumine gloriæ, & claræ visionis suæ. *Sicut enim Io-*
Matt.12. *nas tribus diebus & tribus noctibus fuit in vetre cœti, ita & filius hominis tribus diebus & tribus noctibus fuit in corde terræ*: tres dies accipiendo synechdochικῶς nempe partem pro toto.
Lucæ 23. Hic erat ille paradisus. Hic erat ille parãdi-
Oseæ.13. sus, quem Christus latroni promittens dixerat: *Hodie mecum eris in paradiso.* Sed hũc momordit Christus (iuxta illud: *Ero mors tua o mors morsus tuus ero inferne*) quia reserauit eum, ita vt post ascensionem Christi, in prædicto limbo nullus fuerit quia postquã por-

ta pa-

ta paradysi cœlestis aperta fuit, animæ quæ aliquid purgandum habent, facta purgatione, rectà volant in cœlum cum Christo in æternum victuræ & regnaturæ potestate detinendi dæmonibus ipsis ablata.

Altera pars inferni purgatorium appellatur, vbi perficitur animarum imperfectio, & puniuntur tam pœna gloriæ, quàm sensus ad tempus. Sed liberantur celebratione Missarum, oblatione ad altare facta, & eleemosyna, continuis ecclesiæ suffragijs, orationibus spiritualibus pro eis factis, pœnitentia pro defuncto assumpta, restitutione ablatorum, executione bonæ ordinationis defuncti, intercessione sanctorum. Sed quia de purgatorijs sedibus suprà diximus, & infrà adhuc libellus eiusdem argumenti accedet, hoc loco his supersedemus. Purgatoriũ Concionibus 5. & 6.

Tertia pars non baptizatos infantes detinet in pœna gratię & gloriæ. Quia enim in Genesi dixit Deus: *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* Item, quia dixit Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nō potest introire in regnū dei:* ideò limbꝰ patrū non contingebat eis, quia nō erant in gratia, neque vnquam Deum visuri. Nec debet eis assignari purgatorium, quia illi qui sunt Limbus puerorum. Genes. 17. Ioan. 3.

in

in purgatorio sunt certissimè in gratia, & ita quanquam qui sunt in purgatorio, multò magis affliguntur (quia patiuntur pœnam sensus) quàm pueri illi, qui nó patiuntur pœnam sensibilem, tamen qui in purgatorio sunt, digniores eis sunt. Nec debet eis assignari infernus damnatorum adultorũ, quia non patiuntur pœnam sensus, sed damni tãtùm. Et hæc pœna damni, siue priuatio diuinæ visionis in paruulis, multùm distat, & longè minor est, quàm in damnatis adultis. In his enim priuatio diuinæ visionis gignit tristitiam inenarrabilem. Vndè dicit Chrysostomus. Nonnulli imperitorum sibi satis esse putant, & optabile videri si gehenna tantùm careãt. Ego autem multò grauiores gehenna cruciatus esse dico, remoueri & abijci ab illa gloria. Pone mille gehennas, & mille cruciatus, nil tale quale à gloria excidere, & à Deo odio haberi. Hæc ille, Sed paruuli qui actuale & proprium peccatum non habent, non tristantur, quia sciunt se nunquã capaces fuisse illius beatitudinis. Disputat beatus Augustinus, an etiam tales paruuli venient ad iudicium, & tandem quia, inquit, omnes mortui venient, & tales paruuli verè mortui sunt, proculdubiò etiam venient ad iudicium. Quidam dicunt, quòd post diem resurrectionis & iudicij, vt detur spa-

In homilia de repara: lapsi.

In Enchridio ad Laurentiũ ca 85.

ſpacium corporibus damnatorum in quatuor partibus inferni, deambulabunt per hunc mundum, ſed hæc incerta ſunt, & ſolus Deus nouit, qui eſt benedictus in æuum, Amen.

D. Antonius Flor. 1 parte ſummæ titulo. 8 c. 1. para. 4.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET.

Eccleſ. 7.

CONCIO XVI.

De quarta parte Inferni, & in ea pœnis tam interioribus, animæ, quàm exterioribus, corporis damnatorum.

INferni vocabulum, eiuſq; ſynonima, & quando creatus, ac vbi ſit, rotundumq; eſſe eundem, & de eius partibus, nempè limbo patrum, purgatorio atque limbo puerulorum, quos mitiſsima excipiet pœna, diximus pridie; reliquum eſt; vt iam de quarta parte dicam, & quæ in ipſa ſint damnatorum pœnæ, quantum tempus feret. Sed antè omnia cœleſtis gratiæ inuocemus adiumentum, & virginem matrem compellantes, dicamus:

AVE MARIA.

Quarta igitur Inferni pars eſt intimus & infi-

infimus atque profundißimus carcer dæmonum, in quo vsque ad diem iudicij cruciabũtur animæ peccatorũ in peccato mortali decedentium, & post diem iudicij animæ & corpora simul cùm ipsis dęmonibus torquebuntur, nunquam inde, vt heri diximus, exituri. Sed Baptistã Mantuanum nostrum docentem etiam ratione naturali omnem immundiciam apud inferos esse audiamus, qui ita scribit: Credendum est inquit, aquis vndique in eum locum dilabentibus, tanquam in totius mundi sentinam & cloacam comportari bitumen & sulphur, & omnis terrenæ molis immundißimas sordes, fierique odorem multò tetriorem quàm in Scaptensula apud Græcos, & in Auerno apud Campanos, & in Asphalto apud Iudæos. Terrã enim ingentibus perforata cauernis, & antrorum longè lateque vagantium suspensa fornicibus capacißimam ac sordidißimã aluum suam longißimè extendit. Fiunt in ea, sicut in plerisque terrarum locis aspicitur, æterna, mateiæ semper ardentis, incendia. Et ne mirum sit aut incredibile, quod de Inferni recitatur incendijs, præteriens ea quæ dicuntur ab Augustino, & reliquis au- ctoribus Christianis subicijã hîc ex Plinio quædam sic dicente: In Comagene vrbe Samosata stagnum est emittens limum (maltham vocant) flagrantem, qui quum quid

De patien: li.3.ca.25.

Li.2.Natu. hist. capitibus.107. 108.109.

attingit solidi adhæret, prętereà tactus sequitur fugientes, sic defenderūt muros oppugnante lucullo, flagrabatq; miles armis suis, aquis etiam accenditur, terra tantùm extingui docuēre experimenta. Similis est naturæ Naphta (ita appellatur) circa Babyloniā profluens bituminis liquidi modo, huic magna cognatio ignium qui protinus trāsiliunt in eam vndecunq; visam. Verùm in montium miraculis, ardet Aetna noctibus semper in Sicilia. Et eiusmodi complures ibi recitantur, nos breues esse voluimus. Quò fit vt mirū videri nō debeat, si in terrę aluo id dicatur esse, quod ferè passim cernitur in superficie atq; eius planitie. Ignis ergo qui in obscuris illis concauitatibus nigrantes attollit flammas, fumi & nebularum globos exhalat, qui diu per opaci carceris tractus euagati, postquā nulla ad egrediendum spiramenta reperint in se contorti reuertūtur in ignes, fitque flammarum & fumi chaos immensum. Iste igitur Infernus multas habet malas cōditiones quarum prima est quia est cauerna clausa sine aliquo ostio, aut fenestra vel foramine, nec est à superficie terrę aliqua via per quam patet ad eū accessus localis, quidquid sit de cœmiterio & antro sancti Patricij, de quo multę illusiones & fatuitates narrantur. Et quanquam in Aetna monte (cuius iam memi-

Infern' vndiq; clausus

meminimus) mirabiles audiantur soni, & voces, tamen non est illic porta vel ianua Ditis. Vndè Casſiodorus, Quo, inquit, itinere animæ in infernum perferantur, qũia in diuina authoritate non legitur, habemus incertum. Non enim requiritur porta, quia, ianuis clausis, spiritus omnia peruadunt, & sic in momento mortis dęmones animam damnatam pertrahunt in infernum. Corpora verò non glorificata impediuntur mole corporis, & ideò in die iudicij post sententiam pronunciatam à Christo, ITE MALEDICTI IN IGNEM AETERNVM, terra aperietur, & *sicut deglutiuit Dathan & Abyron*, ita absorbebit omnes dãnatos, atq; iterum claudetur. Nemo ergo existimet vllas esse portas inferni, nam quod Christus dicit: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, illic intelliguntur dæmones, qui portant homines ad infernum. Quod verò precatur Ecclesia: A porta inferi, erue Domine animas eorum, illic porta inferi, locus purgatorius intelligitur, qui propter similitudinem pœnarum ita nuncupatur, à quibus erui possunt animæ, sed in Inferno nulla est redemptio. Si quæratur an sit magna & lata cauerna, sanè quatuor de causis latissimus est Infernus, primò auiditate retinendi, secundò multitudine damnatorum, tertiò pœnarum

Super psalm. 86.

Nume. 16.

Matth. 16.

Inferni latitudo.

rum diuersitate, quartò æternitate durationis: sed quo ad situm loci, quàm latus sit ignoramus. Ante enim diem iudicij finalis nó requiritur magnum spacium, quum dæmones & animæ non occupent locum; post verò diem iudicij propter multa corpora requiretur magnum spatium, quia *multi sunt vocati* (ad cœlum) *pauci verò electi*, idcirco extendetur ad purgatorium, quia nullus post diem iudicij erit purgandus. Et quia etiam in limbo patrum nullus modò est, quis scit an etiam eousque extendetur. Vtcunque sit, diuina prouidentia (quæ præscit quot erunt damnandi) sufficientem locum præparauit; neque tam commodè tractabuntur, quòd locum sint habituri amplum, sed valde angustum. Secunda conditio mala inferni est, quòd tenebrosissimus sit, quarum tenebrarum similitudinem legimus *in decem plagis Ægypti vnam fuisse, vbi tanta erat caligo tribus diebus, vt nemo videret fratrem suum, & ignis nulla vis tanta esse poterat, quæ illis lumen præberet, nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam, vbicunque autem habitabant filij Israel, luxerat.* Idcirco credibile est, multò horribiliores, densioresque fore tenebras inferni, qui muros habet crassissimos, & in his nec ianuam nec fenestram, vti dictũ est. Quapropter eas Chri-

Matth. 20.

Infernus tenebrosus.

Exod. 10.
Sapien. 17.

Matt.22. Psalm.48. Lucæ 16.

stus appellauit exteriores seu sūmas dicens. *Ligatis manibus & pedibus proijcite eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.* Hoc & Dauid attestatur loquens de dānato: *In æternum*, inquit, *non videbit lumen.* Cœterùm mihi dicat quispiam, quomodo ergo *diues epulo in Inferno eleuans oculos, vidit Lazarum in sinu Abrahæ*, Respondendum quod ea visio non erat corporalis sed spiritualis, ad quam non requiritur lumen corporale. Necilla flamma fumo mixta lucet, quia (vt auctor est beatus Basilius) Dei virtute separabitur claritas ignis ab eius adustiua virtute, claritas cedet in gaudium sanctorum, vstiua pars in tormentum damnatorū.

Li.9. Moral. in 10.c. Iob.

Diuus Gregorius addit dicens: Ignis inferni quamuis ad consolationem non luceat, vt tamen magis torqueat ad aliquid lucet. Nā sequaces quosque suos secum in tormento reprobi visuri sunt, imò & eos quorum amore deliquerunt. Tertia conditio illius lacus, quia ibi erit ignis verus qui corpora crúciabit, vt dicit beatus Gregorius. Ignem, inquit gehennæ corporeum esse non ambigo, quo certum est corpora cruciari; neque tamen, vt ait Ioannes Damascenus, erit materialis qualis est apud nos, sed qualem nouit Deus. Quasi dicere voluisset, Ignis qui apud nos est lig-

Infernus calidissim9

Lib 4. dialogorum.

Lib. 4. de orthodoxa fide.

lignis nutritur,& facilè extinguitur, insuper corpora amburendo consumit, & in eo coniectos æqualiter cruciat, sed ignis infernalis nutrimento lignorum non eget, neque vnquam extinguetur, & tamen corpora damnatorum nunquam consumet vel interire faciet, imò neq; ęqualiter excruciabit sed vel magis vel minus secundum qualitatem & quantitatem criminum & quantumcunq; aduret, nunquam côburet sed in æternum vret Imò noster vsualis comparatione illius corporalis & æterni ignis, vix dum ignis pictus dici meretur. Errant igitur, errant toto cœlo qui vitam nôstram ad lusum & luxum côpositam esse existimantes dicere, audent diabulum non esse tam nigrum vt pingitur, neq; infernum esse tam calidum vt fingitur. Lucæ 16.
Sane si in inferno non nisi similitudo ignis quædam & non verus ignis esset, diues epulo non clamasset. *Crucior in hac flamma.* Nô Iob.24.
dixisset Iob de infideli. *Ad nimium calorem* Psal.10.
transeat ab aquis nimium. Non dixisset Dauid *Pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis* Apoca.21.
eorum. Neque dixisset qui sedebat in throno: *Timidis autem, incredulis, & execratis, & homicidis, fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus,*

pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Audis huius ignis materiam non ligna communia, neque tantum Aetnæ sulphur vel Asphalti bitumen, sed colluuiem totius globi terræ, audis calorem, audis ardorem, quomodo quæso corporalis ignis suis proprietatibus clarius describi posset? Sed existit hoc loco alia quæstio, quomodo animæ & dæmones, qui spiritus sunt, ab igne corporali siue in purgatorio, siue in inferno cruciari posśint, quum omne corpus contactu sensum moueat, & spiritus tangi nequeant. Alij enim sensus, alijs interiectis rebus (seu per medium externũ) afficiuntur, vt odoratus, aspectus, auditus, sed id quod sub tactum cadit, hoc tactu ipso sensum mouere debet: quum igitur spiritus non sint animalia, nec sensu tactus præditi sunt, igne corporali proculdubio cruciari non possunt. Beatus Augustinus in opere de ciuitate Dei: dicerem, inquit, sic arsuros sine vllo suo corpore spiritus, sicut ardebat apud inferos ille diues, quando dicebat: *Crucior in hac flamma*, nisi cernerem conuenientius respõderi, talem fuisse illam flammam, quales oculi quos leuauit, qualis lingua eius, qualis digitus Lazari, nempè incorporalis & similitudinaria. Propterea idem doctor in libris de Genesi ad literam: Melius est, ait, dubitare

Animæ & dæmones quomodo patiantur ab igne externo.

Arist. 3. de animo, ca. 12.

Lib. 21. c. 10

Lucæ 16.

Lib. 8. ca. 5.

bitare de occultis, quàm litigare de incertis. Illum quippe diuitem in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorũ esse intelligendos, non dubito: sed quomodo intelligenda illa flamma in inferno, ille sinus Abrahæ, illa diuitis lingua, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerij, vix fortasse à mansuetè quærentibus, contentiosè autem certantibus, nunquam inuenitur. Idem nihilominus, quomodo hoc fiat studiosè inquirens: Prima, inquit, mors animam nolentem pellit è corpore, secunda mors animam nolentem, tenet in corpore. Ab vtraque morte id cõmuniter habetur, vt anima quod non vult, de suo corpore patiatur. Attendunt autem isti contradictores, nullam esse nunc carnem, quæ dolorem pati posſit, mortemque non poſsit, & non attendunt esse tamen aliquid tale, quod corpore maius est. Ipse quippe animus, cuius præsentia corpus viuit & regitur, dolorem pati potest, & mori non potest. Ecce inuenta res est, quę, quũ sensum doloris habeat, immortalis est, hoc igitur erit tunc in corporibus damnatorũ, quod nũc scimus esse in animis omniũ. Si aũt consideremus diligentius, dolor qui dicitur corporis, magis ad animam pertinet. Animę enim est dolere primùm, nõ corporis: corpus.n. absq; anima nõ sentit. Et

De ciuitat. Dei, lib. 21. cap. 3.

De ciui. dei lib. 21. c. 10. eiusdem libri ca. 10. idem: Cur enim, ait, nō dicamus (quāuis veris tamen miris modis) etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum (etiam ipsi profectò incorporei) & nunc potuerunt includi corporalibus membris; & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari; Itaq; vt idem eodem libro dicit) in reb. miris summa credendi ratio est omnipotētia creatoris. Hęc ille. Quia igitur totus sensus corporis est ab anima, ideò si in ipsam aliquod læsiuum agat, ea maximè affligitur. Ignis autem qui est maximè actiuus & penetratiuus, vt instrumentum diuinę iustitiæ fortius cruciat animam. Ignis enim plerunque est instrumentum omnium artium, & quod alijs instrumentis artifices nequeūt facere, igne perficiunt. Quia autem locantur in igne perpetuo, habet ignis ille ad eas habitudinem quandā puniendi, sed quia idem ignis est instrumentum diuinę iustitię quæ non punit nisi pro demeritis, sequitur quòd ignis tam Purgatorij quàm Inferni nō ęqualiter excruciat omnes, sed pro qualitate & quantitate delicti est plagarum modus.

Infernus frigidissimus. Quarta conditio Inferni mala est quod in eo etiam frigus sit intollerabile. Quid enim a-

Iob. 24. quis niualibus frigidius esse potest. Sanè in Inferno, teste Iob, *Ad nimium calorem* *tran-*

transient ab aquis niuium. Et vnde quæso crepitus stridorq; dentium, nisi ex immodico frigore, & quid ardor fumi in oculis, nisi fletum & lachrymas gignit? Christus ergo volens docere quòd vtraq; hæc & ardor, & frigus supra modum erũt illîc, ait: *Mittite eũ in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dẽtium*: fletus è fumo ardenti, & stridor ex frigore rigido contractus. Fiet enim in vltima purgitione quędam segregatio in elementis & quidquid purũ est ac nobile, superius remanebit ad gaudium & felicitatem iustorũ, quidquid verò ignobile est & fœtidum, in infernum proijcietur ad pœnam iniquorũ, vt quomodo omnis creatura Dei beatis erit gaudij materia, sic & damnatis ex omnibus creaturis tormentum accrescat, iuxta illud: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*. Quia, vt ait Lactantius, tanta est dei potestas, vt etiam incorporalia comprehendat, & quemadmodũ voluerit, afficiat. Nã & angeli deum metuunt, quia castigari ab eo possunt inenarrabili quodam modo. Et dæmones eum reformidant, quia torquentur ab eo, & puniuntur. Quid ergo mirum, si cùm sint immortales animæ, tamen patibiles sint Deo? Hæc ille. Itaque erroneum esset in fide, realem cruciatum, & materialem illîc ignem negare aut frigus, quia quanquam

Matt. 22.

Sapien. 5.

Lib. 7. diuinarum institu. ca. 21

animæ nihil habeant solidum & contrectabile, tamen à corporalibus & solidis elementorum fæcibus nunc, sicut & post iudicium corpora eorum pati possunt. Quinta & omnium pessima conditio inferni est, quòd sit æternus, sed de perpetua eius duratione infrà differendi sese offeret occasio. Vt igitur, teste Chrysostomo, morte nihil miserabilius, & iudicio nihil terribilius, presertim hominibus obstinatè peccantibus, sic inferno nihil intolerabilius, infeliciusque excogitari potest. Hunc locum reproborum Christianorum & infidelium turba incolit. In opere de ciuitate Dei, B. Augustinus Marcum Ciceronem adducens: Octo pœnarum genera in legibus, inquit, Tullius esse scribit, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, seruitutem. Sed quid hæ pœnæ duodecim tabularum Romanarum ad pœnas inferni, vbi non solùm corpus pœna afficitur, sed & anima proijcitur in gehennam. Ibi verò est pœna gratiæ Dei, quam nunquam consequentur, gloriæ cœlestis, quam nunquam videbunt, & est pena sensus, quam nunquam euadent. Nam erit tunc non gratiæ, non misericordi, sed iudicij tempus, nec vlla omninò credenda est in impios futura miseratio; vbi nec vlla sperāda est correctio. Ibiq; vt habet parabola *decem*

Infernus æternus.
Epist. ad Theodos. lapsum.
Li. 21. ca. 11. Cicero.
Bern. ser. 8. in psal. qui habitat.
Matth. 25.

cem virginum clausa est, & gratiæ & gloriæ ianua. At qui saltem in suprema vitæ vespera cum latrone resipiscunt, quia peccata in vita relinquunt, gratiã, & gloriã inuenient.

Et quia primum, quod tertij nouissimi, (nempè Inferni) meditatio contemplandũ proponit, nempè de quatuor Inferni partibus iam satis diximus atque absoluimus; ad secundum iam, quod tertium hoc nouissimum considerandum proponit, nempè pœnarum numerum & qualitatem trãseamus. Sed prius excutiamus numerum, nam pertinent, aliæ ad animam solam, aliæ ad corpus solum, aliæ ad vtrunque simul. Ad animam ergo solam pertinent pœnæ interiores, quæ sunt, timor, pudor, peccati macula, lachrymæ interiores, inuidia, tristitia, vermis conscientiæ, nihil cognoscere præter mœrorem, nihil cogitare nisi malum, desiderium inane liberationis. Quæ omnia sine negotio sacris literis ita futura esse docebimus. Nam imprimis, *Videntes turbabuntur timore horribili.* Quid enim est timor nisi expectatio impendentis mali? Sanè hoc damnati præ oculis videbunt, quando illic erunt, iuxta dictũ Iob; *Vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* De pudore eorum prophetat Dauid, dicens: *Operiantur confusione & pudore, qui quærunt mala mihi.* Et quid

Pœnarum inferni numerus.

Pœnæ interiores quæ.

Sapien. 5.

Timor quid.

Iob. 10.

Psal. 70.

Pudor quid.

Rom.2. quid est pudor in dãnatis, nisi agnitio iustæ suæ vituperationis. Nam teste Apostolo, *gloria et honor et pax omni operanti bonum, sic et tribulatio et angustia* (seu confusio cordis et ignominia) *in omnem animam hominis operantis malum.* Iá de peccati macula, nónne scriptum est: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea et qui communicat superbo induet superbiam.*

Eccles. 13.

Macula peccati quid.

Esai. 1.

Et quid est macula peccati quam omne opus prauum, vt enim opera manibus, sic & peccata voluntate præcipuè facimus. Eiusmodi peccatoribus obstinatis in inferno dicet Deus: *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, et cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Et quia non lauerunt stolas suas in sanguine agni, sicut Christus suam lauit ecclesiam, vt exhiberet eam sibi sponsam, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid eiusmodi.* idcircò *quia nihil opertum, quod non reuelabitur*, omnes illæ peccatorum maculæ in apricum venient. Tunc complebitur quod Hieremias prædixit: *Denigrata est super carbones facies eorum.* Quia, inquit Dominus per alium Prophetam: *Reuelabo pudenda tua in facie tua, ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Tunc sequentur lachrymæ interiores. *Ibi enim erit fletus & stri-*

Apoc. 7.

Ephes. 5.

Matth. 10.

Threno. 4.

Nahum 3.

Matth. 22.

stridor dentium. Et quid est lachryma, nisi humor ex oculis flentium emanans. *Qui hic seminant in lachrymis, in exultatione metent*, sed his qui hîc gauisi sunt ad sonitum tympani, eueniet quod dicit Dominus per Esaiam. *Serui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis*, Quia, vt alia scriptura dicit: *Cor durum malè habebit in nouissimo*, quia enim hic ad salutem suam deflere noluit, illîc ad perpetuam suam ignominiam mœrere cogetur, & inuidia torquebitur. Quid verò est inuidia aliud, quàm dolor de bonorum prosperitatibus. Pusillanimes ergo, imò exanimes facti, reprobi torquentur & macrescũt piorum felicitate, vt dicit Iob: *Paruulũ occidit inuidia*. Quod attestatur Dauid, dicens: *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet*. Hinc erit illa (q̃ sequitur in pœnis animorum tristitia. Et q̃d est tristitia quàm appræhensio, notitia & recordatio disconuenientis in appetitu intellectiuo vel volitiuo, nobis nolentibus euenientis. Nam memoria quasi venter est animi, inquit Augustinus, lætitia verò atq; tristitia, quasi cib⁹ dulcis & amarus. Et idcirco, teste Salomone; *sicut animus gaudens ætatem floridam facit, ita spiritus tristis exiccat ossa*.

Lachrymæ quid.
Psalm. 125.
Esai. 65.
Eccles. 5.
Inuidia.
Iob 5.
Psalm. 111.
Tristitia.
Li. Confess.
Prouer. 25.

Sic & damnati cum Antiocho dicere possunt: *Ecce pereo tristitia magna in terra aliena.* Dat autem nobis adhuc viuentibus contra tristitiam talem præsentissimum remedium, Hugo de sancto Victore: Vis, ait, nunquam esse tristis? bene viue, bona vita semper gaudium habet. Hæc ille. Et ratio est, quia sicut in ventre & intestinis quorundã ex corruptis humoribus nascuntur vermes, sic ex humoribus peccatorum in ventre animi, nempè in memoria nascitur vermis cõscientiæ. Et sicut Christus Esaiam citans, apud Marcum dicit: *Illic vermis eorum non moritur. & ignis nõ extinguitur.* Et q̃d est aliud cõscientia, q̃ applicatio scientiæ, & vsus eiusdem. Quapropter, vt asserit Cicero, sicut conscientia benè actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio iucundissima est, ita & conscientia scelerum suorum est peccatori tristissima res quædam. Illa enim conscientia oblatrare & accusare nos nõ desinit. Et, vt Ioannes Apostolus scribit: *Si reprehenderit nos cor nostrũ, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.* Satagamus igitur, vt non reprehendat nos cor nostrum, & diligenter expurgemus (multa enim quæ nos iam fugiunt, conscientia propalabit) vt fiduciam habeamus ad Deum. Sed damnati nihil cognoscent præter mœrorem, sicut di-

cis

1. Mach. 6.

Libr. 3. de Anima.

Vermis cõscientiæ.

Esai. 66.

Marc. 9.

In Catone Maiore.

Roman. 2.

1. Ioan. 3.

Nihil cognoscere præter mœrorem.

cit dominus per Ezechielem: *Calicem sororis tuæ bibes profundum & latum, eris in derisum & subsannationem, ebrietate & dolore replebe ris, calice mœroris & tristitiæ.* Nihil quoque cogitabunt, nisi malum. Nam vt Sapiens ait. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timi di, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipso rum.* Et si quando desiderium liberationis eos ceperit, actutum hoc esse frustraneum intelligent. Et quid est desideriũ aliud, q̃ appetitus & libido eius rei, quæ nondum adest. Sed ea liberatio aderit nunquam. Nam: In inferno nulla est redemptio. Propterea vt canit Dauid: *Desiderium peccatorum peribit,* Et vt scribit Apostolus Ioannes: *In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Et, vt iterum ait *Fumus tormentorum ascẽ det in sæcula sæculorum, nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius.*

Ezech. 23. Nihil cogi tare nisi malum. Sapien. 4. Desideriũ liberatio nis inane. Psalm 111. Apocal 9. Apoca. 14.

Et hactenus de numero pœnarum interio rum egimus, quas in suis facultatibus atque viribus, putà in intellectu, voluntate, imagi natione atque recordatione perferet anima damnata, iam transeamus ad illas quæ perti nent ad corpus solum, vbi singuli sensus quinque patiuntur, visus, auditus, olfactus, gu-

Pœnę exte riores.

gustus, & tactus. Nam sicut visus beatorum
1. Visus. delectabitur visione solis, lunæ, stellarumq;
splendore, & radiante lumine humani corporis Christi, eiusq; virginis & matris, atq; omnium sanctorum spirituum, & hominũ beatorum, & supremi Dei Opt. Max. sic è contrariò his omnibus priuabitur damnatus, & quod deterius est, horribilissimis & densissimis tenebris includetur. Hinc est q
Iob 10. Iob infernum nominat *terram miseriæ & tenebrarum*. Neq; tantùm solatio luminis spoliabuntur, sed etiam fumo inferni torquebũ
Psalm. 10. tur, quia teste Dauid: *Pluet super peccatores laqueos, ignis sulphur, spiritus procellarum pars calicis eorum.* En laquei qui tenebunt & torquebunt oculos eorum, ne videant lumen: sed ijdem oculi qui nunc aperiuntur, vt colorum nitores in corporibus circumspiciant, & membrorum accommodatas proportiones, & illæ ipsæ oculorum suorum fenestræ, quas aperuerunt peccato & concupiscentiç, aperientur tùnc ad videndum peccati horrorem & turpitudinẽ. Et quanquam ibi non erit emissio seu resolutio lachrymarum alioqui (cùm nil in eis per cibum restau
Matth. 22. retur) consumerentur, erit tamen ibi fletus, hoc est, conturbatio capitis & oculorum. Tertiò etiam videbunt iratum Deum, & sanctorum gloriam ad augmentum pœnæ,

vt *diues epulo Abraham & Lazarum in sinu eius à longè vidit.* Quam pœnam dudum Dominus comminatus est per Prophetas. Nam *Leo rugiet*, inquit Amos, *quis non timebit*. Et per Sophoniam: *Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam regna, & effundam super eas indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra.* Quartò videre cogentur horribilem aspectum dæmonum. Quanquam enim natura sua dæmones corpora non habeant, ea tamen ex vilissima quaque materia assument, ad torquendum aspectum damnatorum, qui non obseruarunt illum Dauidis versiculum: *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Cuius aspectus figura quædam Aegyptijs est ostensa in eorum tenebris, de quibus legimus apud Sapientem, quòd: *Personæ tristes illis apparentes pauorem eis præstabant.* Et apud Naum legitur: *Aspectus eorum quasi fulgura discurrentia.* Item in Iob: *Vadent & venient super eos horribiles ad occidendum eos.* Auditus verò patietur ingentem clamorem damnatorum: Nam sicut: *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilib. suis, et exultationes dei ĩ gutture corũ:* ita

Lucæ 16.
Amos. 3.
Sopho. 3.
Consule Ioan. Vigueriũ.
Psal. 118.
Sapien. 17.
Naum. 2.
Iob 10.
2. Auditus
Psal. 149.

ita aures impiorum, quæ nunc vocanti Christo clauduntur, suadente diabolo aperiuntur, & modulationibus ad voluptatem ciendam distenduntur, quæque facetorum hominum ridiculis & scurrilibus dictis patét, quæ adulatores & famæ alienæ corrosores audire gestiunt, quæ à miserorum clamore & fletibus auertunt sese, ne illis opitulentur. Denique quæ verbum Dei fastidiunt,
2.Timot.4 *à veritate auditum auertunt, & ad fabulas conuertuntur*, hæ inquam aures clamore horribili, asiduisque blasphemijs, quas à condemnatis socijs suis audient, torquebuntur. Audiet enim vnus alium quicum peccauit maledicentem, eique suum vitium, & peccatum improperantem, nempè adulterum adulteræ, concubinam concubinario maledictionem imprecantem, & sic de peccatis reliquis. Nulla ibi symphonia, cithara nulla, nullæ tibiæ, modulamina nulla, sed fletus, planctus, gemitus, & suspiria, sicut in sacris litteris spiritus sanctus per os Prophetarum prædicit: *Pereat dies, in qua natus sum*.
Iob 3. Hierem.20 *Maledicta dies in qua natus sum*. Et denuò
Iob 10. Iob: *Vtinam consumptus essem, ne oculus me videret: fuissem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum*. Et Dauidis voce prædixit
Psalm. 87. damnatos questuros: *Repleta est malis anima, & vita mea inferno appropinquauit*. Miserabiliores

liores facti sumus omnibus, quia in oppro brium omniũ. *Lassati sumus*, inquit sapiens, *in via iniquitatis*, &c. *Nos insensati* &c. En quales in vijs eorum ploratus & vlulatus. Secundò patietur auditus vlulatum dæmonum, qui in corporibus assumptis frement & rugient & rudere non desistent, sicut attestatur beatus Augustinus, quòd Lucifer non cessabit clamare (per corpus assump tum) cacadæmonibus alijs, percutite, torquete, flagellate. Quod videtur testimonio prophetæ doceri posse dicentis; A sonitu gubernatorum eius turbabuntur. Olfactus autem patietur duplicem & maximum fœtorem, scilicet sulphuris & ipsorum corporum. Nares enim quæ modò obturantur ne infirmorum saniem, & leprosorum oleant purulentiam; & odoratus qui vnguentis, liquoribus, & floribus alijsque odoramentis ad carnalem voluptatem est abusus, immunditiarũ, sterquiliniorũ. & oĩm abominationũ, quas peccatum ex elementis generari facit, fœtore affligentur. Sicut enim odoratus sanctorum delectabitur odore suauissimo, iuxta illud. Sancti tui domine florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te, sic odoratus damnatorum ex proprij & alieni corporis fœtore grauabitur, vt attestatur Esaias dicens: *Descenderunt ad fundamenta laci*

2. Cori. 15. Sapien. 5. Hiere. 3. In serm. ad Eremitas. Ezech. 27. 3. Olfactus. Antiphona ecclesiæ. Esai 14.

quasi cadauer putridum. Et rursus. *Interfecti*
Esai.34. *eorum proycientur, & de cadaueribus eorũ ascendit fœtor.* Denuo eodem capite, Paulò infrà: Et *conuertentur torrentes eius in picem, &*
Ibidem. *humus ei⁹ in sulphur, et erit terra eius in picẽ ardẽtem: nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus eius.* Ita ergo complebi-
Esai.3. tur quod filiabus Syon prædixerat idẽ propheta: *Erit pro suaui odore fœtor.* Intolerabilior enim erit iste putor & pedor seu pus, quã
2. Mach.9. erat Antiochi, de quo legimus, quod eius fœtore vniuersus exercitus grauabatur, imò ipsemet suum fœtorem ferre nequibat. Quantus ergo fœtor erit inferni in quo tot cada-
4. Gustus. uerum examina iacebunt: Gustus porrò patietur famen & sitim. Nam qui hîc panem dulciarium seu Martium (quem mazã vocant) striblitas, tortas, placentas, pastillos, pullos gallinaceos, lepores, phasianos, ficedulas perdicesque & alia id genus, adipalibus & opiparis conuiuijs deuorauerunt, qui vinum plenum, dulce, & saccaro per ignem defæcatum, aromaticum seu Hippocraticũ, deinde & Creticum seu Maluaticum atque vinum passum, & multa similia exhauserũt, neque famis & sitis pauperum miserti sunt, inedia & ariditate affligentur. Sicut enim gustus beatorum delectabitur non per cibũ aut potum, sed per immutationem linguę,
ab

ab aliqua humiditate à Deo adiuncta linguæ eorum habente omnis saporis suauitatem. sic linguæ damnatorum adiungetur amaror intolerabilis. Hinc Moses: *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Vua eorum, vua fellis & botrus amarissimus. Recordemur diuitis epulonis, cibemus, potemusque esurientes & sitientes, ne in locum tormentorum eius veniamus, sed audire digni simus à Christo: Esuriui, sitiui, dedisti mihi manducare & bibere: Venite benedicti. Deuter. 32. Luc. 16.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET. Eccles. 7.

CONCIO XVII.

De pœnis tactus, item de pœnis quæ pertinent ad corpus et animam simul: & de pœnis quæ prouenient per separationem.

DE inferni situ, & reliquis circunstãtijs, & quomodo tam hominum quam dæmonũ spiritus ab externo & corporali igne excrucientur, & numerum (si tamen enumerari possunt) pœnarum tam animarum per se internè; quàm corporum per se

extrinſecus, excepto Tactus ſenſu proximo ſermone recenſuimus: ſupereſt vt de cruciatibus Tactus, & de pœnis quæ ad vtrunque ſimul, corpus nempè & animam, pertinent; atque alijs inſuper quæ ob ſeparationem accident, præſenti contione tractemus. Quod vt ſuccedat felicius, Dei & virginis matris præſidium breui inuocantes ſalutatiuncula, oremus dicentes:

AVE MARIA.

Tactus omni animanti necesſarius.

Li. 2. de animo. c. 3. Item l. 3. de ani. ca. 12.

Ariſtoteles maximi nominis philoſophus auctor eſt. Tactus ſenſum propriè ac ſpeciatim omni ad vegetationem atque nutrimentum animanti neceſſarium eſſe, quia ſine contactu neutrum quoduis animal acquirere poteſt. Nihil enim paſtum adiuuat ſonus, nec color aut odor, imò etiam quatenus animalia tactum habent, eatenus etiam appetitum & motum habent. Quod enim non tangit, illud neque appetit, neque afficitur, neque mouetur aut voluptate aut dolore, Obiecta verò quæ tactu percipiuntur ſunt, calidum, frigidum, ſiccum, humidum, & reliquę qualitates ſecundę ex hiſce primis compoſitæ, vt aſperum, leue, aridum, lubricum, graue, leue, durum, molle, craſſum, ſubtile, & ſimiles qualitates. Inſtrumentum verò ipſiius tactus vel organum, eſt neruus quidem multiplex, & ramoſus multis ſurculis

Obiecta tactus.

Inſtrumẽtum tactus

culis

culis & capillatim quaſi, per totum corpus ſub carne & cute diſperſus, & expanſus, tanquam rete quoddam, atque hi nerui grandes vel exigui adeò, vt etiam tenuitate ſua viſum fugiant, vnà cum maiore neruo illo ex cerebro tanquam à radice emanant molliuſculi. Sicque adeo totum corpus ferè eſt inſtrumentum ipſius tactus; caro autem vel cutis eſt medium inter tactilem qualitatem, & neruum eam tangentem. Quæ quum ita ſint, facilè eſt inuenire quæ tormenta damnati tactu percipient. Tactus ergo & reliquę corporis partes patientur calorem ignis, ſtridorem frigoris, vincula & carcerem obſcuriſsimum, paupertatis & nuditatis confuſionem, dolorem in omnibus membris ineffabilem, torturam continuam in flagellis, coarctationem maximam, corroſionem vermium. Nam manus molliuſculæ ad arcendum aut frigus, aut æſtum chirothecis quondam incluſæ, formoſi inſuper lacerti dextrariolis armilliſque compti: pedes quoq; qui ad choreas, ad proſtibula, ad ſpectacula ad œnopolia, ad latrocinia, ad furta, & ſanguinem impigrè cucurrerunt, atque vt in ſumma dicam totum corpus dolore afficietur, nulla quos lingua poſsit eloqui humana nullaque aſſequi oratio. Illîc ſiquidem ſemel & ſimul, teſte Iſaia, *Decaluabit dominus*

Tactus, abuſus varius maximeq; cõmunis.

Eſai. 3.

verticem filiarum Syon, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, & palliola, & linteamina, et acus, et specula, et sindones, et vittas, & teristra. Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, et pro crispanti crine caluitium, et pro fascia pectorali cilitium. Cœterùm quia tactus abusus multiplex est, & propemodum omnia corporis peccata contactu rei illicitæ consummantur, quid peccatum sit ex causis eius (prout hoc ipsum doctores ecclesiastici definiuerunt) audiamus, ac deinde quomodo septem capita mortaliũ peccatorum contactu perficiantur, atque, prout iam dicere cœpimus, castigentur, ostendemus. Quia igitur scire est rem per causas cognoscere & tũ demũ exactè nos rẽ q̃piã cognoscere credimus, quando causam per quam res est, ita ipsius rei causam esse cognoscimus vt non possit omnino res aliter se habere, & causæ cuiusuis rei sint vniuersim quatuor: nempè, efficiens, materialis, formalis, & finalis, agedum iuxta exigentiam causarum eius definiamus peccatum. Peccatum (definitore Augustino) est volũtas retinẽdi vel cõsequẽdi, quod iustitia vetat. Voluntas ergo in ho-

Peccatum quid sit.

Arist. in posterio. Analy. de demonst.

Quis. ex quo, quomodo, & ad quid

Li. de duabus animabus.

mine est peccati sui opifex, adeò, teste eodē, Li.de vera vt peccatum nō sit, si non sit voluntarium. relig.
Cognito iā fabro peccati ex quo hoc ipsum Cōt. Faust. faciat, audiamus S. denuò August. dicentem: ca. 22.
Peccatum est omne dictum, vel factum, vel concupitū, quod sit contra legem Dei. En tibi materia, sermo, opus, & affectus prauus. Quomodo aūt illud fiat B. Ambrosius clarissimæ demonstrat, dicens: Quid est peccatū, nisi legis diuinæ præuaricatio, & cęlestiū inobedientia præceptorū? Ergo in præuaricatione peccatum est, sed in mandante culpa nō est. In transgressione est pręuaricatio, in irreuerentia est inobedientia. Hæc ille. Li.de parad. diso, cap. 8. Iam quis peccatoris & peccati scopus, & quæ intētio, non tacet B. August. dū scribit. Peccatū est auersio ab incōmutabili bono, & conuersio in debita ad cōmutabile bonū. Li. de libero arbitrio Ecce quid velit, & ad quid neruos suos intendat peccator, scilicet vt spreto, cōtēpto, relictoq; Deo summo bono, reb. terrenis, moxq; perituris, stultè adhęrescat ac fruatur. In peccato igitur tria mala sunt. Primū est auersio à Deo, hoc est, fontalis bonitatis desertio, quod est primū omnium & malorū maximū. *Initiū,* Ecclesi. 10. enim, *superbiæ hominis apostatare à Deo, quando ab eo qui fecit eum, recessit cor eius.* Secundum est ad creaturas, easque caducas conuersio, quod nunquam sine Dei contemptu,

vel manifesto & expresso, vel occulto & tacito fieri potest. Tertium in peccato malum est inordinata voluntas, quæ aduersus Dei ordinationem, & contra rectam hominis rationem, expetit vetita, refugitque præcepta. Quæ tria in duo Dominus apud Hieremiam contrahens, ait: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Itàque vt attestatur Syrach: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta: Si volueris mandata conseruare, conseruabunt te, & imperpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquã & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Hæc ille, & quidem rectè, Dominum ad Adam loquentem introduxit, at proh dolor, homo nõ ad aquam refrigerantem, hoc est, non ad vitam, sed ad ignem comburentem hoc est, ad mortem extendit manus suas, & contactu pomi tam manibus quàm dẽtibus, seséque suamque posteritatem morti obnoxiam fecit. Atque hinc factum est, vt manuum, pedum, totiúsque corporis contactu ad nequitiam, quàm ad pietatem procliuiores simus omnes. Fertur Midas Gordij filius rex Phrygiæ ditissimus optionem habuisse à Baccho; petendi à se quidquid vellet.

Hierem. 2.

Eccles. 15.

Ouid. li. 11. Metamor.

let. Petebat ergò, vt quidquid tangeret, verteretur in aurum. Annuente Baccho, Midas vt rei periculum faceret, attigit ligna, lapides & poma, & mox omnia transformabantur in aurum. Sed quum cibi & potus à se cõtacti aurum fierent, tunc tandem sentit se stultè petiuisse. Affirmant Poëtæ Tantalum & auarum, & voluptati deditum. Idcirco etiam Deum accessisse, Iouemque ei concessisse, vt peteret quidquid vellet. Is voluptatis causa optauit, vt ad deorum dapes admitteretur. Iupiter id ægrè ferens, voto quidem satisfecit, at ne quid ex appositis gustare posset, petra supra caput eius appensa, fecit, atque ita indignarum manuum contactus prohibitus est. Sed quod deorum secreta, quæ fortè in eadem mensa audierat, hominibus indicauit, tandem apud inferos dãnatus, ita cruciari dicitur, vt ad amœnum fluuium stans, & arborem dulcibus pomis onustam ante se videns, semper tamen esuriat & sitiat. Nam quoties ad potandum se inclinat, aut ad carpendum pomum manum extendit, & fluuius & arbor retrocedunt. Hinc Ouidius:

Athenæus lib.7. ca.3.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus hæc illi garrula lingua dedit.

Et Horatius:

Tantalus à labris sitiens fugientia captat

Li. 1. serm. Satyr.1.

Flumina, quid rides? mutato nomine de te,
Fabula narratur.

Ita enim contactus auaritię, gulæq; apud Inferos castigari vetustas docere voluit. Mythicis enim huiusmodi illecebris mortaliũ animi facilius & tenacius irretiũtur, vt poẽta sic admissus circum præcordia ludat, ridensq́;, verum dicat: vt pueris olim dãt crustula blandi: Doctores elementa velint vt discere prima. Audiamus & quid edocuit Aeneam suum Sybilla comes:

Aeneid. li.6

Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flãmas Iouis, et sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic inuectus equis, & lãpada quassans
Per Graiũm populos, mediaq; per Elidis vrbem
Ibat ouans, diuumq; sibi poscebat honorem
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aëre, & cornipedum cursu simularat equorũ.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit, non ille faces, nec fumea tædis
Lumina, præcipitemq; immani turbine adegit.
Nec non & Tityon terræ omniparentis alumnũ.
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur, rostroq; immanis vultur adunco
Immortale iecur tundens, fœcundaq; pœnis
Viscera, rimaturq; epulis, habitatq; sub alto
Pectore: nec fibris requies datur vllã renatis.
Quid memorẽ Lapithas, Ixiona, Pirithoumq;,
Quos super atra silex iam iam lapsura, cadenti

Im-

Imminet assimilis, lucent genialibus altis
Aurea fulcra thoris, epulæq; ante ora parata
Regifico luxu: Furiarum maxima iuxtà
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,
Exurgitq; facem attollens, atq; intonat ore
Hic, quibus inuisi fratres, dum vita manebat
Pulsatúsue parens, & fraus innexa clienti:
Aut qui diuitijs soli incubuêre repertis,
Nec partem posuêre suis, quæ maxima turba est.
Quiq; ob adulterium cæsi, quiq; arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnam expectant, ne quære doceri,
Quã pœnã, aut q̃ forma viros, fortunáue mersit.
Saxum ingens voluunt, alij radijsq; rotarum
Districti pendent. sedet, æternumq; sedebit
Infelix Theseus, Phlegiasq; miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per vmbras,
Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos
Vendidit hic auro patriam, dominumq; potentẽ
Imposuit, fixit leges precio, atq; refixit.
Hic thalamũ inuasit natæ, vetitosq; hymenæos.
Ausi omnes immane nefas ausoq; potiti.

Sed nunc amoto quæramus serio ludo, vt interim Horatij Flacci verbis vtar, Midas auarus, Tantalus gulosus, Salmoneus superbus, Tityus stuprator matronarum, qui Latonę seu Dianæ vim inferre voluit luxuriosus, Sisyphus latro crudelis & iracũdus saxũ voluens & reuoluens. Aegisthus desidiosus seu Li.1.serm. Satyra 1.

ſeu acedia torp ns,& qui rotarum radijs diſtrictus pendet Phlegias,quia Apollinis Delphici templum incendit inuidus,quid quæ-

Septē peccata mortalia indecoro & illicito cōtactu perfici.

lo nos exemplo ſuo docent, quàm ſeptem mortalium peccatorum capita, quæ omnia impuris contactibus fiunt, varijs pœnis apud inferos rigidiſsimè, & ſine miſericordia in æternum,punienda eſſe. Nam de calore ignium infernalium ſtultiſsimè errant, qui dicunt ignem hunc non tam quàm fingitur eſſe calidum,neque dæmonem non adeò atque pingitur,eſſe nigrum. Sanè ſi parum nos mouent Ethnicorum ſcripta Poëtarum,at credamus Deo qui per Moſen ait:

Deuter. 32.

Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima, deuorabitq́; terram cũ germine ſuo, & montium fundamenta comburet. Quid terra quàm auaros, quid montes niſi ſuperbos denotant.Indubiè dextera Domini inueniet omnes qui oderunt eum, de quibus de inimicis Dauid Deum alloqués,

Pſalm. 20.

ait: *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis: fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filijs hominum: quoniam declinauerunt in te mala. & cogitauerunt conſilia,quæ non potuerunt ſtabilire.* Quod quidem faciunt, qui Deum malorum peccatorum ſuorum auctorem deblaterant eſſe, & inte-

rim

rim cogitant impunè ſemper peccare, quod certè ſtabilire & perficere nequibunt. Quid his verbis euidentius. Quarum quoque pœnarum exactiſsimus ſcriptor Iob ait: *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium.* Ecce ſtridorem frigoris. Sed & Chriſtus Ieſus om̃ Prophetarum, & Rex & Dominus quoties inculcat. *Non veſtitum veſte nuptiali proijciendum in tenebras exteriores, vbi erit fletus et ſtridor dentium. Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Quæ nouiſsima verba, tertiò eadem repetere Dominum (vt ait Auguſtinus) non puduit neque tæduit, vt timorem nobis incuteret, atque veriſsima eſſe, quæ de infernalibus pœnis, in ſacra ſcriptura à ſanctis prodita ſunt, crederemus. In tenebris illis exterioribus, crede vincula & carcerem eſſe obſcuriſsimum: Quia, vt ait Sapiens: *Funibus peccatorum ſuorum quiſq; conſtringitur.* Eheu luxurioſi homines, qui libidinosè & impudicè membra cooperienda, vel ſua, vel concubinorum & concubinarum non verentur aſpicere, quanta pauperies & nuditatis confuſio vos manet, teſte Propheta: *Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius. Suadeo tibi*, inquit Apoſtolus Ioannes, *vt veſtimentis albis induaris, vt non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Sanè molles illi qui vel

Iob 24.
Matt. 22.
Marc. 9.
Li 21. de ciuit. ca. 9.
Prouerb. 5.
Abacuc. 2.
Apoca. 3.

vel se, vel alios sic tangunt & polluunt, quid quàm dolorem in omnibus membris ineffabilem expectant? Nam teste Paulo: *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum, qui est contra naturam. Similiter & masculi relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit erroris sui, in semetipsis recipientes. Et idem ibidē post pauca: Qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiūt facientibus. Nam, vt ait Moses: *Pro qualitate delicti, erit & plagarum modus*. Tortura quoque continua erit in flagellis, in coarctatione maxima. Nam, vt scribit Ioannes, *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*. Insuper cruciabuntur corrosione vermium, & aliorū animalium. Vnde Esaias: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Et iterum: *Erit cubile draconum, & pascua strutionum, & occurrent dæmonia. Onocentaurus, & pilosus, clamabit alter ad alterum, ibi cubauit lamia, ibi habuit foueā ericius. etc.* Quod ante Esaiā dudū Dominus per Mosen prædixerat: *Dentes*, ait, *bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo.* Hoc idem

Roman. 1.
Deuter. 25.
Apoca. 20.
Esai. 14.
Esai. 34.
Deuter. 32.

dem in ſpiritu, futurum præuidit in reuelatione ſua Ioannes, proptereaque dicit: *Omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum*. Non quidem quòd ſit ibi aliquis vermis corporalis aut naturalis, ſiue alia animalia huius mũdi, quia poſt diem iudicij in mundo innouato non manebit aliquod animal corruptibile. Sed dæmones ad torquendum dámnatos, aſſument corpora ſimilia animalibus prædictis, & per ea torquebunt peccatores varios, varia & alia atque alia forma. Superbos ſuperborum caballorum & pauonum ſpecie. Luxurioſos ſalatium paſſerum, ſatyrorum, atq; vrſorum ſchemate. Iracundos & inuidos canũ inuidorum forma. Guloſos voracium luporum & porcorũ imaginibus. Auaros cupidarum ſimiarũ ſimulacris. Acedioſos dormitantiũ gliriũ figuris apparentes excruciabunt. Quidam hæc rident, & ſomnia putant. Sed S. Auguſt. etiã dæmones in corporalium vermiũ laruis apparituros credens, ſcribit: Vtrunq;, inquiens, horum, ignem ſcilicet & vermem, qui volunt ad animæ pœnas, non ad corporis pertinere, dicũt vri dolore animæ eos, q fuerint à regno dei ſeparati, & ideò igně pro iſto dolore vrenté, nõ incongruè poni potuiſſe cõtendunt (vt Hiero. Eſaię vlt.) vnde illud Apoſt. eſt: *Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Eundẽ ẽt dolorem ver-

Apocal. 19.

Li. 21. de ciuit. ca. 9.

2. Corin. 11.

vermem putant intelligendum esse. Nam
Prouer. 25. scriptum est inquiunt; *Sicut tinea vestimentum, & vermis lignum, sic mœror excruciat cor viri.* Qui verò pœnas & animæ, & corporis in illo supplicio futuras esse nō dubitāt, igne vri corpus, animam autem rodi quodammodo verme mœroris affirmant. Quod & si credibilius dicitur, quia vtique absurdum est ibi dolorem, aut corporis, aut animæ defuturum, ego tamen facilius existimo, vt ad corpus dicam vtrunque pertinere, & ideo tacitum in illis diuinæ scripturæ verbis animi dolorem esse, quoniam consequens esse intelligitur (etiamsi non dicatur) vt corpore sic dolente, animus quoque sterili pœnitentia crucietur. Legitur quippe & in vete-
Ecclef. 7. ribus scripturis: *Vindicta carnis impij ignis et vermis.* Potuit breuius dici: Vindicta impij, cur ergo dictum est, carnis impij, nisi quia vtrunque ignis & vermis pœna carnis erit. Hæc & plura ibi Augustinus. Si ergo dæmones vermium corporalium specie damnata, excruciabunt corpora, cur non & in aliarū bestiarum formis (quas suprà enumerauimus) appareant?

Pœnæ quæ ad vtrunq; pertinent. Pertinent quoque pœnæ aliæ ad vtrunque simul, corpus dico & animam, vt blasphemia erga Deum, sanctos, & quosuis alios. Quam pœnam conscripsit Apostolus Io anne:

annes: *Grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines, et blasphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis quoniam magna facta est vehementer*: Præterea carentia visionis Dei perpetua torquebuntur, sicut dicit Esaias. *Impius non videbit gloriam Domini.* Esai.26. Tertiò & grauabuntur infinitè per ablationem spei omnis salutis, vt attestatur beatus Cyprianus: Cremabit, inquit, addictos ardens semper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna, nec erit vnde habere tormenta vel requiē possint aliquando vel finem. Seruabuntur enim cum corporibus suis animæ ad dolorem. &c. Item diuus Augustinus: Frustra, inquit, itaque nōnulli imò quā plurimi æternam damnatorum pænam, & cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu; atque ita futurum esse non credunt, non quidem scripturis aduersando diuinis, sed pro suo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo sententiam, quæ putant in eis terribilius esse dicta quàm veritas. *Nō enim obliuiscetur,* inquiunt, *misereri Deus*, &c. Hoc quidem in psalmo legitur sancto; sed de his qui vasa misericordię nuncupantur. Quapropter idē Augustin. capite sequenti concludit, dicens. Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio à vita Dei, &

Lib. ad demetrium.

In Enchridio de fide & spe ad Laurentiū ca.112.

Psal.76.

Ibid. ca.113

omnibus erit ipsa communis, quamlibet homines de varietate pœnarum, dé dolorũ releuatione, vel intermissione prò suis humanis motibus suspicétur: sicut manebit cõmuniter omnium vita æterna sanctorum, quamlibet bonorum distantia concorditer fulgeant. Quin & alibi refutat eorum sententiam. qui impijs & ipsis etiam cacadæmonibus tandem aliquando gratiam datam iri, credebant: Qua in re, inquit, profecto misericordior fuit Origines, qui & ipsum diabolũ atque angelos eius post grauíora pro meritis & diúturniora supplicia ex illis cruciatibus eruendos credidit.

Lib. 21. de ciuita. Dei cap. 17.

Quę ad separationẽ pœnę pertinent.

Iam igitur mihi contemplare diligenter, quam erit acerba illa separatio à consortio sanctorum, à solatio angelorum, à communione & suffragijs fidelium. Nam impius vt dixit Dauid; *Vsque in æternum non videbit lumen*, Sunt enim damnati tanquam palmites resecti à vite, de quibus ipse qui vitis vera est, sic loquitur: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum pater meus qui agricola est*: Sed cur tollet, & in quẽ vsum paulò infra subijcit, dicens: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet & collegent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Hanc lamentabilem seperationem considerans sanctus Cyrillus Alexandrinus, exclamat

Psal. 48.

Ioan. 15.

clamat. O temporis illius tribulationem, o necessitatem & tempestatem: à sanctis graue dirimi, grauius à Deo, ignominiosum *tum manibus tum pedibus colligari*, durum *in exteriores tenebras amandari*, horridum fremere, dentibus stridere, contabescere acerbum, iugibus pœnis atteri laboriosum, linguæ flammas sustinere miserrimum est. *aquæ poscere guttulam*, & repulsam accipere peramarum, in ignibus esse & vociferari, nec tamen subleuari. &c. Neque sanctorum dũtaxat cõsortio priuabuntur, sed etiam à solatio angelorum dirimentur. Quia, vt ait diuus Basilius, sicut apes fumo, & columbæ sordibus atque fœtore fugantur, ita & peccatis angeli ab hominibus procul pelluntur. Tertiò & à communione suffragiisq; fidelium, vt diximus, disgregatur. Ait enim Salomon: *Si ceciderit lignum ad Austrum, siue ad Aquilonem, in quo cunque loco ceciderit ibi erit*. Atque, vt scribit in epistola sua apostolus Ioannes, *Est peccatũ ad mortem, non pro hoc dico vt roget quis*. Propterea scribit beatus Augustinus: *Qui sine fide operante per dilectionem*, eiusque sacramentis de corpore exierunt, frustra huiusmodi pietatis officia impenduntur, cuius dum hîc essent pignore caruerunt, non misericordiam sibi Thesaurizantes sed *iram*. Cum quo concordat & Beatus Gregorius, dicens

In oratione de exitu animæ.
Matt. 22.
Lucæ 16.
Li. contra Eunomiũ.
Ecclef. 11.
1. Ioan. 5.
In Enchridio ca. 108.
Gala. 5.
Rom. 2.
Li. 4. dial cap. 44.

verticem filiarum Syon, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, & palliola, & lintiamina, et acus, et specula, et sindones, et vittas, & teristra. Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, et pro crispanti crine caluitium, et pro fascia pectorali cilitium. Cœterùm quia tactus abusus multiplex est, & propemodum omnia corporis peccata contactu rei illicitæ consummantur, quid peccatum sit ex causis eius (prout hoc ipsum doctores ecclesiastici definiuerunt) audiamus, ac deinde quomodo septem capita mortaliũ peccatorum contactu perficiantur, atque, prout iam dicere cœpimus, castigentur, ostendemus. Quia igitur scire est rem per causas cognoscere & tũ demũ exactè nos rẽ q̃piã cognoscere credimus, quando causam per quam res est, ita ipsius rei causam esse cognoscimus vt non possit omnino res aliter se habere, & causæ cuiusuis rei sint vniuersim quatuor: nempè, efficiens, materialis, formalis, & finalis, agedum iuxta exigentiam causarum eius definiamus peccatum. Peccatum (definitore Augustino) est volũtas retinẽdi vel cõsequẽdi, quod iustitia vetat. Voluntas ergo in ho-

Peccatum quid sit.

Arist. in posterio. Analy. de demonst.

Quis. ex quo, quomodo, & ad quid

Li. de duabus animabus.

mine est peccati sui opifex, adeò, teste eodẽ, Li. de vera
vt peccatum nõ sit, si non sit voluntarium. relig.
Cognito iá fabro peccati ex quo hoc ipsum Cõt. Faust.
faciat, audiamus S. denuò August. dicentem: ca. 22.
Peccatum est omne dictum, vel factum, vel
concupitũ, quod sit contra legem Dei. En ti
bi materia, sermo, opus, & affectus prauus.
Quomodo aũt illud fiat B. Ambrosius cla- Li. de para-
risimæ demonstrat, dicens: Quid est pecca- diso, cap. 8.
tũ, nisi legis diuinæ præuaricatio, & cęlestiũ
inobedientia præceptorũ? Ergo in præuari-
catione peccatum est, sed in mandante culpa
nõ est. In transgresione est pręuaricatio, in
irreuerentia est inobedientia. Hæc ille. Iam
quis peccatoris & peccati scopus, & quæ intẽ
tio, non tacet B. August. dũ scribit. Peccatũ Li. de libe-
est auersio ab incõmutabili bono, & conuer ro arbitrio
sio in debita ad cõmutabile bonũ. Ecce quid
velit, & ad quid neruos suos intendat pecca-
tor, scilicet vt spreto, cõtẽpto, relictoq; Deo
summo bono, reb. terrenis, moxq; perituris,
stultè adhęrescat ac fruatur. In peccato igi-
tur tria mala sunt. Primũ est auersio à Deo,
hoc est, fontalis bonitatis desertio, quod est
primũ omnium & malorũ maximũ. *Initiũ,* Eccles. 10.
enim, *superbia hominis apostatare à Deo, quan-
do ab eo qui fecit eum, recessit cor eius.* Secun-
dum est ad creaturas, easque caducas con-
uersio, quod nunquam sine Dei contemptu,

vel manifesto & expresso, vel occulto & tacito fieri potest. Tertium in peccato malum est inordinata voluntas, quæ aduersus Dei ordinationem, & contra rectam hominis rationem, expetit vetita, refugitque præcepta. Quæ tria in duo Dominus apud Hieremiam contrahens, ait: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Itàque vt attestatur Syrach: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta: Si volueris mandata conseruare, conseruabunt te, & imperpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquā & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Hæc ille, & quidem rectè, Dominum ad Adam loquentem introduxit, at proh dolor, homo nó ad aquam refrigerantem, hoc est, non ad vitam, sed ad ignem comburentem hoc est, ad mortem extendit manus suas, & contactu pomi tam manibus quàm dẽtibus, seséque suamque posteritatem morti obnoxiam fecit. Atque hinc factum est, vt manuum, pedum, totiusque corporis contactu ad nequitiam, quàm ad pietatem procliuiores simus omnes. Fertur Midas Gordij filius rex Phrygiæ ditissimus optionem habuisse à Baccho; petendi à se quidquid vellet.

Hierem. 2.

Ecclesi. 15.

Ouid. li. 11. Metamor.

let. Petebat ergò, vt quidquid tangeret, verteretur in aurum. Annuente Baccho, Midas vt rei periculum faceret, attigit ligna, lapides & poma, & mox omnia transformabantur in aurum. Sed quum cibi & potus à se cõ tacti aurum fierent, tunc tandem sentit se stultè petiuisse. Affirmant Poëtæ Tantalum & auarum, & voluptati deditum. Idcirco etiam Deum accessisse, Iouemque ei concessisse, vt peteret quidquid vellet. Is voluptatis causa optauit, vt ad deorum dapes admitteretur. Iupiter id ægrè ferens, voto quidem satisfecit, at ne quid ex appositis gustare posset, petra supra caput eius appensa, fecit, atque ita indignarum manuum contactus prohibitus est Sed quod deorum secreta, quæ fortè in eadem mensa audierat, hominibus indicauit, tandem apud inferos dãnatus, ita cruciari dicitur, vt ad amœnum fluuium stans, & arborem dulcibus pomis onustam ante se videns, semper tamen esuriat & sitiat. Nam quoties ad potandum se inclinat, aut ad carpendum pomum manum extendit, & fluuius & arbor retrocedunt. Hinc Ouidius:

Athenæus lib. 7. ca. 3.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus hæc illi garrula lingua dedit.

Et Horatius:

Tantalus à labris sitiens fugientia captat

Li. 1. serm. Satyr. 1.

Flumina, quid rides? mutato nomine de te,
Fabula narratur.

Ita enim contactus auaritię, gulæq; apud Inferos castigari vetustas docere voluit. Mythicis enim huiusmodi illecebris mortaliũ animi facilius & tenacius irretiũtur, vt poëta sic admissus circum præcordia ludat, ridensq́; verum dicat: vt pueris olim dãt crustula blandi: Doctores elementa velint vt discere prima. Audiamus & quid edocuit Aeneam suum Sybilla comes:

Aeneid. li. 6

Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flãmas Iouis, et sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic inuectus equis, & lãpada quassans
Per Graiũm populos, mediæq; per Elidis vrbem
Ibat ouans, diuumq; sibi poscebat honorem
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aëre, & cornipedum cursu simularat equorũ.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit, non ille faces, nec fumea tædis
Lumina, præcipitemq; immani turbine adegit.
Nec non & Tityon terræ omniparentis alumnũ.
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur, rostroq; immanis vultur adunco
Immortale iecur tundens, fœcundaq; pœnis
Viscera, rimaturq; epulis, habitatq; sub alto
Pectore: nec fibris requies datur vllã renatis.
Quid memorẽ Lapithas, Ixiona, Pirithoumq;,
Quos super atra silex iam iam lapsura, cadenti
Im-

Imminet assimilis, lucent genialibus altis
Aurea fulcra thoris, epulæq; ante ora parata
Regifico luxu: Furiarum maxima iuxtà
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,
Exurgitq; facem attollens, atq; intonat ore
Hic, quibus inuisi fratres, dum vita manebat
Pulsatúsue parens, & fraus innexa clienti:
Aut qui diuitiis soli incubuêre repertis,
Nec partem posuêre suis, quæ maxima turba est.
Quiq; ob adulterium cæsi, quiq; arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnam expectant, ne quære doceri,
Quã pœnã, aut q̃ forma viros, fortunáue mersit.
Saxum ingens voluunt, alij radijsq; rotarum
Districti pendent, sedet, æternumq; sedebit
Infelix Theseus, Phlegiasq; miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per vmbras,
Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos
Vendidit hic auro patriam, dominumq; potentẽ
Imposuit, fixit leges precio, atq; refixit.
Hic thalamũ inuasit natæ, vetitosq; hymenæos.
Ausi omnes immane nefas ausoq; potiti.

Sed nunc amoto quæramus serio ludo, vt interim Horatij Flacci verbis vtár, Midas auarus, Tantalus gulosus, Salmoneus superbus, Tityus stuprator matronarum, qui Latonę seu Dianæ vim inferre voluit luxuriosus, Sisyphus latro crudelis & iracũdus saxũ voluens & reuoluens. Aegisthus desidiosus seu

Li. 1. serm. Satyra 1.

ſeu acedia torp ns,& qui rotarum radijs diſtrictus pendet Phlegias,quia Apollinis Delphici templum incendit inuidus,quid quæſo nos exemplo ſuo docent, quàm ſeptem mortalium peccatorum capita, quæ omnia impuris contactibus fiunt, varijs pœnis apud inferos rigidiſsimè, & ſine misericordia in æternum,punienda eſſe. Nam de calore ignium infernalium ſtultiſsimè errant, qui dicunt ignem hunc non tam quàm fingitur eſſe calidum,neque dæmonem non adeò atque pingitur,eſſe nigrum. Sanè ſi parum nos mouent Ethnicorum ſcripta Poëtarum,at credamus Deo qui per Moſen ait: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima, deuorabitq; terram cū germine ſuo, & montium fundamenta comburet.* Quid terra quàm auaros, quid montes niſi ſuperbos denotant.Indubiè dextera Domini inueniet omnes qui oderunt eum, de quibus de inimicis Dauid Deum alloqués, ait: *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis: fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filijs hominum: quoniam declinauerunt in te mala, & cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.* Quod quidem faciunt, qui Deum malorum peccatorum ſuorum auctorem deblaterant eſſe, & interim

Septē peccata mortalia indecoro & illicito cōtactu perfici.

Deuter. 32.

Pſalm. 20.

tim cogitant impunè ſemper peccare, quod certè ſtabilire & perficere nequibunt. Quid his verbis euidentius. Quarum quoque pœnarum exactiſsimus ſcriptor Iob ait: *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium.* Ecce ſtridorem frigoris. Sed & Chriſtus Ieſus oĩm Prophetarum, & Rex & Dominus quoties inculcat. *Non veſtitum veſte nuptiali proijciendum in tenebras exteriores, vbi erit fletus et ſtridor dentium. Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. Quæ nouiſsima verba, tertiò eadem repetere Dominum (vt ait Auguſtinus) non puduit neque tæduit, vt timorem nobis incuteret, atque veriſsima eſſe, quæ de infernalibus pœnis, in ſacra ſcriptura à ſanctis prodita ſunt, crederemus. In tenebris illis exterioribus, crede vincula & carcerem eſſe obſcuriſsimum: Quia, vt ait Sapiens: *Funibus peccatorum ſuorum quiſq; conſtringitur*. Eheu luxurioſi homines, qui libidinosè & impudicè membra cooperienda, vel ſua, vel concubinorum & concubinarum non verentur aſpicere, quanta pauperies & nuditatis confuſio vos manet, teſte Propheta: *Væ qui potum dat amico ſuo mittens ſel ſuum & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius. Suadeo tibi*, inquit Apoſtolus Ioannes, *vt veſtimentis albis induaris, vt non appareat confuſio nuditatis tuæ*. Sanè molles illi qui

Job 24. Matt. 22. Marc. 9. Li 21. de ciuit. ca. 9. Prouerb. 5. Abacuc. 2. Apoca. 3.

vel

quasi cadauer putridum. Et rursus. *Interfecti*
Esai.34. *eorum proijcientur, & de cadaueribus eorũ ascendit fœtor.* Denuo eodem capite, Paulò infrà: Et *conuertentur torrentes eius in picem, &*
Ibidem. *humus ei⁹ in sulphur, et erit terra eius in picẽ ardẽtem: nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus eius.* Ita ergo complebi-
Esai.3. tur quod filiabus Syon prædixerat idẽ propheta: *Erit pro suaui odore fœtor.* Intolerabilior enim erit iste putor & pedor seu pus, quã
2. Mach.9. erat Antiochi, de quo legimus, quod eius fœtore vniuersus exercitus grauabatur, imò ipsemet suum fœtorem ferre nequibat. Quantus ergo fœtor erit inferni in quo tot cadauerum examina iacebunt: Gustus porrò patietur famen & sitim. Nam qui hîc panem dulciarium seu Martium (quem mazã vocant) striblitas, tortas, placentas, pastillos, pullos gallinaceos, lepores, phasianos, ficedulas perdicesque & alia id genus, adipalibus & opiparis conuiuijs deuorauerunt, qui vinum plenum, dulce, & saccaro per ignem defæcatum, aromaticum seu Hippocraticũ, deinde & Creticum seu Maluaticum atque vinum passum, & multa similia exhauserũt, neque famis & sitis pauperum miserti sunt, inedia & ariditate affligentur. Sicut enim gustus beatorum delectabitur non per cibũ aut potum, sed per immutationem linguę, ab

4. Gustus.

ab aliqua humiditate à Deo adiuncta linguæ eorum habente omnis saporis suauitatem. sic linguæ damnatorum adiungetur amaror intolerabilis. Hinc Moses: *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Vua eorum, vua fellis & botrus amarissimus. Recordemur diuitis epulonis, cibemus, potemusque esurientes & sitientes, ne in locum tormentorum eius veniamus, sed audire digni simus à Christo: Esuriui, sitiui, dedisti mihi manducare & bibere: Venite benedicti. Deuter. 32. Luc. 16.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET. Ecclef. 7.

CONCIO XVII.

De pœnis tactus, item de pœnis quæ pertinent ad corpus et animam simul: & de pœnis quæ prouenient per separationem.

DE inferni situ, & reliquis circunstãtijs, & quomodo tam hominum quam dæmonũ spiritus ab externo & corporali igne excrucientur, & numerum (si tamen enumerari possunt) pœnarum tam animarum per se internè; quàm corporum per se

extrinſecus, excepto Tactus ſenſu proximo ſermone recenſuimus: ſupereſt vt de cruciatibus Tactus, & de pœnis quæ ad vtrunque ſimul, corpus nempè & animam, pertinent; atque alijs inſuper quæ ob ſeparationem accident, præſenti contione tractemus. Quod vt ſuccedat felicius, Dei & virginis matris præſidium breui inuocantes ſalutatiuncula, oremus dicentes:

Tactus omni animāti necesſarius.

Li. 2. de animo. c. 3. Item l. 3. de ani. ca. 12.

AVE MARIA.

Ariſtoteles maximi nominis philoſophus auctor eſt. Tactus ſenſum propriè ac ſpeciatim omni ad vegetationem atque nutrimentum animanti neceſſarium eſſe, quia ſine contactu neutrum quoduis animal acquirere poteſt. Nihil enim paſtum adiuuat ſonus, nec color aut odor, imò etiam quatenus animalia tactum habent, eatenus etiam appetitum & motum habent. Quod enim non tangit, illud neque appetit, neque afficitur, neque mouetur aut voluptate aut dolore, Obiecta verò quæ tactu percipiuntur ſunt, calidum, frigidum, ſiccum, humidum, & reliquę qualitates ſecundę ex hiſce primis compoſitæ, vt aſperum, leue, aridum, lubricum, graue, leue, durum, molle, craſſum, ſubtile, & ſimiles qualitates. Inſtrumentum verò ipſiius tactus vel organum, eſt neruus quidem multiplex, & ramoſus multis ſurculis

Obiecta tactus.

Inſtrumētum tactus

culis

culis & capillatim quasi, per totum corpus sub carne & cute dispersus, & expansus, tanquam rete quoddam, atque hi nerui grandes vel exigui adeò, vt etiam tenuitate sua visum fugiant, vnà cum maiore neruo illo ex cerebro tanquam à radice emanant molliusculi. Sicque adeo totum corpus ferè est instrumentum ipsius tactus; caro autem vel cutis est medium inter tactilem qualitatem, & neruum eam tangentem. Quæ quum ita sint, facilè est inuenire quæ tormenta damnati tactu percipient. Tactus ergo & reliquę corporis partes patientur calorem ignis, stridorem frigoris, vincula & carcerem obscurissimum, paupertatis & nuditatis confusionem, dolorem in omnibus membris ineffabilem, torturam continuam in flagellis, coarctationem maximam, corrosionem vermium. Nam manus molliusculæ ad arcendum aut frigus, aut æstum chirothecis quondam inclusæ, formosi insuper lacerti dextrariolis armillisque compti: pedes quoq; qui ad choreas, ad prostibula, ad spectacula ad œnopolia, ad latrocinia, ad furta, & sanguinem impigrè cucurrerunt, atque vt in summa dicam totum corpus dolore afficietur, nulla quos lingua posit eloqui humana nullaque assequi oratio. Illìc siquidem semel & simul, teste Isaia, *Decaluabit dominus*

Tactus abusus varie maximeq; cõmunis.

Esai.3.

mine est peccati sui opifex, adeò, teste eodē, vt peccatum nō sit, si non sit voluntarium. Li. de vera relig.
Cognito iā fabro peccati ex quo hoc ipsum faciat, audiamus S. denuò August. dicentem: Cōt. Faust. ca. 22.
Peccatum est omne dictum, vel factum, vel concupitū, quod sit contra legem Dei. En tibi materia, sermo, opus, & affectus prauus.
Quomodo aūt illud fiat B. Ambrosius clarissimæ demonstrat, dicens: Quid est peccatū, nisi legis diuinæ præuaricatio, & cęlestiū inobedientia præceptorū? Ergo in præuaricatione peccatum est, sed in mandante culpa nō est. In transgressione est pręuaricatio, in irreuerentia est inobedientia. Hæc ille. Li. de paradiso, cap. 8.
Iam quis peccatoris & peccati scopus, & quæ intētio, non tacet B. August. dū scribit. Peccatū est auersio ab incōmutabili bono, & conuersio in debita ad cōmutabile bonū. Li. de libero arbitrio
Ecce quid velit, & ad quid neruos suos intendat peccator, scilicet vt spreto, cōtēpto, relictoq; Deo summo bono, reb. terrenis, moxq; perituris, stultè adhęrescat ac fruatur. In peccato igitur tria mala sunt. Primū est auersio à Deo, hoc est, fontalis bonitatis desertio, quod est primū omnium & malorū maximū. *Initiū, enim, superbia hominis apostatare à Deo, quando ab eo qui fecit eum, recessit cor eius.* Secundum est ad creaturas, easque caducas conuersio, quod nunquam sine Dei contemptu, Eccles. 10.

 vel

vel manifesto & expresso, vel occulto & tacito fieri potest. Tertium in peccato malum est inordinata voluntas, quæ aduersus Dei ordinationem, & contra rectam hominis rationem, expetit vetita, refugitque præcepta. Quæ tria in duo Dominus apud Hieremiam contrahens, ait: *Duo mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Itàque vt attestatur Syrach: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta: Si volueris mandata conseruare, conseruabunt te, & imperpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquã & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam.* Hæc ille, & quidem rectè, Dominum ad Adam loquentem introduxit, at proh dolor, homo nõ ad aquam refrigerantem, hoc est, non ad vitam, sed ad ignem comburentem hoc est, ad mortem extendit manus suas, & contactu pomi tam manibus quàm dẽtibus, seseque suamque posteritatem morti obnoxiam fecit. Atque hinc factum est, vt manuum, pedum, totiusque corporis contactu ad nequitiam, quàm ad pietatem procliuiores simus omnes. Fertur Midas Gordij filius rex Phrygiæ ditissimus optionem habuisse à Baccho; petendi à se quidquid vellet.

Hierem. 2.

Ecclesi. 15.

Ouid. li. 11. Metamor.

let. Petebat ergò, vt quidquid tangeret, verteretur in aurum. Annuente Baccho, Midas vt rei periculum faceret, attigit ligna, lapides & poma, & mox omnia transformabantur in aurum. Sed quum cibi & potus à se cõ tacti aurum fierent, tunc tandem sentit se stultè petiuisse. Affirmant Poëtæ Tantalum & auarum, & voluptati deditum. Idcirco etiam Deum accessisse, Iouemque ei concessisse, vt peteret quidquid vellet. Is voluptatis causa optauit, vt ad deorum dapes admitteretur. Iupiter id ægrè ferens, voto quidem satisfecit, at ne quid ex appositis gustare posset, petra supra caput eius appensa, fecit, atque ita indignarum manuum contactus prohibitus est. Sed quod deorum secreta, quæ fortè in eadem mensa audierat, hominibus indicauit, tandem apud inferos dãnatus, ita cruciari dicitur, vt ad amœnum fluuium stans, & arborem dulcibus pomis onustam ante se videns, semper tamen esuriat & sitiat. Nam quoties ad potandum se inclinat, aut ad carpendum pomum manum extendit, & fluuius & arbor retrocedunt. Hinc Ouidius:

Athenæus lib. 7. ca. 3.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus hæc illi garrula lingua dedit.

Et Horatius:

Tantalus à labris sitiens fugientia captat

Li. 1. serm. Satyr. 1.

Flumina, quid rides? mutato nomine de te,
Fabula narratur.

Ita enim contactus auaritię, gulæq; apud Inferos castigari vetustas docere voluit. Mythicis enim huiusmodi illecebris mortaliũ animi facilius & tenacius irretiũtur, vt poëta sic admissus circum præcordia ludat, ridensq́; verum dicat: vt pueris olim dãt crustula blandi: Doctores elementa velint vt discere prima. Audiamus & quid edocuit Aeneam suum Sybilla comes:

Aneid. li.6

Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flãmas Iouis, et sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic inuectus equis, & lãpada quassans
Per Graiũm populos, mediæq; per Elidis vrbem
Ibat ouans, diuumq; sibi poscebat honorem
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aere, & cornipedum cursu simularat equorũ.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit, non ille faces, nec fumea tædis
Lumina, præcipitemq; immani turbine adegit.
Nec non & Tityon terræ omniparentis alumnũ.
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur, rostroq; immanis vultur adunco
Immortale iecur tundens, fœcundaq; pœnis
Viscera, rimaturq; epulis, habitatq; sub alto
Pectore: nec fibris requies datur vlla renatis.
Quid memorẽ Lapithas, Ixiona, Pirithoumq;,
Quos super atra silex iam iam lapsura, cadenti

Im-

Imminet assimilis, lucent genialibus altis
Aurea fulcra thoris, epulæq; ante ora paratæ
Regifico luxu: Furiarum maxima iuxtà
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,
Exurgitq; facem attollens, atq; intonat ore
Hic, quibus inuisi fratres, dum vita manebat
Pulsatúsue parens, & fraus innexa clienti:
Aut qui diuitijs soli incubuêre repertis,
Nec partem posuêre suis, quæ maxima turba est.
Quiq; ob adulterium cæsi, quiq; arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi pœnam expectant, ne quære doceri,
Quā pœnā, aut q̃ forma viros, fortunáue mersit.
Saxum ingens voluunt, alij radijsq; rotarum
Districti pendent, sedet, æternumq; sedebit
Infelix Theseus, Phlegiasq; miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per vmbras,
Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos
Vendidit hic auro patriam, dominumq; potentē
Imposuit, fixit leges precio, atq; refixit.
Hic thalamū inuasit natæ, vetitosq; hymenæos.
Ausi omnes immane nefas ausoq; potiti.

Sed nunc amoto quæramus serio ludo, vt interim Horatij Flacci verbis vtar, Midas auarus, Tantalus gulosus, Salmoneus superbus, Tityus stuprator matronarum, qui Latonę seu Dianæ vim inferre voluit luxuriosus, Sisyphus latro crudelis & iracūdus saxū voluens & reuoluens. Aegisthus desidiosus seu Li.1.serm. Satyra 1.

ſeu acedia torp ns,& qui rotarum radijs di-
ſtrictus pendet Phlegias,quia Apollinis Del
phici templum incendit inuidus,quid quæ-
Septē peccata mortalia indecoro & illicito cōtactu perfici.
ſo nos exemplo ſuo docent, quám ſeptem
mortalium peccatorum capita, quæ omnia
impuris contactibus fiunt, varijs pœnis a-
pud inferos rigidiſsimè, & ſine misericor-
dia in æternum,punienda eſſe. Nam de calo
re ignium infernalium ſtultiſsimè errant,
qui dicunt ignem hunc non tam quàm fin-
gitur eſſe calidum,neque dæmonem non a-
deò atque pingitur,eſſe nigrum. Sanè ſi pa-
rum nos mouent Ethnicorum ſcripta Poë-
tarum,at credamus Deo qui per Moſen ait:
Deuter. 32. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſ-
que ad inferni nouiſſima, deuorabitq́ terram cū
germine ſuo, & montium fundamenta combu-
ret.* Quid terra quàm auaros, quid montes
niſi ſuperbos denotant. Indubiè dextera Do
mini inueniet omnes qui oderunt eum, de
quibus de inimicis Dauid Deum alloquēs,
Pſalm. 20. ait: *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vul-
tus tui, Dominus in ira ſua conturbabit eos, &
deuorabit eos ignis: fructum eorum de terra per-
des, & ſemen eorum à filijs hominum: quoniam
declinauerunt in te mala, & cogitauerunt conſi-
lia, quæ non potuerunt ſtabilire.* Quod quidem
faciunt, qui Deum malorum peccatorum
ſuorum auctorem deblaterant eſſe, & inte-
rim

tim cogitant impunè ſemper peccare, quod certè ſtabilire & perficere nequibunt. Quid his verbis euidentius. Quarum quoque pœnarum exactiſsimus ſcriptor Iob ait: *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium.* Ecce ſtridorem frigoris. Sed & Chriſtus Ieſus oīm Prophetarum, & Rex & Dominus quoties inculcat. *Non veſtitum veſte nuptiali proijciendum in tenebras exteriores, vbi erit fletus et ſtridor dentium. Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Quæ nouiſsima verba, tertiò eadem repetere Dominum (vt ait Auguſtinus) non puduit neque tæduit, vt timorem nobis incuteret, atque veriſsima eſſe, quæ de infernalibus pœnis, in ſacra ſcriptura à ſanctis prodita ſunt, crederemus. In tenebris illis exterioribus, crede vincula & carcerem eſſe obſcuriſsimum: Quia, vt ait Sapiens: *Funibus peccatorum ſuorum quiſq; conſtringitur.* Eheu luxurioſi homines, qui libidinosè & impudicè membra cooperienda, vel ſua, vel concubinorum & concubinarum non verentur aſpicere, quanta pauperies & nuditatis confuſio vos manet, teſte Propheta: *Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius. Suadeo tibi*, inquit Apoſtolus Ioannes, *vt veſtimentis albis induaris, vt non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Sanè molles illi qui

Marginal notes: Iob 24. — Matt. 22. — Marc. 9. — Li 21. de ciuit. ca. 9. — Prouerb. 5. — Abacuc. 2. — Apoca. 3.

vel

vel se, vel alios sic tangunt & polluunt, quid quàm dolorem in omnibus membris ineffabilem expectant? Nam teste Paulo: *Tradi-*
Roman.1. *dit illos Deus in passiones ignominiæ.* Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum, qui est contra naturam. Similiter & masculi relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit erroris sui, in semetipsis recipientes. Et idem ibidē post pauca: Qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiūt
Deuter. 25. facientibus. Nam, vt ait Moses: *Pro qualitate*
Apoca. 20. *delicti, erit & plagarum modus.* Tortura quoque continua erit in flagellis, in coarctatione maxima. Nam, vt scribit Ioannes, *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Insuper cruciabuntur corrosione vermium, & aliorū animalium. Vnde Esaias: *Subter te sterne-*
Esai.14. Esai.34. *tur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Et iterum: *Erit cubile draconum, & pascua strutionum, & occurrent dæmonia. Onocentaurus, & pilosus, clamabit alter ad alterum, ibi cubauit lamia, ibi habuit foueā ericius. etc.* Quod ante Esaiā dudū Dominus per Mosen præ-
Deuter.32. dixerat: *Dentes*, ait, *bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo.* Hoc idem

dem in ſpiritu, futurum præuidit in reuelatione ſua Ioannes, proptereaque dicit: *Omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum.* Non quidem quòd ſit ibi aliquis vermis corporalis aut naturalis, ſiue alia animalia huius mũdi, quia poſt diem iudicij in mundo innouato non manebit aliquod animal corruptibile. Sed dæmones ad torquendum dãmnatos, aſſument corpora ſimilia animalibus prædictis, & per ea torquebunt peccatores varios, varia & alia atque alia forma. Superbos ſuperborum caballorum & pauonum ſpecie. Luxurioſos ſalatium paſſerum, ſatyrorum, atq; vrſorum ſchemate. Iracundos & inuidos canũ inuidorum forma. Guloſos voracium luporum & porcorũ imaginibus. Auaros cupidarum ſimiarũ ſimulacris. Acedioſos dormitantiũ gliriũ figuris apparentes excruciabunt. Quidam hæc rident, & ſomnia putant. Sed S. Auguſt. etiã dæmones in corporalium vermiũ laruis appariturosa credens, ſcribit: Vtrunq;, inquiens, horum, ignem ſcilicet & vermem, qui volunt ad animæ pœnas, non ad corporis pertinere, dicũt vri dolore animæ eos, q fuerint à regno dei ſeparati, & ideò ignẽ pro iſto dolore vrentẽ, nõ incongruè poni potuiſſe cõtendunt (vt Hiero. Eſaię vlt.) vnde illud Apoſt. eſt: *Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Eundẽ ẽt dolorem ver-

Apocal. 19.

Li. 21. de ciuit. ca. 9.

2. Corin. 11.

vermem putant intelligendum esse. Nam scriptum est inquiunt; *Sicut tinea vestimentum, & vermis lignum sic mœror excruciat cor viri.* Qui verò pœnas & animæ, & corporis in illo supplicio futuras esse nō dubitāt, igne vri corpus, animam autem rodi quodammodo verme mœroris affirmant. Quod & si credibilius dicitur, quia vtique absurdum est ibi dolorem, aut corporis, aut animæ defuturum, ego tamen facilius existimo, vt ad corpus dicam vtrunque pertinere, & ideo tacitum in illis diuinæ scripturæ verbis animi dolorem esse, quoniam consequens esse intelligitur (etiamsi non dicatur) vt corpore sic dolente, animus quoque sterili pœnitentia crucietur. Legitur quippe & in veteribus scripturis: *Vindicta carnis impij ignis et vermis.* Potuit breuius dici: Vindicta impij, cur ergo dictum est, carnis impij, nisi quia vtrunque ignis & vermis pœna carnis erit. Hæc & plura ibi Augustinus. Si ergo dæmones vermium corporalium specie damnata, excruciabunt corpora, cur non & in aliarū bestiarum formis (quas suprà enumerauimus) appareant?

Prouer. 25.

Eccles. 7.

Pœnæ quæ ad vtrunq; pertinent.

Pertinent quoque pœnæ aliæ ad vtrunque simul, corpus dico & animam, vt blasphemia erga Deum, sanctos, & quosuis alios. Quām pœnam conscripsit Apostolus Ioannes:

annes: *Grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines, et blasphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis quoniam magna facta est vehementer*: Præterea carentia visionis Dei perpetua torquebuntur, sicut dicit Esaias. *Impius non videbit gloriam Domini.* Esai. 26.
Tertiò & grauabuntur infinitè per ablationem spei omnis salutis, vt attestatur beatus Cyprianus: Cremabit, inquit, addictos ardens semper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna, nec erit vnde habere tormenta vel requiē possint aliquando vel finem. Seruabuntur enim cum corporibus suis animæ ad dolorem. &c. Item diuus Augustinus: Frustra, inquit, itaque nōnulli imò quā plurimi æternam damnatorum pœnam, & cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu; atque ita futurum esse non credunt, non quidem scripturis aduersando diuinis, sed pro suo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo sententiam, quæ putant in eis terribilius esse dicta quàm veritas. *Nō enim obliuiscetur,* inquiunt, *misereri Deus,* &c. Hoc quidem in psalmo legitur sancto; sed de his qui vasa misericordię nuncupantur. Quapropter idē Augustin. capite sequenti concludit, dicens. Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio à vita Dei, &

Lib. ad demetrium.

In Enchridio de fide & spe ad Laurentiū ca. 112.

Psal. 76.

Ibid. ca. 113

clamat. O temporis illius tribulationem, o necessitatem & tempestatem: à sanctis graue dirimi, grauius à Deo, ignominiosum *tum manibus tum pedibus colligari*, durum *in exteriores tenebras amandari*, horridum fremere, dentibus stridere, contabescere acerbum, iugibus pœnis atteri laboriosum, linguæ flammas sustinere miserrimum est. *aquæ poscere guttulam*, & repulsam accipere peramarum, in ignibus esse & vociferari, nec tamen subleuari. &c. Neque sanctorum dũtaxat cõsortio priuabuntur, sed etiam à solatio angelorum dirimentur. Quia, vt ait diuus Basilius, sicut apes fumo, & columbæ sordibus atque fœtore fugantur, ita & peccatis angeli ab hominibus procul pelluntur. Tertiò & à communione suffragiisq; fidelium, vt diximus, disgregatur. Ait enim Salomon: *Si ceciderit lignum ad Austrum, siue ad Aquilonem, in quo cunque loco ceciderit ibi erit*. Atque, vt scribit in epistola sua apostolus Ioannes, *Est peccatũ ad mortem, non pro hoc dico vt roget quis*. Propterea scribit beatus Augustinus: *Qui sine fide operante per dilectionem*, eiusque sacramentis de corpore exierunt, frustra huiusmodi pietatis officia impenduntur, cuius dum hîc essent pignore caruerunt, non misericordiam sibi Thesaurizantes sed *iram*. Cum quo concordat & Beatus Gregorius, dicens

In oratione de exitu animæ.

Matt. 22.

Lucæ 16.

Li. contra Eunomiũ.

Eccles. 11.

1. Ioan. 5.

In Enchridio ca. 108.

Gala. 5.

Rom. 2.

Li. 4. dial cap. 44.

dicens: Eadem itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus damnatis ęterno igni, quæ nunc etiam causa est, vt non oretur pro diabulo angelisque eius æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam causa est vt non orent sancti homines, pro hominibus infidelibus impijsque defunctis, quia pro eis vtique quos æterno deputatos supplicio iam nouerunt, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt. Constat igitur, hominem in peccato mortali diem claudentem extremum, orationibus ecclesiæ subleuare nullo modo posse. Si verò quis contrà proferat historiam quæ legitur in vitis patrum, quam & Damascenus refert in quodã sermone, videlicet quòd D. Macarius Alexandrinus inuenta in via caluaria cuiusdam defuncti, oratione pręmissa, quæsiuit cuius esset, respõdit, quòd erat cuiusdam sacerdotis pagani, qui in inferno damnatus erat, & tamen confessus est, se & alios oratione diui Macharij adiuuari.

Caluaria pagani loquuta.

Respondeo quosdam esse ecclesiasticos viros qui negent vnquam tale quid accidisse, & in historia Vitę patrum multa falsa & apocrypha inueniri posse. Nihilominus ea admissa dicit diuus Thomas quòd illud adiutorium non erat tale, scilicet vt eorum pœna minueretur, sed ad hoc volebat tantũ, ꝙ

co

eo orante concedebatur eis, vt mutuò se viderent. Et in hoc aliquod gaudium non verum sed imaginarium habebant, dum implebatur quod desiderabant. Sicut dæmones gaudere dicuntur, dum homines ad peccatum pertrahunt, quanquam per hoc eorũ pœna nó minuatur. Sicut ècõtrario nõ minuitur angelorum gaudium quanquam malis nostris compatiantur. Si verò id quod in vita Gregorij papæ Magni cognomento legimus de Traiano imperatore allegetur, quòd etiam Damascenus in antèdicto sermone narrat, & dicit quod idem Gregorius vidés iustitiam & clementiam Traiani, de filio suo qui equitás occiderat filium viduę, orationem pro Traiano fuderit ad S. Petri basilicã, audieritq; vocẽ nocte sequenti. Vocem tuã audiui & Traiano veniam do, tantum pro nullo vlterius pagano preces effunde. Et tamen Traianus erat in inferno, quia idololatra, & multorum Christianorum maryrũ sęuus interfector fuerat. Respondeo quosdã quanquam dicat Damascenus, quod omnis Oriens & Occidens huius historiæ testis sit, constanter tamen negare factum. Verum quia Ioannes Diaconus, qui quatuor libris vitam diui Gregorij complexus est, hanc accidisse fatetur historiam, audiamus, quid ad hæc diuus Thomas respondeat, qui duas dat solu-

Historia Gregorij de Traiano.

Li. 2. c. 44.

In addi. 3. par. quest. 71 ar. 9.

ſolutiones dicens: quod probabiliter credi
In addi. 3. par quæſt. 71. ar. 9. poteſt, Traianus beati Gregorij precibus ad vitam reuocatus, & baptizatus, ac demũ pœnitudine longa gratiam conſecutus, ſicut etiam apparet in illis, qui miraculosè reſuſcitati ſunt, quum antè fuerint idololatræ de quibus eſt communis ſententia quòd non erant in infernum finaliter deputati, ſed ſecundum præſentem propriorum meritorũ iuſtitiam; iuxta verò ſuperiores cauſas quia præuidebantur ad vitã reuocãdi, erat aliter de illis diſponendum. Poſterior Thomæ ſolutio eſt, quòd anima Traiani non fuit ſimpliciter & abſolutè à reatu æternæ pœnæ liberata, ſed eius pœna ad tempus ſuſpẽſa fuit vſque ad diem iudicij. Quod quanquam ita eſſet, non tamen hoc cõmuniter per ſanctorum ſuffragia fieri exiſtimandum erit, quædam enim communiter accidunt, quædam ex priuilegio duntaxat aliquibus conceduntur. Nam vt ait beatus Auguſtinus: Alij ſunt
In li. de cura pro mort. humanarum limites rerum, alia diuinarum ſigna virtutum, Nunc tamen Ioannis Diaconi vitę Gregorij ſcriptoris ſententiã audiamus: Sed quum, inquit, de ſuperioribus miraculis Romanorum nemo ſit qui dubitet, de hoc tamen quod apud Saxones legitur, huius precibus animam Traiani ab inferni cruciatibus liberatã, ob id vel maximè dubitari

bitari videtur, quod tantus Doctor nequaq̃ præsumeret pro pagano prorsus orare, qui 4. Dialog. suorum lib. docuerit, &c. (vt paulo suprà à nobis citatus est) non aduertentes, quia non legitur pro Traiano Gregorium exorasse, sed tantùm fleuisse. Sic enim quum non orauerit Gregorius plangendo potuit exaudiri, sicut Moses quum dolendo taceret, potuit clamasse videri, cui Dominus tacenti labijs, *quid clamas, inquit, ad me?* Nimirum Deus omnipotens corda renesque scrutatur, & frequenter ea misertus concedit, quę homo, quamuis vt carnalis desideret, ea tamen petere non pręsumit, vnde Psalmista: *Desiderium pauperis exaudiuit dominus, et præparationem cordis eorum exaudiuit auris tua.* Et notandum, quia nó legitur Gregorij precibus Traiani anima ab inferno liberata, & in paradiso reposita, q omninò incredibile videretur, propter illud quod scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu san*cto, non intrabit in regnum cælorum, sed simpliciter dicitur, ab inferni solummodò cruciatibus liberata. Quod videlicet potest videri credibile, quippè quum ita valeat anima in inferno existere, & inferni cruciatus per Dei misericordiam non sentire, sicut vnus gehennæ ignis valet omnes peccatores pariter detinere, sed per Dei iustitiã cunctos

Exod. 14.

Psalm. 10.

Ioan. 3.

non valet æqualiter exurere. Nam vniuscuiusq;, quantum meruit, culpa iusto Dei iudicio tantum sentietur & pœna. Hæc ille: Ex quibus tandem omnibus colligi potest, separatos iam esse prorsus damnatos omnes à communione & suffragijs fidelium in terra militantium, vel etiam in cælis cum Christo regnantium. Quamobrem, *dum tempus habemus, operemur bonum; dum lucem habemus, credamus in lucem, vt filij lucis simus.* Quod faxit, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Ecclес. 7.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET.

CONCIO XVIII.

De qualitate pœnarum, atque tortorum immanitate.

QVoniam de tormentis quæ tactu damnati in inferno percipient, & de pœnis alijs quæ ad vtrunque simul, corpus videlicet & animum, spectant, & quàm dura erit separatio tam à consortio sanctorum, & solatio angelorum, quàm à communione & suffragijs fidelium omnium, tam in ecclesia militante, quàm in triumphante pro ingenioli

nioli nostri viribus superiore concione disseruimus, atque ita de pœnarum, quatenus à nobis numerari possunt, varietate egimus: iam porrò de earundem qualitate quo ad damnatos, & quo ad tortores, atque etiam quo ad pœnas ipsas præsenti concione tractabimus. Hoc vt queamus melius & ego dicere, & vos audire, vtrique autem memoriæ & actioni mandare, diuini numinis inuocemus auxilium, & omni gratia plenam virginem, Angelica salutatione conueniamus, dicentes:

AVE MARIA.

Diximus in concione nudiustertius habita, tertium nouissimum inter quatuor quæ contemplanda nobis proponit, secundo loco pœnarum numerum & qualitatem considerandam esse, & quia de numero loquuti sumus, qualitatem exponemus. Qualis autem & quāta futura sit pœna, ex statu dānatorum colligi potest, nam sociantur inimicissimis. Societas est, inquit diuus Thomas, adunatio hominum ad aliquid perficiendum, qui fœdere coniuncti & pacis & belli, & etiam dulcis atque amari participes inter se fiunt, quòd secent diuidantque inter se laborē & requiem. Veh autem illis qui in societatem malignorum spirituum per peccata blandientia insiti sunt, his enim Domi-

Qualitas pœnarum.

1. Societas pessimorū.

Lib. contra impugnatores religionis, c. 5.

Psal.49. nus ait per Dauidem: *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas, existimasti, iniquè, quod eris tui similis, arguam te, & statuam contra te faciem tuam.*
1.Cor.10. Et Paulus clamat: *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum, non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Cacadæmones enim ex deprauatissima sua natura cane peius & angue, oderunt hominem, postquam hunc in suis sedibus collocandum viderunt, vtque hoc impedirent, & primos parentes, & nos etiamnum ad peccandum solicitant, non quod boni quippiam nobis faueant, sed inuideant maximè, sicut scriptum est: *Inuidia diaboli mors introiuit*
Sapien.2. *in orbem terrarum.* Inexplebile autem odium suum, quod erga nos adhuc dissimulát,
2. Separatio ab optimis. donec in nassam pertrahant, erga damnatos inimicissimè manifestant. Qualitatem quoque pœnarum damnatis aggrauat, quòd separantur ab optimis. Sed de separatione ista, quia superiore sermone egimus, vnam duntaxat lamentationem B. August. addã: Væ,
A d fratres in eremo serm.63. ait, illis, qui ibidem habebunt suã mansioné, hic fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum. Et paucis interiectis: Quorum mansio nõ Abrahæ sinus, sed sathanæ sinus: ibi

ibi nulla amicorum vel parentum visitatio, sed inaccessibilis peccatorum tormentatio. Hæc ille. Eheu ergo, non tantùm illic triste vel longum, sed tristissimum & perpetuum amicorum vale & separatio fiet. Est & alia magis etiam qualitatem pœnæ aggrauans circumstantia, nempè, quòd damnati ponuntur in locis fœdissimis & sordidissimis. Nam hoc sub figura desolationis Babylonicæ prædixit Propheta: *Requiescent, inquit, ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum Draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in domibus eius, & sirenes in delubris voluptatis.* Propterea etiam alius Propheta grauiter comminatur superbis eiusmodi, qui eò delitiarum venerunt, vt nil quàm gemmas calcare volunt: *Væ, inquit, qui opulenti estis in Syon.* Et paulò infra: *Qui separati, inquit, estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris.*

3 collacatio in sordidissimo lacu.

Esai. 13.

Amos. 6.

Tunc enim, vt inquit Esaias: *Erit pro suaui odore fœtor*, vbi modo aromata, & reliquæ herbæ odoriferæ. Insuper in tam sordido atque putenti carcere non licebit esse quietis, sed pœnas patiuntur inexplicabiles. Quæ quia ineffabiles sunt, sanè

Esai. 3.

4. Pœnæ inexplicabiles.

neque

neq; ipse omnes exprimam, duntaxat quod Sophar Naamathites, apud Prophetam Iob loquitur, proferam: *Hoc scio*, inquit, *à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eū viderant, dicent: Vbi est?* Et pauculis interpositis: Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus: diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus: caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ, &c. Atque quod omnium erit horribilissimum damnati corpora habent vndequaque maximè deformia, ponderosa, lacerosa vulneribus & vlceribus, fœtida, passibilia minimæ cruciationis, circundata & perforata serpentibus. Itaque, vt Paulus ait, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Omnes inquam, tam viri quam fœminæ, puelli atque puellæ. Quod ipsum confirmat Augustinus, dicens: Nonnulli propter hoc quod dictum est: *Donec occurramus oēs in vnitatem fidei, et agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi:* non in sexu fœmineo resurrecturas fœminas credunt, sed in virili, quoniam Deus solum virum fecit ex limo, fœmi-

Iob 20.

5. Corpora sordidissima.

1. Corin. 15.

De ciui. dei li. 22. c. 17.

Ephes. 4.

Genes. 1.

fœminam ex viro. Sed mihi melius sapere videntur, qui vtrunque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido ibi erit, quæ confusionis est causa. Nam priusquam peccassent, nudi erant, & non erubescebant vir & fœmina. Corporibus ergò illa vitia detrahentur, natura seruabitur. Et pauculis interpositis concludens ait, Qui ergo vtrunque sexum instituit, vtrunque restituet, sicut testatur Christus Sadducæis, dicens: *Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo.* Hactenus B. Augustinus. Omnes ergo resurgemus, sed reprobi non immutabuntur, quin potius deformitatibus obnoxij manebunt, quod scripturæ quoque videntur docere velle. Dicit enim Esaias: *Vlulate, quia propè est dies Domini, quasi vastitas à Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis contabescet & conteretur. Torsiones & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt, vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum.* Hoc ipsum in lamentationibus suis Propheta Hieremias attestatur, dicens: *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est quasi lignum.* Cæterùm, ait Beatus Augustinus,

Vterq; sexus resurget.

Matt. 22.

Esai. 13.

Threno. 4.

In Enchiridio ad Laurent. ca 92.

nus,vtrum ipsi cum vitijs & deformitatibus suorum corporum resurgant, quæcunq; in eis gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorũ erit certa & sempiterna damnatio. Eant, eant, ergo qui carnem sapiunt. libidinosi, qui Dei metum ad latus ponentes, susq; deque faciunt, qui si videant liberari forma, venustoq; aspectu mulierem, vellem (aiunt) cum similibus esse in inferno. Erunt, erunt, absq; numero quas videtis in hoc sæculo elegantissima specie, sed earum peribit pulchritudo, fœdæ erunt, pallidæ, turpes, fœtentes, à quarum conspectu abhorrebit oculus. Nec Helenæ, nec Lucretiæ, neq; Thaidis aut Veneris vel Adonidis, neq; cuiusquam ibi formam videre fuerit. Imò quanto in hac vita quis pulchrior, tanto ibi turpior, quãto hîc felicior, tantò illîc miserior, quanto hic mulier comptior, tanto illic nudior & caluior. Siquidem apud inferos nulla flaua coma, nulli gratiosi ocelli, neque ascitus ex purpurisso genarum rubor, nulli candidi validiq; lacerti, nisi ad perferenda tormenta apti &
1.Corint.15 commodi. *Mortui enim omnes resurgent incorrupti.* hoc est sine aliqua mutilatione membrorum. Membra enim in hoc mundo abscissa, putà nasus, aures, manus, pedes, & simi-
lia.

lia, vel etiam distorta membra quæcunque ad perfectionem corporis necessaria, etiã in damnatis reparabũtur, vt nihil sit quod impediat doloris sensum ex defectu membrorum. Nã defectus alicuius membri impediret, ne dolor in corpore vniuersalis est, nec modus pœnæ esset secundum mensurã culpæ. Qui de corporum deformitate, deque pœnarum acerbitate plura cognoscere volét, legat reuelationes Tõdalo militi Hiberniæ factas quẽ B. Bonauentura sub annum Domini MCXLIX. vixisse scribit. Legat q̃ de Patricij cœmiterio, & de Christiana virgine in oppido S. Trudonis, nata vrbe Brabant. patrum suorum memoria viuente, Dionys. Carthus. abundè multa scribit. Nos ad institutum reuertamur. Qualitas ergo quãtitasq; pœnarũ etiã ex ipsis carnificib. æstimari potest. Cacadæmones. n. erunt ipsi tortores, qui sunt visu horribiles, in sæuiendo crudeles, in nocendo auidi, insultantes in pœnis, potentes ad affligendum, nemini quidquam parcentes, sine intermissione torquẽtes, Ecclesiasticus: *Sunt*, inquit, *spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua. in tempore consummationis effundent virtutem & furorem eius, qui fecit illos*. B. quoq; Paulus de angelis bonis mẽtionẽ faciens: *Nonne oẽs*, ait, *sunt administratorij spiritus*

Quarta par te nouiss. serm. 5. §. 2.

Li. nouiss. 3

Tortores in ferni qui, & quales.

Ecclesi. 39.

Hebr. 1.

ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Quemadmodum itaque angeli boni ſunt adminiſtri miſericordiæ Dei, per quam boni aſſequuntur ſalutem, ſicà contrariò dæmones ſunt adminiſtri iuſtitiæ Dei, per quam mali ſuam capiunt damnationem, aut etiam ſaluandi expurgãtur. Hinc eſt quod legimus apud Iob: *Quadam autem die, quum veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Sathan. Cui dixit Dominus: Vnde venis? Qui reſpondens ait Circuiui terram, & perambulaui eam. Dixitq; Dominus ad eum. Nunquid cõſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, ac timens Deum & recedens à malo? Cui reſpondens Sathan ait: Nunquid Iob fruſtra timet Deum, nonne tu vallaſti eum ac domum eius vniuerſamq; ſubſtantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixiſti, & poſſeſſio eius creuit in terra? Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Sathan: Ecce vniuerſa quæ habes, in manu tua ſunt, tantum in eum ne extendas manum tuam.* Ex quibus verbis imprimis docemur diabolum ad aulam cœleſtem, ſicuti tortorem iuxta curiam ſenatoriam expectare, & venire non vocatum, ſed ad arcanum concilium non admitti.

1. Viſu horribiles.

Iob 1.

mitti. Deinde cacadæmonem (sicut facit carnifex) nihil aliud quàm expetere, quàm adiudicari sibi quos torqueat. Cæterùm videmus Diabolum tortorem hominùm non plus posse, quàm ei concessum sit à Deo, vti neque carnifex præscriptam iudicis sententiam transgredi potest. Adeò vt secundo reuersus sathan staret in conspectu eius, & domino referente, quod adhuc Iob retineret innocentiam, dicente: *Tu commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustrà, respondens Sathan dixerit: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua, alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad Sathan: Ecce in manu tua est, veruntamen animam eius serua.* Ecce sæuitiam tortoris, primò in bonis & possessionibus eius accepta potestate, non contentus, secundò & in corpus eius facultatem obtinet. Sed contrà, considera Dei æquitatem & fidelitatem atque iustitiam Iuxta illud: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tẽtatione prouentum, vt possitis sustinere.* Sed quando permittuntur exercere odium suum, & visu horribiles sunt, & sæuiendo crudeles. Cuius rei experimentum capere possumus in filia Chananeæ. Quamobrem venit hæc ad

Iob. 2.

1. Corin. 10

2. *In sæuiẽdo crudeles*

Matth. 15.

A a Chri-

Christum, dicens: *Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à Dæmonio vexatur.* Quàm prætereà crudelis tortor cacadæmon sit, ex alio loco videre licet, vbi ferocissi-
Marc. 5. mum curauit Christus *dæmoniacum, qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quisquam poterat eum ligare. Quem interrogauit Dominus: Quod est tibi nomen? Respondit, legio, multi enim sumus, & deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus. Et annuente domino introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mari ad duo millia, & suffo-*
Marc. 9. *cati sunt.* Sed & aliam non minorem sæuitiam huius tortoris legimus perpetratam in filium illum cuiusdam plebei, quem vbicunque apprehendebat, allidebat, ita vt spumaret & strideret dentibus. Rogante Iesu, quanto tempore ei hoc acciderat, ait pater: *Ab infantia, & frequenter eum in ignem, & in aquas misit, vt eum perderet. Dixit Iesus: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans & multum discerpens eum, exijt ab eo, & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius eleuauit eum, & surrexit.* Hic tam durus & sæuus erat dęmon, vt discipuli prius rogati, eijcere eum non potuerint. Si hæc & si-

& similia multa tormenta cacadæmones hominibus in hoc mundo infligunt, etiam ijs, in quibus plenam potestatem necdum habent, quibus igitur non cruciatibus afficient in perpetuum damnatos? Quam enim sint in nocendo auidi, manifestum fit in Iuda proditore, in quem mox atque ei Dominus buccellam dedit, introiuit sathanas, neque ipsum conquiescere permisit, donec & Dominum suum prodidisset, & semetipsum laqueo interemisset. Fit quoque idem perspicuum in Anania & Sapphira, quibus quum dixisset Petrus: *Anania cur tentauit te sathanas mentiri spiritui sancto, & fraudare de precio agri.* &c. Audiens Ananias hæc verba, cecidit & expirauit. Et similiter postmodum mulier. Si ergò præmonuit nos Apostolus Ioannes dicens: *Væ terræ & mari quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam sciens quod modicum tempus habet*, vt sciamus quàm sit in nocendo auidus, quàm putamus cupidè & strenuè excruciabit suos in inferno semper? Est & alia horum carnificum nequitia, nullo enim modo casum miserantur damnatorum, sed insultantes sunt in pœnis. Legimus de Tobia scriptum in hunc modum: Sicut Beato Iob insultabant tres Reges, ita isti parentes & cognati eius irridebant vitam e-

3. In nocendo auidi.
Ioan. 13.
Act. 5.
Apocal. 12.
4. Insultantes in pœnis.

eius, dicentes: *Vbi est spes tua, & cet.* Sanè si homo homini interdum dæmoniū est, multò seuerior istic homini cacadæmon tortor erit, qui modò sese amicum simulat. Ergo Dei, angelique nostri boni, quem nobis ille dedit, consilium potius sequamur, iuxta id

Prouer. 25. quod scriptum est à Salomone: *Causam tuā tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles, ne fortè insultet tibi cum audierit, & exprobrare non cesset.* Extraneus & hostis pessimus noster, quis quæso nisi dæmon est, omnes enim homines inter se fratres atque sorores esse debent. Quidquid in mundo simulet & dissimulet nobiscum ille hostis extraneus, cuiusmodi tamen in cute sit, in inferno demonstrabit, sicut scribit beatus Augustinus: Ibi, ô fratres mei, dæmones flere & clamare non cessant, percutere peccatores, nunquam desistunt, nunc superbum, nunc elatum, nunc gloria mundi plenum, nunc luxuriosum, nunc proditorem, nunc homicidā, nunc fœneratorem, nunc verbosum, nunc adulatorem, nunc mendacem, nunc detractorem clamabunt. Sed quid insuper clamabunt, nisi percute, dilacera, interfice, sine morte occide, velociter spolia, deprędari festina. fer prunas, picem para, aurum & argentum liquefac. Hæc ille. Similiter Eusebius Emissenus episcopus interrogat. Quid inter

Ad fratres in eremo, serm. 26.

Homil. de tremēdo iudicio, gehēnæq; cruciatibus.

hæc aget anima, quum eam ceperit ad definitam sententiam, & immobili lege fixam, importunus depositi exactor, abstrahere, & hinc inde insultare, & insistere infernalium diræ facies ministrorum? &cet. Porrò quàm sint ijdem tortores potentes ad affligendum, nullus credo, ignorat. Nam de Behemoth & Leuiathan, qui est princeps dæmoniorum (inter alia multa quibus eum describit) dicit dominus ad Iob: *Ecce Behemoth quem feci tecum*, &c. Et in capite sequenti de eodem: *Sternutatio eius splēdor ignis, et oculi eius vt palpebræ diluculi. De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.* Et paucis interiectis: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret. Omne sublime videt, ipse est rex* super vniuersos filios superbiæ. Propterea etiam nemini quidquam parcūt, non regi, non imperatori, non Episcopo, nō Pontifici maximo. Quanquam enim, vt scriptum est, *Deus potentes non abijcit, quum & ipse sit potens, sed tamen non saluat impios.* Imò teste Sapiente: *Iudicium durissimum, in his qui præsunt fiet: exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Et à quibus (obsecro) alijs, quàm ab impijs illis furijs infernalibus, quas

5. Potentes ad affligendum.

Iob 40. & 41.

6. Nemini parcentes.

Iob 36.

Sapien. 6.

7. Sine intermissione torquētes. quòd nemini parcant per antiphrasin ethnici, olim vocaruntpoetæ. Consequens etiā est quòd sine intermissione torqueât, Nam,

Apoc. 20. vt scribit Ioannes apostolus, *Diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis et sulphuris, vbi bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Quin & qualitas quantitasque pœnarum ex ipsis denique pœnis (sicuti prius ex ipsis damnatorum & tortorum conditionibus æstimauimus) tertiò iam constituenda & manifestanda venit; Harum grauitas attendi debet circa earum æternitatem, cuius hæ sunt causæ,

Pœnarum grauitas, quid. quia homo peccauit in suo æterno quod habuit: peccatum contra Deum infinitum quiaque damnatorum mala voluntas non desinit; & nunquam pœnitere volunt; atque quia per peccatum amiserunt bonum

1. Aeterna. per quod potuissent in æternum viuere. Videtur verò quibusdam graue imò iniquum vt pro peccato temporali, pœna infligatur æterna. Contra quos Beatus Augustinus

De ciuit. Dei li. 21. cap. 11. disputat, an hoc ratio iustitiæ habeat, vt non sint longiora tempora pœnarum, quam fuere peccatorum, & aduersariorum profert argumentum: Quomodo ergo verum est,

Lucæ 6. inquiunt, quod ait Christus vester: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, si tem-

temporale peccatum supplicio punitur æterno. Nec attendunt, inquit, non propter æquale temporis spacium, sed propter vicissitudinem mali (id est, vt qui mala fecerit, mala patiatur) eandem dictam fuisse mensuram, vt sit mensura non temporis solius, sed totius delicti. Hoc enim æquum esse idem eodem capite, ex legibus duodecim Tabularum Romanarum, docet his verbis. Octo, inquit, pœnarum genera in Legibus esse scribit Tullius: damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, seruitutem. Quod horum est, quod in breue tempus pro cuiusque peccati celeritate coarctetur, vt non nisi tantula vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum, nisi fortè talio. Fieri enim potest, vt tam breui tempore quisque amittat oculum seueritate vindictæ quàm tulit ipse alteri improbitate peccati. Reliqua plerunque sic infliguntur, vt nulla venia relaxentur, & similia pœnis videantur æternis, si ipsa vita mortalis æterna esset. Hæc ille. Ad hæc quoque Innocentius sui nominis tertius Pont. Rom. in libris de contemptu mundi, siue de miseria humanæ conditionis: Reprobis, inquit, Deus irascitur æternaliter, quia iustum est, vt quod impius in suo præuaricatur æterno, Deus vlciscatur in suo æterno Li. 3. ca. 10.

terno, nam licet peccandi facultas illum dimittat, ipse tamen non dimittit peccandi voluntatem. Scriptum est enim. *Superbia corũ qui te oderunt, ascendit semper*. Nam non humiliabuntur reprobi iam desperantes de venia, sed malignitas odij tantum in illis excrescet, vt velint illum omnino non esse, per quem sciunt se tam infeliciter esse. Maledicent altissimum & blasphemabunt excelsũ, conquerentes eum esse malignum, qui creauit illos ad pœnam, & nunquam inclinatur ad veniam. Audi beatum Ioannem dicentẽ: *Grando magna descendit de cœlo in homines, & blasphemauerunt homines Deum propter plagã grandinis, quia magna facta est vehementer.* Voluntas ergo damnati licet amiserit potestatis effectum, semper tamen habebit malignitatis affectum, & ipsa erit in inferno supplicium, quæ fuit in mundo peccatum: licet & peccatum ibi forsitan sit, sed non meritum pœnæ. Impius ergo quia semper ex se reatum habet ex culpa, semper sentiet contra se esse cruciatum ex pœna, quia quod ipse per pœnitentiam non deleuit, Deus per indulgentiam non remittet. Ad magnam ergo pertinet iustitiam iudicantis, vt nunquam careant in gehenna supplicio, qui nũquam voluerunt in vita carere peccato. Ostendunt enim quod semper in peccato viuere

Psal. 73.

Apoca. 16.

uere volunt,qui nunquam desinunt pecca- Matt.12.
re dum uiuunt. Et hæc est illa finalis impœ- Marc.3.
nitentia, *spiritus blasphemia peccatum in spiri-* Lucæ 12.
tum sanctum, de quo loquitur Christus. quod Rom.2.
non remittetur in hoc seculo neque in futuro. Gratianus
Sed vt ait Ambrosius. Nouit Deus mutare de pœnę
sententiam,si tu noueris emẽdare delictum. dist.1.ca.
Hæc ille. Quia ergo iniqui voluissent sine Nouit.
fine viuere,vt possent sine fine peccare, idcirco & sine fine cruciabuntur. Eandem quoque sententiam sanctus Bernardus confirmat,scribens epistolam ad abbatem Guarinum Alpensem. Ob hoc enim proculdubio(ait) inflexibilis & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum licet temporaliter Epist.252.
perpetratum,quia quod breue fuit tempore vel opere,longum esse constat in pertinaci voluntate, ita vt si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret,imò semper viuere vellet,vt semper peccare posset. Beatus itaque Thomas Aquinas omnia Ec- In 4. Sen-
clesiasticorum patrum placita conferens in tentiarum
pauca,ait,cur peccatum mortiferum tempo- dist. 42.
rale puniatur æternaliter, tres sunt ratio- art.3.
nes. Prima est,quia comittitur contra Deũ qui infinitæ dignitatis est. Vt enim grauius peccat qui percutit nobilem quam qui rusticum,omnium autem maximè delinquit, qui imperatorem aut Pontificem Max. cæ-

dit:ita quantò obiectum seu persona maior, tanto peccatum est maius. Deus autem est infinitus & immensus, igitur debet peccator impœnitens & obstinatus puniri pœna infinita, non intensiuè seu simul, quia non est capax, ergò extensiuè, vt sit pœna infinita secundum durationem.

Secunda ratio sumitur ex voluntate praua peccatoris obdurati, quia peccans mortaliter ponit finem delectationis suæ in eo peccato mortali, adeò vt etiam DEVM contemnat, & si impunè peccare posset, nũquam peccatum relinqueret.

Tertia ratio est, quia gratiam Dei concessam sibi abijcit, & per pœnitentiam non requirit, & propterea semper manet in pœ-
1.Ioan.3. na, quia (vt dicit Apostolus.) *Qui non diligit, manet in morte*. Sed videamus porrò adhuc aliam pœnarum qualitatem aggrauantem, nempè ipsarum continuationem quia nunquam desinunt, & ne minimum
2.Cõtinua quidem ibi refrigerium est: Quod in meditationibus suis deuotissimè contemplans,
Lib. Medi. beatus Bernardus attestatur, dicens: Procul
ta.ca.3. quippè à beata paradysi patria exulãtes cruciabũtur in gehẽna perpetua, nũquã lucẽ visuri nũq̃ refrigeriũ adepturi, sed per millia milliũ annorũ cruciandi, nec inde vnquam
libe-

liberandi; vbi nec qui torquet aliquando fa tigatur, nec qui torquetur aliquando moritur, Sic enim ibi ignis consumit vt semper reseruet, sic tormenta aguntur, vt semper renouentur. Item Gregorius magnus: Fit ergo, inquit, miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu. quia & mors viuit, & finis semper incipit. & deficere defectus nescit. Sed iam & aliud audiamus, ex quo pœnarum infernalium grauitas intelligitur, nempe dissuetudinem seu disparitatem ad pœnas nostras, quoniam nulla est nostrarum mundanarum, imò ne martyrum quidem, cum pœnis infernalibus comparatio. Quod ex Chrysostomi libris facilè est ostendere: Hîc habent, inquit, tam iucunda quàm tristia finem, eumque celerrimum, illîc sæculis vtraque immortalibus extenduntur: nec dici potest quantum virtute & potentia differant à rebus præsentibus. Quum ignem audis ne arbitreris esse similem huic igni, hic enim accensus deferuescit & mutatur, ille autem semel in flāmam exurgens ardet perpetuò, nunquam intermoritur. Isidorus verò addit, dicēs: Hîc flāma quæ succēdit illuminat, illîc ignis qui cruciat obscurat, hîc metus amittitur, quū tolerari iam cœperit quod timebatur, illîc & do-

Lib. 9. Moral. ca 48.

3. Dissueta.

Epist. 5. ad Theodorū lapsum.

Lib. 1. de sūmo bono. ca. 48.

spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Quemadmodum itaque angeli boni sunt administri misericordiæ Dei, per quam boni assequuntur salutem, sicà contrariò dæmones sunt administri iustitiæ Dei per quam mali suam capiunt damnationem, aut etiam saluandi expurgãtur. Hinc est quod legimus apud Iob: *Quadam autem die, quum venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Sathan. Cui dixit Dominus: Vnde venis? Qui respondens ait Circuiui terram, & perambulaui eam. Dixitq; Dominus ad eum. Nunquid cõsiderasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deum & recedens à malo? Cui respondens Sathan ait: Nunquid Iob frustra timet Deum, nonne tu vallasti eum ac domum eius vniuersamq; substantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed extende paululum manum tuam & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Sathan: Ecce vniuersa quæ habes, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam.* Ex quibus verbis imprimis docemur diabolum ad aulam cœlestem, sicuti tortorem iuxta curiam senatoriam expectare, & venire non vocatum, sed ad arcanum concilium non admitti.

1. Visu horribiles.

Iob 1.

mitti. Deinde cacadæmonem (ſicut facit carnifex) nihil aliud quàm expetere, quàm adiudicari ſibi quos torqueat. Cæterùm videmus Diabolum tortorem hominum non plus poſſe, quàm ei conceſſum ſit à Deo, vti neque carnifex præſcriptam iudicis ſententiam tranſgredi poteſt. Adeò vt ſecundo reuerſus ſathan ſtaret in conſpectu eius, & domino referente, quod adhuc Iob retineret innocentiam, dicente: *Tu commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtrà*, reſpondens Sathan dixerit: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua, alioquin mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad Sathan: Ecce in manu tua eſt, veruntamen animam eius ſerua.* Ecce ſæuitiam tortoris, primò in bonis & poſſeſsionibus eius accepta poteſtate, non contentus, ſecundò & in corpus eius facultatem obtinet. Sed contrà, conſidera Dei æquitatem & fidelitatem atque iuſtitiam Iuxta illud: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tētatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Sed quando permittuntur exercere odium ſuum, & viſu horribiles ſunt, & ſæuiendo crudeles. Cuius rei experimentum capere poſſumus in filia Chananeæ. Quamobrem venit hæc ad

Iob. 2.

1. Corin. 10

2. *In ſæuiendo crudeles*

Matth. 15.

Christum, dicens: *Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à Dæmonio vexatur.* Quam prætereà crudelis tortor cacadæmon sit, ex alio loco videre licet, vbi ferocissi-
Marc. 5. mum curauit Christus *dæmoniacum, qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quisquam poterat eum ligare. Quem interrogauit Dominus: Quod est tibi nomen? Respondit, legio, multi enim sumus, & deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus Et annuente domino introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mari ad duo millia, & suffo-*
Marc. 9. *cati sunt.* Sed & aliam non minorem sæuitiam huius tortoris legimus perpetratam in filium illum cuiusdam plebei, quem vbicunque apprehendebat, allidebat, ita vt spumaret & strideret dentibus. Rogante Iesu, quanto tempore ei hoc acciderat, ait pater: *Ab infantia, & frequenter eum in ignem, & in aquas misit, vt eum perderet. Dixit Iesus: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans & multum discerpens eum, exijt ab eo, & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia mortuus est Iesus autem tenens manum eius eleuauit eum, & surrexit.* Hic tam durus & sæuus erat dęmon, vt discipuli prius rogati, eijcere, eum non potuerint. Si hæc & si-

& similia multa tormenta cacadæmones ho minibus in hoc mundo infligunt, etiam ijs, in quibus plenam poteſtatem necdum habent, quibus igitur non cruciatibus afficient imperpetuum damnatos? Quam enim ſint in nocendo auidi, manifeſtum fit in Iu da proditore, in quem mox atque ei Dominus buccellam dedit, introiuit ſathanas, neque ipſum conquieſcere permiſit, donec & Dominum ſuum prodidiſſet, & ſemetipſum laqueo interemiſſet. Fit quoque idem perſpicuum in Anania & Sapphira, quibus quum dixiſſet Petrus: *Anania cur tentauit te ſathanas mentiri ſpiritui ſancto, & fraudare de precio agri.* &c. Audiens Ananias hæc verba cecidit & expirauit. Et ſimiliter poſtmodum mulier. Si ergò præmonuit nos Apoſtolus Ioannes dicens: *Vae terræ & mari quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam ſciens quod modicum tempus habet*, vt ſciamus quàm ſit in nocendo auidus, quàm putamus cupidè & ſtrenuè excruciabit ſuos in inferno ſemper? Eſt & alia horum carnificum nequitia, nullo enim modo caſum miſerantur damnatorum, ſed inſultantes ſunt in pœnis. Legimus de Tobia ſcrip tum in hunc modum: Sicut Beato Iob inſultabant tres Reges, ita iſti parentes & cognati eius irridebant vitam e-

3. In nocēdo auidi.

Ioan. 13.

Act. 5.

Apocal. 12.

4 Inſultantes in pœnis.

eius, dicentes: *Ubi est spes tua, & cet.* Sanè si homo homini interdum dæmoniū est, multò seuerior istîc homini cacadæmon tortor erit, qui modò sese amicum simulat. Ergo Dei, angelique nostri boni, quem nobis ille dedit, consilium potius sequamur, iuxta id

Prouer. 25. quod scriptum est à Salomone: *Causam tuā tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles, ne fortè insultet tibi cum audierit, & exprobrare non cesset.* Extraneus & hostis pessimus noster, quis quæso nisi dæmon est, omnes enim homines inter se fratres atque sorores esse debent. Quidquid in mundo simulet & dissimulet nobiscum ille hostis extraneus, cuiusmodi tamen in cute sit, in inferno demonstrabit, sicut scribit beatus Augustinus: Ibi, ô fratres mei, dæmones flere & clamare non cessant, percutere peccatores, nunquam desistunt, nunc superbum, nunc elatum, nunc gloria mundi plenum, nunc luxuriosum, nunc proditorem, nunc homicidā, nunc fœneratorem, nunc verbosum, nunc adulatorem, nunc mendacem, nunc detractorem clamabunt. Sed quid insuper clamabunt, nisi percute, dilacera, interfice, sine morte occide, velociter spolia, deprędari festina, fer prunas, picem para, aurum & argentum liquefac. Hæc ille. Similiter Eusebius Emissenus episcopus interrogat. Quid inter

Ad fratres in eremo, serm. 26.

Homil. de tremēdo iudicio, gehē næq; cruciatibus.

hæc

hæc aget anima, quum eam ceperit ad definitam ſententiam, & immobili lege fixam, importunus depoſiti exactor, abſtrahere, & hinc inde inſultare, & inſiſtere infernalium diræ facies miniſtrorum? &cet. Porrò quàm ſint ijdem tortores potentes ad affligendum, nullus, credo, ignorat. Nam de Behemoth & Leuiathan, qui eſt princeps dæmoniorum (inter alia multa quibus eum deſcribit) dicit dominus ad Iob: *Ecce Behemoth quem feci tecum*, &c. Et in capite ſequenti de eodem: *Sternutatio eius ſplēdor ignis, et oculi eius vt palpebræ diluculi. De naribus eius procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ atque feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.* Et paucis interiectis: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret. Omne ſublime videt, ipſe eſt rex* ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Propterèà etiam nemini quidquam parcũt, non regi, non imperatori, non Epiſcopo, nō Pontifici maximo. Quanquam enim, vt ſcriptum eſt, *Deus potentes non abijcit, quum & ipſe ſit potens, ſed tamen non ſaluat impios.* Imò teſte Sapiente: *Iudicium durißimum, in his qui præſunt fiet: exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Et à quibus (obſecro) alijs, quàm ab impijs illis furijs infernalibus, quas

5. Potentes ad affligendum.

Iob 40. & 41.

6. Nemini parcentes.

Iob 36.

Sapien. 6.

7. Sine intermissione torquētes. quòd nemini parcant per antiphrasin ethnici olim vocarunt poetæ. Consequens etiā est quòd sine intermissione torqueât, Nam, Apoc. 20. vt scribit Ioannes apostolus, *Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, vbi bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Quin & qualitas quantitasque pœnarum ex ipsis denique pœnis (sicuti prius ex ipsis damnatorum & tortorum conditionibus æstimauimus) tertiò iam constituenda & manifestanda venit; Harum grauitas attendi debet circa earum æternitatem, cuius hæ sunt causæ, Pœnarum grauitas, quid. quia homo peccauit in suo æterno quod habuit: peccatum contra Deum infinitum quiaque damnatorum mala voluntas non desinit; & nunquam pœnitere volunt; atque quia per peccatum amiserunt bonum 8. Aeterna. per quod potuissent in æternum viuere. Videtur verò quibusdam graue imò iniquum vt pro peccato temporali, pœna infligatur æterna. Contra quos Beatus Augustinus De ciuita Dei li. 21. cap. 11. disputat, an hoc ratio iustitiæ habeat, vt non sint longiora tempora pœnarum, quam fuere peccatorum, & aduersariorum profert argumentum: Quomodo ergo verum est, Lucæ 6. inquiunt, quod ait Christus vester: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, si tem-

temporale peccatum ſupplicio punitur æterno. Nec attendunt, inquit, non propter æquale temporis ſpacium, ſed propter viciſsitudinem mali (id eſt, vt qui mala fecerit, mala patiatur) eandem dictam fuiſſe menſuram, vt ſit menſura non temporis ſolius, ſed totius delicti. Hoc enim æquum eſſe idem eodem capite, ex legibus duodecim Tabularum Romanarum, docet his verbis. Octo, inquit, pœnarum genera in Legibus eſſe ſcribit Tullius: damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, ſeruitutem. Quod horum eſt, quod in breue tempus pro cuiuſque peccati celeritate coarctetur, vt non niſi tantula vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum, niſi fortè talio. Fieri enim poteſt, vt tam breui tempore quiſque amittat oculum ſeueritate vindictæ quàm tulit ipſe alteri improbitate peccati. Reliqua plerunque ſic infliguntur, vt nulla venia relaxentur, & ſimilia pœnis videantur æternis, ſi ipſa vita mortalis æterna eſſet. Hæc ille. Ad hæc quoque Innocentius ſui nominis tertius Pont. Rom. in libris de contemptu mundi, ſiue de miſeria humanæ conditionis: Reprobis, inquit, Deus iraſcitur æternaliter, quia iuſtum eſt, vt quod impius in ſuo præuaricatur æterno, Deus vlciſcatur in ſuo æ- Li.3. ca. 10.

terno, nam licet peccandi facultas illum dimittat, ipſe tamen non dimittit peccandi voluntatem. Scriptum eſt enim. *Superbia eorũ qui te oderunt, aſcendit ſemper*. Nam non humiliabuntur reprobi iam deſperantes de venia, ſed malignitas odij tantum in illis excreſcet, vt velint illum omnino non eſſe, per quem ſciunt ſe tam infeliciter eſſe. Maledicent altiſsimum & blaſphemabunt excelsũ, conquerentes eum eſſe malignum, qui creauit illos ad pœnam, & nunquam inclinatur ad veniam. Audi beatum Ioannem dicenté: *Grando magna deſcendit de cœlo in homines, & blaſphemauerunt homines Deum propter plagã grandinis, quia magna facta eſt vehementer*. Voluntas ergo damnati licet amiſerit poteſtatis effectum, ſemper tamen habebit malignitatis affectum, & ipſa erit in inferno ſupplicium, quæ fuit in mundo peccatum: licet & peccatum ibi forſitan ſit, ſed non meritum pœnæ. Impius ergo quia ſemper ex ſe reatum habet ex culpa, ſemper ſentiet contra ſe eſſe cruciatum ex pœna, quia quod ipſe per pœnitentiam non deleuit, Deus per indulgentiam non remittet. Ad magnam ergo pertinet iuſtitiam iudicantis, vt nunquam careant in gehenna ſupplicio, qui nũquam voluerunt in vita carere peccato. Oſtendunt enim quod ſemper in peccato viuere

Pſal. 73.

Apoca. 16.

uere

uere volunt, qui nunquam desinunt peccaredum viuunt. Et hæc est illa finalis impœnitentia *spiritus blasphemiæ peccatum in spiritum sanctum*. de quo loquitur Christus. *quod non remittetur in hoc sæculo neque in futuro.* Sed vt ait Ambrosius. Nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris emẽdare delictum. Hæc ille. Quia ergo iniqui voluissent sine fine viuere, vt possent sine fine peccare, idcirco & sine fine cruciabuntur. Eandem quoque sententiam sanctus Bernardus confirmat, scribens epistolam ad abbatem Guarinum Alpensem. Ob hoc enim proculdubio (ait) inflexibilis & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum licet temporaliter perpetratum, quia quod breue fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate, ita vt si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret, imò semper viuere vellet, vt semper peccare posset. Beatus itaque Thomas Aquinas omnia Ecclesiasticorum patrum placita conferens in pauca, ait, cur peccatum mortiferum temporale puniatur æternaliter, tres sunt rationes. Prima est, quia comittitur contra Deũ qui infinitæ dignitatis est. Vt enim grauius peccat qui percutit nobilem quam qui rusticum, omnium autem maximè delinquit, qui imperatorem aut Pontificem Max. cæ-

Matt. 12. Marc. 3. Lucæ 12. Rom. 2. Gratianus de pœnę dist. 1. ca. Nouit.

Epist. 252.

In 4. Sententiarum dist. 42. art. 3.

dit:ita quantò obiectum seu persona maior, tanto peccatum est maius. Deus autem est infinitus & immensus, igitur debet peccator impœnitens & obstinatus puniri pœna infinita, non intensiuè seu simul, quia non est capax, ergò extensiuè, vt sit pœna infinita secundum durationem.

Secunda ratio sumitur ex voluntate praua peccatoris obdurati, quia peccans mortaliter ponit finem delectationis suæ in eo peccato mortali, adeò vt etiam DEVM contemnat, & si impunè peccare posset, nũquam peccatum relinqueret.

Tertia ratio est, quia gratiam Dei concessam sibi abijcit, & per pœnitentiam non requirit, & propterea semper manet in pœ-

1.Ioau.3. na, quia (vt dicit Apostolus) *Qui non diligit, manet in morte*. Sed videamus porrò adhuc aliam pœnarum qualitatem aggrauantem, nempè ipsarum continuationem quia nunquam desinunt, & neminimum

2.Cõtinua quidem ibi refrigerium est: Quod in meditationibus suis deuotissimè contemplans,

Lib. Medi. beatus Bernardus attestatur, dicens: Procul

ta.ca.3. quippè à beata paradysi patria exulãtes cruciabũtur in gehẽna perpetua, nũquã lucẽ visuri nũq̃ refrigeriũ adepturi, sed per millia milliũ annorũ cruciandi, nec inde vnquam libe-

liberandi; vbi nec qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur aliquando moritur. Sic enim ibi ignis consumit vt semper reseruet, sic tormenta aguntur, vt semper renouentur. Item Gregorius magnus: Fit ergo, inquit, miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Sed iam & aliud audiamus, ex quo pœnarum infernalium grauitas intelligitur, nempe dissuetudinem seu disparitatem ad pœnas nostras, quoniam nulla est nostrarum mundanarum, imò ne martyrum quidem, cum pœnis infernalibus comparatio. Quod ex Chrysostomi libris facilè est ostendere: Hîc habent, inquit, tam iucunda quàm tristia finem, eumque celerrimum, illîc sæculis vtraque immortalibus extenduntur: nec dici potest quantum virtute & potentia differant à rebus præsentibus. Quum ignem audis ne arbitreris esse similem huic igni, hic enim accensus deferuescit & mutatur, ille autem semel in flãmam exurgens ardet perpetuò, nunquam intermoritur. Isidorus verò addit, dicẽs: Hîc flãma quæ succẽdit illuminat, illîc ignis qui cruciat obscurat, hîc metus amittitur, quũ tolerari iam cœperit quod timebatur, illîc & do-

Lib. 9. Moral. ca 48.

3. Disuetа.

Epist. 5. ad Theodorũ lapsum.

Lib. 1. de sũmo bono. ca. 48.

& dolor dilaniat, & pauor anguſtat: Horrẽdo igitur modo erit tunc reprobis dolor cũ formidine, flamma cum obſcuritate. Imò ſi comparentur ignis vſualis noſter & ille infernalis, vſualis videbitur duntaxat eſſe pictus quidam ignis atque mortuus. Prætereà grauitas pœnę infernalis cognoſci poteſt

4. Conformis culpæ. per conformitatem ad culpam. Quia, vt ſcribit Moſes, *Pro menſura delicti erit et plagarũ modus*: Vnde denuò Innocentius tertius, Libro de contemptu mundi: Singula membra, inquit, pro ſuis peccatis popria ſuſtinebunt tormenta, vt in eo puniantur in quo peccauerunt, Scriptum eſt enim; *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.* Vnde qui in lingua peccauerat, cruciabatur in lingua; propter quod ipſe clamabat: *Pater Abraham miſerere mei et mitte Lazarum, vt intingat extremũ digiti ſui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Itaque epulo qui lingua & guſtu peccarat, in lingua cruciatur. Sicut etiam ſcribitur de Babylone: *Quãtum glorificauit ſe, et in delitijs fuit, tantum date illi tormentum.* Inſuper & ex acerbitate grauitas infernalis pœnæ ſtatui poteſt; quæ quidem patet ex clamore, ſtridore dentium, plãctu, blaſphemia, deſiderio mortis, & maſticatione linguarum. Sed quia de his ſuprà diximus ſatis, duas duntaxat de nouiſsimis arti-

Deut. 25. Li. 3. ca. 6. Sapien. 11. Lucæ 16. Apocal. 18. 5. Acerba.

articulis duobus proferemus ſcripturas, ex Apocalypſi: *In diebus illis*, inquit *quærent homines mortem, & non inuenient eam, & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Rurſum ibidem: *Commanducauerunt*, ait, *linguas ſuas præ dolore, & blaſphemauerunt, & cet.* Quin etiam inutilis erit pœnitētia, quia nihil promereri poſſunt, quippè clauſa eſt ianua. Vnde Gregorius Magnus. Tunc regni ianua lugentibus claudetur, quæ modò pœnitentibus quotidiè aperitur. Erit namque & tūc pœnitentia ſed fructuoſa non erit, quia nequaquam tunc veniam inuenit, qui modò aptum tempus veniæ perdit. Hinc etenim Paulus dicit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Libet etiam Cyprianum ſanctum martyrem, de ſera pœnitentia tali loquentem audire: Continuus, ait, erit & ſuperfluus illarum lachrymarum decurſus, ſtridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt, immortales miſeri viuent inter incendia, & inconſumptibiles flammæ nudum corpus adlambent, ardebit purpuratus diues, nec erit qui æſtuanti linguæ ſtillam aquæ infundat, in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrocius deſperatio condemnatos affliget. Non miſerebitur vltrà

Apocal. 9.
Apocal. 16.
6. Inutilis.
Matt. 25.
Homil. 12.
2. Corin 6.
Sermo. de aſcenſione Chriſti.

vltrà Deus, neque tunc audiet pœnitentes, sera erit illa confessio, & cùm clausa fuerit ianua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium, semel Christus descendit ad inferos, vltrà non descendet. Eandem quoque inutilitatem, alij licet verbis astruit Innocentius in libris de contemptu mundi, quem nos breuitatis ergò nunc præterimus. Tandem igitur & grauitas pœnarum circa earum attendi debet vniuersalitatem. Quia verissimè in eos damnatos competet ille versiculus Dauidicus *Omnes fluctus tuos induxisti super me.* Neq; enim conspicientur ibi diuites pauperioribus in vlla re præstantiores, sed omnium damnatorum vna erit conditio, quantum ad carentiam omnis boni, quanquam alius alio grauius aut leuius cruciabitur, iuxta factorum suorum exigentiam. Pœniteamus ergo dum viui, dum sani sumus vt tam longa atque perpetua, tam continua, tam insueta, tam rigida & culpæ conformia, tam acerba, tam inutilia atque generalia tormenta effugere possimus per gratiam & misericordiam Domini Dei & patris Iesu Christi, cui cum eodem patre, & sancto suo spiritu sit gloria & honor in sæculorum sæcula, Amen.

Li 3.ca.3. 7. vniuersalis.

Psalm, 87.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET. Ecclef.7.

CONCIO XIX.

De septem vijs ad Infernum, & earum oppositis: atque quænam sint Inferni considerationis vtilitates.

QVatuor superioribus declamationibus Inferni partes quatuor, numerumque qualitatemq; pœnarum tam corporis, animæq; solius, quàm coniunctorum, laconicè percurrimus: iam nunc fert animus, quia tã facilis descensus Auerni, ac noctes atq; dies patet atri ianua Ditis, docere, vt si forte vnã viarum eius simus ingressi, quomodo nunc reuocare gradum, superasq; euadere ad auras possimus. Nam hoc opus hic labor est, pauci quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus, dijs geniti potuere. Quapropter eum, *qui via, veritas est, & vita,* Ioan. 14. eiusq; super benedictam matrem salutemus dicentes:

AVE MARIA.

Iã inuocato non Cumeæ Sibyllæ Virgilianæ oraculo, sed virginis matris præsidio, q̃ 6. Aneid. nobis edidit, ostenditq; verum aureũ ramũ, hoc est, Christum peperit mortis & inferni, Domi-

Septē viç ad inferos. Dominum, septem vias ad Infernum ducentes, demonstrabo, & ne quam earum inuadamus, mox viam virtutis contrà, quæ dextrū petit ardua callem, commonstrabo. Prima ad infernum via est infidelitas, de qua Christus apud Marcum ait: *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Et apud Ioannem: *Qui non credit, iam iudicatus est*. Et rursum in fine eiusdem capitis. *Qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eū*. Et alio loco *Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*. Rationem addit idem Apostolus in epistola sua, scribens in hunc modum, *Qui non credit filio, mendacem facit Deum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de filio suo*. Propterea interrogat Paulus: *Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius: nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire in requiem ipsius propter incredulitatē*. Hæc Paulus de Israelitis, quos Moses quadraginta annis duxit per desertum. Atque hæc prima via læua est, cui dexter trames opponitur, nempè fides in Christum viua & constans. *Sic enim Deus dilexit mundum*, ait Christus, *vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitā æternam* Atqui hęc ne desidiosa, ne mortua, & ne hæsitans seu instabilis, sed operans, sed

1. Infidelitas.
Marc. 16.
Ioan. 3.
Ioan. 8.
1. Ioan. 5.
Hebr. 3.
Fides viua & cōstās.
Ioan. 3.

viua

viua & constans requiritur. Ait enim Christus: *Non omnis qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra*, ait Paulus, *vt sciat vnusquisque vas possidere in honore & sanctificatione, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ Deum ignorant, & cet. Nam in Christo Ihesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium sed fides quæ per charitatem operatur.* Vnde & Apostolus Iacobus: *Quid proderit, inquit fratres mei si quis fidem dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides saluare eum? Si autem frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace; calefacimini & saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic & fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed dicit quis: Tu fidem habes & ego opera, ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam vnus est Deus: benè facis, & dæmones credunt & contremiscunt. Vis autem scire O homo inanis, quia fides sine operibus otiosa, & mortua est. Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur*

Matth. 7. 1. Thess. 4. Galat. 5. Iacob. 2. Genes. 15. Roman 4. Galat. 3. Iosue 2.

2.Petri.1. *tur operibus illius, & ex operibus fides consummata est: & suppleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est.* Hoc idem Petrus Apostolus docuit dicẽs, *Vos aũt curã omnẽ subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, & cet.* Atque infrà: *Quapropter magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis.*
Iacob.1. Et iterum Iacobus: *Postulet,* ait, *in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento circumfertur. non æstimet ergo homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.* Et infrà: *Estote ergo factores verbi & non auditores tantùm, fallentes vosmet ipsos.*
Matt 24. Quia vt ait Christus: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*
2.Timo.4. Sicut de se Paulus ait: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem iustus iudex.*

2. Præceptorum Dei transgressio. Secunda porrò ad inferos via est præceptorum dei trãsgressio. Promissiones Deus tam terrenas, quàm cælestes præceptis suis annexuit, quæ
Genes.2. quisquis præuaricatur, neutras pollicitationes assequitur. Hoc imprimis in Adamo & Eua videre fuit, posuit enim eos Deus in paradyso voluptatis, vbi eis subindicabat satis, quod possent nunquam mori, si præceptum

sum eius de pomo vetito non infringerent: verùm contra, *statim atque pomum vetitum comederent, necessariò morituros esse.* Quod & per transgressionem mandati factum est, nã & flammeo gladio ab angelo paradyso pulsi sunt, & vtrique morti tam temporali quã æternæ subiecti sunt. Quàm porrò horribiles sint transgressoribus à Mose denunciatæ maledictiones, breuitatis causa præterimus. Fit quidem, vt aliquando taceat Deus impio conculcante iustiorem se, & in sæculo hoc infelici portionem habeant, qui patrem cælestem derelinquunt filij prodigi; sed tandem epulones ac filij prodigi, nec panem nec aquam mendicatò inuenire queunt. Huic igitur sinistræ viæ quanquã amœnæ, ne nosmet credamus, obsecro, sed ad dextram huic oppositam viã ascendamus, hæc est præceptorum debita obseruatio, quæ finditur in biuium, cõsistens in dilectione Dei & proximi. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetę. Quorum mandatorum obseruatione multiplices Dei promissiones consequimur: *Iustum enim deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, dedit illi scientiam sanctorum, honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius;* Quæ verba quanquam Sapiens de

Genes. 3. Deut. 28. Abacuc. 1. Lucæ. 15. Lucæ 16. Obseruatio eorundem. Matt. 22. Sapien. 10.

Iacob profugo iræ fratris sui Esau loquutus sit, tamen & de omnibus nobis per Christũ iustificatis, rectè intelliguntur, quibus ostenditur regnum Dei, quum Deus rex noster in nobis habitare incipit, datque nobis hic temporaliter cruciari & delectari in æternum, honestans nos interim in laboribus, quia pugnat pro nobis, dans gratiam vt possimus sustinere, & complet labores nostros quando pro eis gloriam & vitam æternam dat nobis. Facit ergò nos sibi familiares, iux-
Ioan.14. ta quod scriptum est. *Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Reliqua verò vt sanitas, diuitiæ, pax cum proximis, & denique alia temporalia adijcere nobis promittit. *Quærite*, inquit, *primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc*
Matt.6. *omnia adijcientur vobis*, putà quantum felix animæ nostræ hoc esse possit. Dicit enim
Psal.41. Propheta: *Diuitiæ si affluant, nolite cor appone-*
3. Impœnitentia. *re.* Est & alia ad barathrum certissima via, nempè impœnitentia, de qua scribitur: *Cor*
Eccles.3. *durum malè habebit in nouissimo, & qui amat*
1. Ioan. 5. Matt.12. *periculum, in illo peribit:* Quia pertinacia in peccatis & sceleribus est illud: de quo Ioannes Apostolus in sua canonica dicit: *Est peccatum ad mortem, non pro eo dico vt roget quis.* Quia, vt ait Christus, *hoc est peccatum in spiritum*

tũ sanctũ, quod non remittetur neq; in hoc saeculo, neque in futuro. Redeamus igitur à tanta temeritate tantoque periculo, & timorem dãnationis tanquam tutiorem viam ingrediamur: Quia, teste Ecclesiasto. *Timenti Deum bene erit in extremis*. Maximè si timor ille damnationis, quem alij seruilem metum appel lant, à charitate statim expellatur. Nam *perfecta charitas foras mittit illum timorem* damnationis, vt subsequatur *timor Domini sanctus, qui permanet in saeculum saeculi*, quem alio nomine filialem & reuerentialem timorem appellamus, qui non formidine poenae, sed offensionis formidine, & ex charitate peccare refugit. De quo timore loquebatur Dauid, dum oraret: *Confige timore tuo carnes* (hoc est concupiscentias) *meas, à iudicijs enim tuis timui.* Alia porrò via est ad infernum, quae non paucos seducit, nempè contemptus verbi Dei, quem filijs Israel Esaias improperans, *Abiecerunt*, inquit, *legem domini exercituum & eloquium sancti Israël blasphemauerunt: ideo iratus est furor domini in populum suum. & extendit manum suam super eum, & percussit eum.* Quin & grauiora eis comminatur idem Propheta dicens: Vae filij desertores dicit Dominus. Et aliquot versibus interiectis: *Populus ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire*

Timor dãnationis.

Eccles.1.

1. Ioan.4.

Psal.18.

Psal.118.

4. Verbi Dei contemptus.

Esai.5.

Esai.30.

legem Dei: Qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores: Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie mea sanctus Israël. Hæc Esaias: Sed audi quàm longè horribilius ejusmodi contemptoribus cõminetur Christus *Qui spernit me, & nõ accipit verba mea, habet qui iudicet eum, sermo quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.* Sequamur ergo diuersa via benè monentem Dauidem, qui dicit: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt*, & viderunt opera mea. *Audite ergo* (inquit Dominus per Prophetam) *vocem meam, & facite omnia quæ præcepi vobis, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Itàque vt ait Christus: *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram, et descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram.* Iam & alias ad infernum vias, quas vitare debemus, videamus, è quibus etiam vna est obduratio in flagellis Dei. Tales sunt, de quibus dicit Hieremias: *Percussisti eos, & non doluerunt,*

Ioan. 12.

Diligens eiusdem auditio. Psal. 94.

Hiere. 11.

Matt. 7.

5. Obduratio in flagellis Dei.

runt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt facies suam supra petram, & noluerunt reuerti. Eiusmodi homines vt obstinatissimi filij patrem Deum delassant, quare per Esaiam: *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: super quo percutiam vos vltrà, addentes prauaricationem: omne caput languidum omne cor mœrens* Et post pauca: *Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensa igni, regionem vestram coram vobis alieni deuorant, &c.* Propterea queritur Christus: *Hierusalem, Hierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, quæ anteà templum domini fuit. Nos ergo si sapimus, viam obdurationi oppositam ingrediamur, nempè per patientiam & voluntariam flagellorum Dei sufferentiã cum correctione vitæ anteactæ nequam. Ad hanc enim Apostolus Paulus Hebræos exhortatur, dicens. *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Et similiter Apost Iacobus. *Exemplũ accipite fratres, exitus mali, & longanimitatis, & laboris & patientiæ prophetas &c. Cõuertimini igitur*

Hierem. 5. | Esai. 1. | Matt. 23. | Patiẽtia & correctio vitæ. | Heb. 10. | Iacob 5. | Ezech. 18.

& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus Ezech. 18. *vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Alioqui in aliam exinde viam ad infernum dilabemini, multò omnium periculosissimam, quę vocatur desperatio, vti Cayn qui dicebat: *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear: sicut & Iudas Iscariotes, qui laqueo sese suspendit. Ita impius cùm in profundũ venerit contemnit. Sicut enim qui infixus est in limo profundi, non inuenit substantiam*: seu fundum firmum & basim, ita quoque peccator altitudine maris & tempestate demergitur.

6 Desperatio. Genes. 4. Matt. 27. Prouer. 18. Psalm. 68.

Quapropter in portum confidentiæ super misericordiam Dei nosmet recipiamus, & in foraminibus petræ, hoc est, vulneribus Christi nidulemur. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato: adeamus cum fiducia ad thronũ gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam in inueniamus in auxilio oportuno.* Ipse enim clamat: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Stat confixus clauus in cruce, pro te peccator non potest retrocedere, deuinxit eum sua erga te charitas, quid trepidas, quid cessas accedere, effunde lachrymas, & accipe ab eo nectar immortalitatis, aquam viuam salientem in vitam æternam, hoc est, æternaliter. At proh

Confidentia in misericordia Dei. Hebræ. 4. Matt. 11. Ioan. 7.

proh dolor, quàm pauci ex animo audiunt suauissimas hasce consolationes, qui vt iumenta computrescunt in stercore suo, surdi, cæci, ebrij qui per perseuerantiam in peccatis ad mortem currunt æternam, quique omni lapide duriores sunt, sicut scribit Ecclesiasticus: *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum, inferi, & tenebræ, & pœnæ:* Sicut enim ex malo semine malus fructus, ita, *Bonorum operum gloriosus est fructus:* Sed, vt habetur sequenti capite: *Fructus impiorum inutiles, & acerbi ad manducandum et ad nihilum apti,* Quia igitur etiamsi toto cælo totaque via aberrassemus, præstat tamen recurrere, quàm semper currere malè, consultissimum fuerit vt redeamus, frequentemque pœnitentiæ vsum nosmetipsos præscribamus, neque errorem nostrum alicuius imputemus seductioni, sed propriæ malitiæ, quia iuxta Prophetam: *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Scito etiam, et vide, quia malum et amarum est te reliquisse dominum Deum tuum, & non esse timorem eius apud te;* Audi igitur, O ouis erratica, quid tibi dicat Dominus Deus tuus: *Viuo ego dicit dominus: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudici-*

Perseuerātia in peccatis ad mortem.
Ecclef.21.
Sapien.3.
Sapien.4.
Frequens vsus pœnitentiæ.
Hiere.2.
Luc.15.
Ezech.18.

um & iustitiam, vita viuet & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus, non recordabor. Nunquid voluntatis meæ est mors impij dicit Dominus, & non magis vt conuertatur vt viuat. Præterea tam Ioannes Baptista, quam Christus eodem themate exorsi sunt suas conciones: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Nos verò, quæ in hoc tertio Nouissimo, scilicet de Inferno, plura dicenda sunt, videamus.

Matt. 3. & 4.

Vtilitates considerationis Inferni.

Diximus initio huius tertij nouissimi tristia & auditu ingrata fore, quæ de Inferno dicturi essemus, non tamen inutilia, sed etiam scitu necessaria esse, quamobrem vt hoc magis perspicuum quartum principale huius nouissimi, nempè quæ sint huius considerationis atque argumenti, ostendemus. Sunt autem hæ sequentes. Imprimis facit hominem pugnare contra diabolum. Ad quam pugnam nos exhortatur Iacobus. *Resistite*, inquit, *diabolo, & fugiet à vobis.* Item apostolus Petrus: *Fratres*, ait, *sobrij estote, & vigilate in orationibus, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quẽ deuoret, cui resistite fortes in fide.* Secundò confortat in pugna, vti & ad eam classicum canens ait Apostolus: *Fratres*, ait, *confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius: induite*

1. Excitat ad pugnã Iacob. 4. 1. Petri 5.

2. Confortat in pugna Ephes. 6.

duite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate. & induti loricam iustitiae, & calceati pedes in praeparatione euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Nam, vt scribit idem alibi, *qui in agone certat, non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Tertiò inferni meditatio consumit desideria carnis. Hoc sibi optabat Dauid, dicens: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.* Propterea nos commonet Apostolus, dicens: *Spiritu ambulate, & desideria carnis nō perficietis.* Ita & Iob ait: *Nunquid gustare potest aliquis, quod gustatum affert mortem,* quasi dicat, minimè gentium. Quoniam, vt ait Paulus, *qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.* Quartò quoque inferni contemplatio hominem auellit à mundi curis. Nam, bea-

2 Timot. 2

3 Cō sumit desideria carnis.

Psal. 118.

Gala. 5.

Iob. 5.

Galatas. 6.

4. Auellitâ mundi curis. beatus Iob, quando nihil aliud quàm mortem post tot aduersitates expectabat, quomodo quæso affectus erat erga diuitias & mundi curas? Nónne dixit: *Nudus egressus*
Iob.1. *sum ex vtero matris meæ, & nudus reuertar il-*
1. Timot.6. *luc.* Quæ verba imitatur Apost. du ait: *Nihil intulimus in hunc mundum*, haud dubium ꝙ nec auferre quid possumus. Habẽtes autem alimenta. & quibus tegamur his contenti simus: nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionẽ. Insuper & de inferno cogitatio hoc habet cõmodi, quòd peccantẽ reuocet à via perditionis, quod eleganter etiam obseruat Chrysostomus dicens, nosse posse fieri, vt anima de ghenna solicitè cogitans, citò peccet. Etenim inquit, audi admonitionem optimam: *Memor esto nouissimorum tuorum, & in æternum non peccabis.* Nequit anima pœnas metuens, nõ esse ad delinquendum cunctabunda, &cet. Imò gehennæ metus etiam interdum homini est occasio arripiendi statum meliorem, & ingredi ordinem aliquem à sede Apostolica approbatum, vel certe incipiendi tale aliquod institutum vitæ iuxta & Christi & apostolorum regulas adamussim excogitatum, quod meritò tribunal pon-

5. reuocat à via perditionis.
Homilia 2 in 2. epist. ad Thessalonicensis.
Eccles. 7.
6. Occasio arripiendi statum meliorem.

pontificis maximi compr: het. Vti accidit anno salutis M L X X X. quum quidem singulari doctrina nomine Bruno homo Coloniensis Lutetiæ Parisiorum canonicus factus inter professores locum teneret, doceret que philosophiam, quendam amicum eius & præceptorem bonis moribus præditum, obijsse, cui dum exequiæ fiunt, caneretur q; à puero, lectio illa quarta, Responde mihi: ipse mortuus, capite è pheretro exorto clamauit, Vocatus sum: Secundo, Responde incipiente puero acclamau t, Accusatus sum. Tertio id ipsum Responde repetente puero, vociferabatur: Iustò Dei iudicio damnatus sum. Ea re permotus Bruno, mox cum sex socijs pari miraculi euentu perterritis, eremi deserta quæritans, peruenit in diœcesim Gratianopolitanam (est Celticæ ciuitas) ibique locum optauit, cui hodie Cartusiæ nomen est, quem ei assignandum curauit hugo Gratianopolitanus episcopus, qui statim post ad eam familiam se adiunxit. Eo igitur loci Bruno diuinis intentus, mōnasterium fundauit rigidissimæ vitæ institutis. Sanè quam periculosū sit morari in sæculo, quū mundus sit miser & sceleratus, quum mortiferæ atque acerbæ sint voluptates carnis, quum vani & instabiles sint honores quum fallaces & incertæ diuitiæ, quamque sit vita soli-

Ranulpho lib 7. ca 4. in Polychronico. Polydorus lib 7. ca. 3.

solitaria longe securior quæ precibus & litterarum studijs est occupata, & libertatem summam esse non in mundo sed in secessu, atque solitarios duplici tranquillitate, corporis scilicet & animi gaudere, si tempus pateretur, minimo negotio doceri posset. Dicas forsitan mihi, quid, an soli monachi seruabuntur? Minimè verò. Sunt & in sæculo multæ myriades, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. non perijt qui in mundo est, sed periculo proprior est. Itaque inferni meditatio est occasio pœnitendi, assumendi & vouendi aliquod bonum exercitium, & contemplandi cœlestia. Sic Ezechias rex per
Esai. 38. territus nuncio Esaiæ, dicentis: *Dispone domui tuæ quia morieris, et non viues*, anne mox fleuit, couertens se ad parietem. Niniuitæ ét quũ audirent Ionã prędicantẽ, in hęc verba:
Ionæ 2. *Adhuc quadraginta dies, et Niniue subuertetur, nónne ene stigiò arctissimè aggressi sunt pœnitentiam.* Achab rex impijssimus, qui vænundatus erat vt faceret malum, quum horribiles eas comminationes Eliæ audiret, dicentis:
3. Reg. 21. *Interficiam de Achab mingentem ad parietem: si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres celi. Canes comedent Iezabel in agro Iesrahel propter vineam Naboth:*
cùm

cùm inquam Achab audiſſet ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiūnauitque & dormiuit in ſacco, ambulauitque demiſſo capite. Quid igitur nos facere decet, vt non tantum mortem temporalem, ſed inferni pœnas euadamus? Nihil igitur malos & pertinaces peccatores ita abſterret à malo, & confirmat in bono, atque frequens infernalium cruciatuum recordatio. Ad quam in bonis operibus confirmationē nos vocat Apoſtolus Paulus, dicens: *Itaque fratres mei dilecti ſtabiles eſtote, abundantes in omni opere domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* Vis ſcire quomodo metus gehennæ confirmet hominem in bono, audi Chryſoſtomū: Regni, inquit, non ita recordamur vt gehennę. Timor enim promiſsione potentior eſt, & efficacior, & noui complures innumera bona promiſſa contempturos fuiſſe, ſi de ſupplicio ſecuri fuiſſent ac liberati. Nemo qui gehennam ob oculos habet, in gehennam incidet. Sed nos & alias conſideremus vtilitates ab inferno acceptas. Nam meditatio inferni eſt occaſio, & materia glorificandi DEVM. Quod vt faciamus, nos exhortatur Apoſtolus, dicens: *Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, om-*

7. confirmatio in bono.

1. Cor. 15.

Homil. 2. in epiſt. ad Theſſalo.

8. Materia glorificādi Deum.

1. Cor. 10.

omnia in gloriam Dei facite. Quasi dicat, memores estote semper, quòd ab Atheismo & cultura dæmonum vocarit vos in gratiam gloriamque suam & societatem, pœnasque dæmonum euaseritis. Quamobrem & ad similem gratiarum actionem admonuit Colossenses suos, scribens: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & patri per ipsum*. Et qua de re, quia ipse *eduxit vos de fornace ferrea Ægypti, & ex mari rubro* peccatorum, ex inferni tormentis in terram promissionis, è carceribus Pharaonis infernalis eripuit. Insuper & assidua pœnarum barathri meditatio atque recordatio expellit acediam. Vulgaris est parœmia, timorem pedibus alas addere, ac necessitatem etiam elumbes anus exagitare, quis igitur non iniciat manus omnibus operibus bonis, quoties audit vel vnico peccato mortali, tam acres pœnas commereri posse. Breuem sed elegantem scribit versiculum B. Mantuanus: Otia damnantur, quæ nulla negotia tractant. Rationem dat Iesus Syrach: *Multam*, enim, *malitiam docuit otiositas*. Quamobrem ante ipsum etiam Salomô, ad laborem virtutū nos vocauit, dicens: *Quodcunque potest manus tua instanter operare, quia nec*

Colos. 3. Exod. 14. 9. Expellit acediam. Aegloga. 9 Eccles 38. Eccles. 9.

nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Cur Sodoma, Gomorrha, Segor, Bala, & Adama sulphure perierunt? Audi Prophetam. *Ecce,* inquit, *hæc fuit iniquitas sororis tuæ, Sodomæ superbia, saturitas panis, & abundantia, & otiū ipsius, & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant. Seruus enim sciens voluntatem Domini sui, et nō faciens, vapulabit plagis multis,* putà in inferno. Commonens quoq; B. Hieron. Rusticum Monachum, scribit in hæc verba: Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis, nec vacet mens tua varijs perturbationibus. Quæ si pectori insederint, dominabuntur tui, & te deducent ad delictum maximum. Fac & aliquid operis, vt te semper Diabolus inueniat occupatum, & cetera. Et post pauca: Tantis negotijs occupatus, nullis vacabis malis cogitationibus, & dum ab alio transis ad aliud, opusque succedit operi, illud solùm mēte tenebis, quod agere compelleris. Quin & pœnarum inferni recordatio facit omnia præsentia contemnere. Sicut scribit Sanctus Hieronymus Cypriano Presbytero, in hæc verba: Memento mortis tuæ, & non peccabis: qui se quotidiè recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat. Grandis quoque fiducia in Petro,

Genes. 19.
Ezechi. 16.
Luc. 12.
In epistola
10. Facit omnia p̄sentia contemnere.
In epistola

cæterisque Apostolis erat de præmio æter-
In epist. no, dum dicerent: *Ecce nos reliquimus omnia*
Matt. 19. *& sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me in regeneratione quum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam*
Titum 2. *possidebit*, Propterea enim vt ait Paulus: *Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria sobriè, & iustè, & piè viuamus in*
Serm. 25. *hoc seculo, expectantes beatam spem; & aduentum gloriæ magni Dei, &c.* Probè ergo nos monet Chrysostomus in epistolam ad Hebræos: Contemne diuitias, & eris locuples: contemne gloriam, & eris gloriosus, contemne supplicia inimicorum, & tunc eos superabis, contemne remissionem, & quietem, & tunc eam recipies. Demum timorem & amorem Dei in nobis generat auerni æterna cruciatuum cogitatio. Nam timemus eius iustitiam, & diligimus misericordiam, atque duo hæc maximè à nobis exigit, dicens per Prophetam: *Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum, si ergo pater e-*

II. Timorē & amorem Dei in nobis generat

Malach. 1.

go sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum; vbi est timor meus? Per timorem iustitiæ eius pœnas euadimus infernales, & per amorem eius gaudia acquirimus cœlestia. Vnde B. Augustinus in sermonibus de tempore: *Beatus*, inquit, *vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis*, timor Dei, timorem expellit gehennæ, qui facit hominem peccatum cauere, & iustitiæ opera augere. Post hæc ad illum perueniet timorem, qui dicitur sanctus, & permanet in sæculum sæculi, qui est in dilectione. Et Chrysostomus: Nisi, inquit, bonus esset timor, filijs suis patres pædagogos non præponerent, non legislatores ciuitatibus vllos magistratus: Quid gehenna grauius, sed huius metu nihil vtilius, gehennæ namque timor regni nobis adfert coronam. Vbi timor est, liuor nõ est. Vbi timor est, omnis irrationabilis passio exterminata est. Et sicut in domo stante milite semper armato, nõ latro, non fur, nõ alius quis talia mala perpetrantium apparere propius audebit, sic & metu animas nostras detinente, illiberalium nulla perturbationũ facilè nobis subrepit, sed omnes fugiunt & pelluntur timoris imperio vndiq; exactæ. Nec hoc solum est quod ex timore lucramur, verùm & aliud hoc multò maius.

Serm. 213. Psalm. 111.

Psalm. 18.

Homil. 15. ad populũ Antiochenum.

Non enim improbas noſtras tantùm expellit paſsiones, ſed & omnem cum multa facilitate virtutem inducit. Vbi timor eſt, ibi & eleemoſynæ, ſtudium, & orationis intentio & lachrymæ feruentes & continuæ, & gemitus multam habentes compunctionem. Nihil enim tantùm peccata conſumit, virtutem verò creſcere facit & germinare, quantum cõtinui timoris natura. Propterea qui non viuit in timore, rectè illum agere non eſt facilè, ſicut viciſsim cum timore viuentem impoſsibile eſt peccare. Hæc ille. Sed obſeruandum eſt vt fiat, quod dicit B. Aug. vt ſicut ſeta introducit filũ, ita timor introducat charitatem, creſcit charitas minuitur timor, &c. *Non enim*, ſicut ſcribit Paulus, *accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, pater.* Propterea vt habet collecta quædam eccleſiæ, oremus & nos dicentes: Sancti tui nominis Domine timorem & amorem, fac nos habere perpetuum, & quia ſine te labitur humana infirmitas, tuis ſemper auxilijs & abſtrahatur à noxijs, & ad ſalutaria dirigatur, per Chriſtum dominum noſtrum.

Super epiſto. Ioannis & habetur de pœni. diſtinc. 2. ſicut.

Roma. 8.

IN

IN OMNIBVS OPE-RIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET. Ecclef. 7.

CONCIO XX.

De quarto hominis nouissimo, quid sit beatitudo, & quotuplex ea sit, & maximè de Paradyso.

DIcturus, vt ordo nouissimorum quatuor exigit, de gaudijs cœlorum, quæ sola humanæ vitæ felicitatem perficiunt, precor vt omnes (quandoquidem ad omnes hæc oratio pertinet) his animis atque auribus auscultetis, quas in rebus grauissimis maximisque necessarias esse nouistis. Atque illud imprimis suo quisque cum animo perpendat, veniam esse dandam mihi, quanquam pro dignitate susceptum argumentũ tractare nequeam, quia, vt scriptum est, *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Quid ergo verbis explicem, quod nullus geometer canna quamlibet longissima, nullus arithmeticus ad calculum reducere, nullus mathematicus describere, vel philosophus cogitatione percipere, neq; orator verbis explicare potest. Scribit beatus Augustinus, Marcum Varronem ducentas octogin- Esai. 64. 1. Corint. 2.

ta octo de beatitudine philosophorum sententias produxisse, neque tamen eorũ quisquam rem, vt est, explicare potuit. Si mulier
De ciuitat. dei. li. 19. cap. 1. ait Gregorius, in subterraneo ac teterrimo carcere pariat infantulum, & ei in tenebrosis & angustis locis iam adulto velit enarrare cæli altitudinem mundi amplitudinem,
Dialog. li. 4. ca. 1. solis claritatem, auroræ venustatem, lunę pulchritudinem stellarum nitorem, terræ latitudinem, veris amœnitatem, auium alacritatem, vocum modulationem, riuulorum gratiam, hortorum lætitiam, odoris fragrãtiam, maris redundantiam, & reliqua, nunquam verbis consequi poterit, vt in miseria illa natus & educatus, cui lucernuncula prolata diem, abscondita noctem semper induxerit, credat quæ audierit. Sic profectò nobis in terra natis & enutritis accidit, quod et Christus Nicodemo loquens, his verbis ex-
Ioan. 3. pressit: *Si terrena dixi vobis, et nõ creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis?* Cæterũ,
1. Petr. 1. vt Petri verbis vtar Apostoli, *quia Ihesum quem quum non videritis diligitis, in quem nunc non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportãtes finem fidei vestræ, salutem animarũ*, agite eius opem inuocemus, & eiusdem quoq; matrẽ salutantes, dicite:

AVE MARIA.

Cæle-

Cæleſtium igitur gaudiorum conſideratio
nobis hæc quatuor meditanda proponit, pri
mò beatitudinem eſſe duplicem, ſecundò,
cæleſtium gaudiorum quædam pertinere ad
animam, quædam ad corpus, quædam ad v-
trunq; tertiò, eſſe quædam quæ deſiderium
cæleſtium gaudiorum inflammare poſſunt,
quartò, quæ via ducat ad cælum. De quibus
ex ordine proximis quinq; concionibus tra
ctare, Chriſto duce, ſtatuimus. Atque impri
mis beatitudo varia habet nomina, apud o-
mnes enim ſummum bonum, & vltimus fi- Beatitudo.
nis dicitur. Summum autem bonum voca-
mus id quod habet omnes rationes boni, & Sũmum bonum.
nullam habet rationem mali, hoc eſt, cui ni-
hil deeſt, & nihil addi poteſt, & hoc cóſtat
apud ſapientes non eſſe niſi vnũ, ſcilicet De-
um: *de cuius plenitudine accepimus omnes*, tam
angeli quàm homines. Appellatur & Elyſi Ioan. 1.
um tam à Poetis, quàm à Philoſophis: Vndè Elyſium.
Virgilius Deuenere locos lætos, & amœna Libro 6.
vireta: Fortunatorum nemorum ſedeſque Aeneidos.
beatas, &c. Elyſium enim græcè ἠλύσιον ἀπὸ
τȣ̃ λύσιν μὴ ἔχειν, quod ſolutionem ſeu corru
ptionem non patiatur, ſed perfecta illuc per-
ueniens anima permaneat, ἠλύσιον ergo πε-
δίον ſolum, viridariũ, hortus ſeu campus for
tunatus eſt voluptatibus plenus. Dicitur eti-
am Olympus, qui mons eſt in Græcia inter Olympus.

Thessaliam & Macedoniam altissimus, adeo vt nubes transcendat, quasi ὁλολαμπὴς, id est, totus lucens. Similiter & Helicon ab ἥλιος, id est sol, quasi solem attingens, nuncupatur mons in Aonia. Quin & regna Polorum aliquoties eandem beatitudinem nominamus. πόλος enim Latinè axis, vertex aut cardo cæli dicitur. Insuper & omnibus communi, sed nõ perinde ab omnibus intellecto nomine eadem beatitudo paradysus vocatur. Vox est deflexa, ni fallor, ab Hebræo, Pardes, quæ hortum significat. Græci scribunt παράδεισος, id est, viridarium, pomarium. Nonius ἀπὸ παρὰ καὶ δεύω δεύσω, id est, irrigo seu cõpluo, vocem compositam esse credit. Sed quia variam significationem huius vocabuli in S. scriptura inuenimus, idcircò de paradyso fusius nonnihil agemus, & quæ de paradiso apud probatos scriptores collegimus, proferemus. Tres, inquit beatus Augustinus, generales de paradyso sententiæ sunt, vna eorum qui corporaliter intelligi volunt tantùm, alia eorum qui spiritualiter tantùm, tertia eorum qui vtroque modo paradysum accipiunt, tertiam mihi placere fateor, &c. Hæc Augustinus.

Helicon.

Polus.

Paradisus.

De Genes. ad litterã lib.8 ca.1.

Locus igitur ille in Genesi, vbi scriptum est: *Plantauerat autem Deus paradysum voluptatis à principio, in quo posuit hominem* *quem*

Genesi 2.

quem formauerat, &c. certa est & vera historia iuxta sensum litteræ intelligenda; atque hic paradisus terrestris appellatur; est secundò & alius spiritualis, nempè ipsa Ecclesia; est tertiò & alius, nempe cœlestis. Sed de vtroque posteriore loco agemus; priore ergo loco, de terrestri paradiso differemus. De quo ait B. Augustinus: Locus ipse paradisi à cognitione hominū est remotissimus, amœnissimus, nemorosus, fructuosis arboribus consitus, magnoque fonte irriguus, in partibus Orientis. Idcircò pro, A principio, antiqua translatio habet, Ad orientem. Oriens enim principium mundi est. Neque plura de paradyso terrestri, inuenire est apud Beatum Augustinum. Vnde miror quid Ioāni Viguerio acciderit, qui scribit hęc verba: Paradisus terestris, secundū D. Augu. ad Orosium, in Oriente situs est, interiecto Oceano, & ab orbe nostro lōgè remotus, in altissimo & temperato loco constitutus, ad quem aquæ diluuij minimè peruenerunt. aliás Enoch subuersus fuisset. Ad hūc locum translati dicuntur Enoch & Helias. Hæc Viguerius, quum tamen nec in dialogo LXV. quæstionum, in quo interrogat Orosius, respondetque Augustinus: neque etiam in libro contra Priscillianistas & Origenistas, quem scripsit ad Orosium, tale quid-

Paradisus triplex.

De Gen. ad literam, li. 8. cap. 7. Idē l. 12. ca. 28. & 34.

In Institu. Theologicis, ca. de beatitudine.

piam inuenietur. Et quum prætereà nihil Augustinus ad Orosium scripserit, nescio quid vel me vel viguerium fefellerit. Nam quũ nullam ad Orosium epistolam Augustinus scripserit, ne illa quidem quę ad orontium est, tale quidquam continet. Sed ad paradisum reuertamur. Sunt enim, vt Petrus Lombardus magister variarum sententiarũ scribit, qui volunt non tantum in Orientali parte esse paradisum, longo interiacente spatio vel maris vel terræ à regionibus quas incolunt homines secretum, sed etiam in alto situm vsque ad Lunarem circulum pertingentem, vnde nec aquæ diluuij illuc peruenerunt. Quæ omnia sine vlla aut scripturæ, aut veterum authoritate Beda & Strabus excogitarunt nam Strabi verba Nicolaus Lyranus citat; Bedæ sententiam sibi diuus Thomas in eo opere quod Summam vocat, sibi obijcit vt diluat sic scribens: Videtur quòd paradisus non sit locus corporeus, dicit enim Beda quòd paradisus pertingat vsque ad Lunarem circulum: sed nullus locus terrenus talis esse potest, tum quia contra naturam terræ esset quòd tantum eleuaretur, tum etiam quia sub globo Lunari est regio ignis, qui terram consumeret. Ad hũc articulũ respondeo, inquit Thomas.

Lib. 2. dist. 17. 5. E.

In postil. super 2. ca. Gene. in Glosa ordinaria.

Prima par. q. c. 11. ar. 1.

quòd

quòd Bedæ verbum non eſt verum, ſi ſecundum ſitum manifeſtum intelligatur. Poteſt tamen exponi, quòd vſq; ad locum lunaris globi aſcendat, non ſecundum ſitus eminentiam, ſed ſecundum ſimilitudinem, vt Iſidorus dicit, quia ibi eſt perpetua aëris tẽperies. Hactenus Thomas. Quibus verbis D. ille Thomas ſatis ſuperq; cõfutat etiam alias diuerſas quorundam recentium theologorũ de paradyſo ſententias. Sunt.n. qui ſub Cancri tropico, quidam interim ſub Capricorni ſydere quòd ea pars præſtantius influenti cęlo ſubſit, & conſtet (Ariſtot. teſte videlicet) polum Auſtrinum ſeu antarcticum ſurſum verſus ſitũ eſſe, noſtrũ verò, id eſt arcticum, deorſum eſſe, ad mundi poſitionẽ reſpicientib. illis. Fuere prætereà, q̃ prope Fortunatas inſulas, rurſũ alij qui ſub æquatore ad initiũ medię regionis aëris ſtatuũt, vt ſcilicet ex reflexione radiorũ adurente amœni loci delitias eximant. Alij rurſum in parte infima ſupremæ regionis aëris locãt, eoq; modo factũ aiunt, vt nec diluuij vndę attigerint, neq; hodie imbres, & reliqua cæli iniuria illîc deſæuiant. Eſt quoq; quidã ex recentiſſ. in Lombardum commentatorib. qui paradisũ ꝓpè Hieroſolyma in terra promiſsionis ad orientem probabiliter ſtatui poſſe dicat. Quod certè hac de cauſa retuli, ne qs ſuccẽſeat mihi

Lib. 14. etymologiarum. cap. 13.

Diuerſæ de terreſtri Paradiſo ſententiæ.

ſitum

ſitum paradiſi probabiliorem oſtendenti, quando illi ſine ſcripturæ teſtimonio ſua tantùm prodiderunt, cauſa etiam, cur ita ſẽtirent, non reddita. Eſt igitur Paradiſus terreſtris non hortulus præcelſis munitus mœnibus, velut pictorum tradit licentia, aut iuxta orbem Lunæ, aut in ſuprema, media, vel infima regionibus aëris, neque in inſula aliqua per interiectum Oceanum toto terræ orbe diuiſa, neque ſolidis & tam altis montibus concluſus hortus, vt aquæ diluuij eos non ſuperarint: ſed eſt tractus terræ habitabilis ampliſsimus, continẽs Armeniam maiorem, Chaldæam, Aſsyriã & Meſopotamiam in Oriente ſelectus, cũi benedixit Deus omniq́ue genere ligni, arborumque conſeuit, vt ex earum varijs fructibus aleretur, experſq́ue omnium grauaminum, non laborioſa ſed dilitioſa agricultura operaretur, & illum ſumma deuotione Deo ſeruiens obediendo cuſtodiret ſibi, ne perderet peccando: in quo quidem illi oſtẽdit lignum vitæ, hoc eſt, arborem, vt docent Beda & Strabus, quæ diuinitus acceperat eã vim, vt qui ex eius fructu comederet, corpus eius ſtebili ſanitate & perpetua ſoliditate firmaretur, nec vlla infirmitate, vel ætatis imbecillitate in deterius vel in occaſum laberetur aut vnquam moreretur. Alterum verò

Paradiſus terreſtris vbi.

Lignum vitæ.

Vide magiſt. Sent. lib. 2. diſt. 17. § F.

verò erat lignum ſcientiæ boni & mali, de quo ne comederet, Deus ei præceperat. Atque hæc arbor ſcientiæ ſiue intelligentiæ & dinoſcentiæ boni & mali, vocata eſt non à natura; neque enim eam vim diuinitus acceperat ſicut lignum vitæ, quia *Deus non eſt tentator malorum* ſeu, vt ait Iacobus, ad mala: *cuncta enim quæ fecerat erant valde bona*, ſed vt ſcribit B. Auguſtinus, ab euentu ita dicta eſt: Arbor enim, inquit, illa non erat mala, ſed ſcientia boni & mali ideò dicta eſt, quia poſt prohibitionem erat in illa tranſgreſsio futura, qua homo experiendo diſceret, quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum: non ergo de fructu qui naſceretur inde poſitum eſt illud nomen, ſed de re tranſgreſsionē ſecuta. Hęc Auguſt. Et idem denuò: Cognouit enim, inquit, homo, priuſquam tangeret hoc lignum, bonū & malum ſed bonum per prudentiam & experientiam, malum verò per prudentiam tantùm. Quod etiam per experientiam, nouit vſurpato ligno vetito, quia per experientiam mali didicit, quid ſit inter bonum obedientiæ & malum inobedientiæ. Si verò primi parentes obedientes eſſent, non ideò tamen minus diceretur lignum ſcientiæ boni & mali, quia hoc ex eius tactu accideret ſi vſurparetur. Et idem Aug. iterum: A ligno ergo

Lignum Scientiæ boni & mali.

Iacob.1.
Geneſ.1.

De Geneſi ad litterā. lib.8.ca.6.

Lib. cōtra aduer. le. & pro. ca.14.&15.

Super Ge. lib.8.c.13

ergo homo prohibitus eſt quod malum non erat, vt ipſa præcepti conſeruatio bonum illi eſſet, tranſgreſsio malum. Nec melius conſideratur quantum malum ſit inobedientia, quàm hoc modò, cum ſcilicet ideò reus factus eſſe homo intelligitur, quia prohibitus rem tetigit: quam ſi non prohibitus tetigiſſet non peccaſſet, nec pœnam ſenſiſſet. Si enim venenoſam herbam prohibitus tetigeris, pœna ſequitur, & ſi nemo prohibuiſſet ſimiliter ſequeretur. Si etiam prohibetur res tangi quę non tangenti quidem, ſed prohibenti obeſt, ſicut aliena pecunia, ideo prohibitum eſt peccatum, quia prohibenti eſt damnoſum. Cum verò tangitur quod nec tangenti obeſt. ſi nó prohibetur, nec cuilibet ſi tangatur: ideò prohibetur, vt per ſe bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ monſtretur; ſic primus homo à re bona prohibitus pœnam incurrit, vt non ex re mala, ſed ex inobedientia pœna eſſe monſtretur, ſicut ex obedientia palma. Iam *fons qui aſcendebat è terra, ſiue fluuius qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum* (non enim pluerat dominus Deus ſuper terrã) quis quæſo eſt? niſi, vt equidem cũ doctis aliquot arbitror, Oceanus qui occultis meatibus terram ſubintrat, & paſsim amnium venis erumpit vbere

Geneſ. 2.

Fons paradiſi quis.

bere in terras,inducta fertilitate qui artifice natura aquarũ copiã præaltis etiam mõtibus erũpere facit, qui etiamnum rigandę terrę gratia ingentes sinus in terra emittit, veluti à Borea Caspium,ab Occasu nostrũ mare, à Meridie Arabicum siue Persicum,& à Vulturno Gangê. Itàq; quatuor amnes patentissimi nempè Phison(hunc August. nunc Gãgem vocari tradit)qui circuit omnê terram Heuilath, quorum incolæ Getuli, hoc est, Indi à Iosepho dicuntur,vbi nascitur aurũ optimũ;& Gehon(quem August Nilũ, vbi suprà,iam nominari scribit) qui circuit terram Aetiopiæ atque Aegypti,& Tigris qui vadit contra Assyrios, atque Euphrates qui diuidit Assyrios à terra Chanaan & Iudæa, fertilissimã omniũ terrarum oram illam ad orientem, quem paradisum appellamus terrestrem etiamnum irrigât & circũluunt,atq; sua significatione paradisi terrestris voluptatem & abundãtiã testãtur, Phison enim oris multitudo,Gehon vallis gratiæ Tigris, lęta velocitas,Euphrates dicitur frugifer. Fõs igitur ille seu fluuius hoc est oceanus quanquã quo in loco extet inundetq; incertũ est, multis enim à partibus habitabilis terræ nostræ irrũpit,vt diximus, Oceanus, tamen scaturiebat de loco voluptatis exuberantissimè in quatuor diuisus capita, quatuor enim Orientalis & Meridiani lateris

Lib. super Genes. 8.

potissimos amnes Moses nominauit, quibus paradisus allueretur, non quod nusquam alibi funderet amnes fons ille altissimus; sed quod hi amnes hanc potissimè terram rigarent, paradisum dico, quæ non Adæ solùm & Euæ (quos angusto loco quopiam custodijsse verisimile est) sed & posteris quotquot in innocentiæ gradu & statu futuri erant, destinata fuerit. Cœterùm quo in loco harum regionum Deus Opt. Max. Arborem illam, cui vim corporeæ vitæ retinendæ indiderat, plantauerit; quóue in agello lignũ dinoscentiæ boni & mali, ad cuius signum Adam precepti diuini admoneretur, seuerit atque plantauerit, credo cum Augustino à cognitione hominum remotissimum esse. Etiamsi sciam esse qui de Damascenæ regionis amœnitate suspicentur, tum quòd in ea iuxta Libanum montem postea vrbs fuit, Plinio & Ptolemæo Paradisus dicta, & *regio circa Iordanem* qui ad radicem montis Libani oritur, teste Mose, *vniuersa irrigabatur, antequàm subuerteret dominus Sodomam & Gomorrham, sicut paradisus domini* tum etiã quòd Eden, hoc est, delitias siue voluptates ibi esse, vetus historia tradiderit, *vbi à Cain postea Henoch vrbs extructa fuit.* Credimus enim ea omnią quæ in paradiso terrestri ad animi voluptatem attinuerunt, terrenis & sen-

Hortulus ligni vitæ vbi nescitur.

Damascœna regia.

Genes. 13.

Genes. 4.

sensui expositis incomparabiliter præstantiora fuisse, sed ea mox desijsse, quando homo per peccatum, hoc est teste Ambro. per præuaricationem diuinæ, & cœlestium inobedientiam præceptorum innocentiæ suæ statum violauit. Adam enim vt extra paradisum è limo formatum credimus, non tam in locum delitiarum, quàm ad perfectionē status innocentiæ translatus est. *quando tulit Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, vbi è ligno vitæ haberet cœlestem sapientiam* qua immortalis permaneret, & qua eruditus omni incremento virtutum exornaretur, donec completo numero electorum Adam cum posteritate sua transferetur viuus in paradisum cœlestem, de quo mox agemus. Adam dicitur interprætatum homo, quia de humo siue terrenus. Heua autem mater omnium viuentium. Sed hoc notandum, quod Heua intra paradisum formata sit, vbi misit Deus soporem in Adam, & è latere dormientis tulit vnam de costis eius, & ædificauit in mulierem &c. quia ex contextu Bibliorum nota sunt. Neque moueat quenquam quòd in digniori loco mulier, nempè in paradiso, quàm vir nempè extra paradisum formatus sit. Hoc enim etiā iuxta historiam non est absurdum quia hoc factum est vt quanquam infirmius est vascu-

Adam extra paradi. formatus.

Genes. 2.

Eua in paradiso formata.

lum non contemneret, sed ob natale solum magis diligeret, et quanquam, iuxta Paulũ: Ephes.5. *Sicut ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus subiectæ esse debent, tamen viri diligerent vxores suas sicut Christus dilexit ecclesiam.* Atque hic quidem intellectus quã quam spiritalis est, & ad inuisibilia bona parte refertur, historicum tamen esse & rem gestam continere quis neget. Hoc enim consilio à Moyse Genesim traditam, posteris excellenti doctrina viri prodiderũt, vt rudi & simplici verborum cortice per figurarum & ænigmatum inuolucra, historiam penitissimis misterijs confertã, & (vt ait August.) mysticis significationibus plenam clausisse intelligeretur, qua scribendi ratione etiam in arcanis naturæ prodendis vetusti philosophi vsi sunt. Natura enim comparatam videmus, vt ea quoq; quæ haud longè à sensuum captu absunt, nisi crebris corporalium rerũ figuris vestiamus, rudiori paulò, & à sensibus hærenti, vulgo persuadere nequeamus. Sicuti ad concordiam adhortatus filios suos Scilurus est fasciculi iaculorum ruptione, multò maiore vehementia quàm si multis Academiæ placitis vsus fuisset. Sic & recẽtes ficus à Catone in Senatu ostensas, scimus Patrum animos ad pacificationem cum Carthaginensibus Romæ vehementius perculisse, quàm si decem Carthagine allatas bo-

ſtiles leg ſlent litteras. Sic Aetopus quantam ſub apologis & fabulis morum d ctrinam recondit. Ita & in Moyſis Geneſi hiſtoriam hiſtoria quidem vera eſt vniuerſa, ſed proptereà non minus vmbrã habet futurorũ bonorum. Nam Adam Chriſtum, Heua eccleſiam, ſerpens Criminatorem adumbrabat, Paradiſus cœlũ ſignificat Sed ad hiſtoriã redeò. Dixi ſuprà paradiſũ terreſtrem iam deſijſſe, hoc eſt, degeneraſſe maxima ex parte ab ea voluptate, & iam habitabilem, & longo tempore regni Aſſiriorum, Chaldeorũ, atque Perſarum, habitatum fuiſſe. Sed hoc contra contextũ Geneſeos eſſe videtur, vbi dicitur: *Emiſit eum dominus Deus de paradiſo voluptatis vt operaretur terram de qua ſumptus eſt Eiecitque Adam, & collocauit antè paradiſum voluptatis Cherubin. & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ* Seu vt Beatus Auguſtinus habet: Et ordinauit Cherubin & flammeam romphęam quæ vertitur, cuſtodire viam ligni vitæ. Hoc inquit, p cæleſtes poteſtates in paradiſo viſibili factum eſſe credendum eſt, vt per angelicum miniſterium ibi eſſet quædam ignea cuſtodia, nõ tamẽ fruſtra, ſed quia aliquid ſignificat de paradiſo ſpirituali. Hęc ille: Videtur ergo ex his, & alijs antè citatis verbis eius, Auguſtinus in ea eſſe

Geneſ.3.

De Gene. li.11.ca.4.

ſententia, vt paradiſi terreſtris locum mortalibus inacceſſũ crediderit, cinctum cuſtodia gladij ſeu romphææ quæ vertitur, & Cherubin, nec illius paradiſi voluptatem deſijſſe, ſed adhuc durare. Cæterùm qui ſtudioſius ad B. Auguſtini verba arrigit aures, intelligit neque in contextu Geneſeos, neque in Auguſtini verbis fieri mentionem de gladio ferreo, ſed gladeo flammeo, vel, vt dicit Auguſt. flammea romphæa, & quædam ignea cuſtodia: propterea dico paradiſũ nunc non eſſe terreſtrem qualis antè fuerat, ſed decorem amiſiſſe, cum Adam præceptum non retinuit, fructu nimirum immortalitatis illîc euaneſcente, ſublatis in cœlum perpetuæ vitę ſeminibus, & vt ad hiſtoriam reſpiciamus, gladium hunc igneum flammantem & circumeuntem, eſſe orbem ignis ſub Lunæ concauo qui inter mortale, varium, caducumq;, & immortale ſempiternũque interuenit, hoc eſt, eum qui in ſua ſphæra giratur, & verſatilis ad motum Firmamenti ſeu primi mobiles rapitur & circum agitur, cui ſpheræ Cherubin ſeu intelligentia mouens iuxta etiam Philoſophorũ principem adiuncta & aſſociata ſit, vt eam aſsiduè rotet. Conſtat enim ad conuexum Lunæ ambitum, cæleſtium rerum horizontem quodammodo eſſe, ſupra quem pura omnia luci-

Gladius verſatilis, quis. Rhomphæa.

Cherubim

lucidaque, & natura stabilia, nec vnquã fortuitò mutata cernuntur. Itaque plantator ligni vitæ æternæ Deus qui fructui quidem terrestris paradisi diuinam quandam vim aduersus carnis solutionem & mortem indiderat (sed quo Adam, ad carnem & terram conuersus, & si forsitan vsus fuit, deinceps vesci contempsit) retractis fonte omnis boni, & ligno vitæ æternæ, in cœlo suis paradisum plãtauit, felicitate instituta q̃ nec vnq̃ cæpit, nec vnq̃ desinet. Emissos ẽt Adam & Heuam extra paradisum intelligo non in longinquam regionem quam peterent, sed vicinam non à portentosę altitudinis mõte quo descenderent, non ingenti aliquo interposito pelago quod transirent, sed ad vicinum valde locum agro Damasceno à terra benedictionis, in terram cui mox maledicibatur, apparente Cherub, flammãte gladio, abierunt Si cui hæc ad sensum historicum non satisfaciunt, & dicunt longius esse petitum quod gladium illum versatilem sphæram ignis dixerim; is cogitet multò absurdiorem fore sententiã, si paradisum terrestrem extra globum terræ in aëre, imò in sphera ignis positum esse credamus, vt antè diximus. Sed duo adhuc restant scrupuli, vnus an paradisum terrestrem amœnissimũ illum hortum, tam memorabilem tamque

Paradisus an diluuio submersus.

præstantem, & vndis diluuij obrutum fuisse, & nunc communem habitationem esse audeam vs dicere: alter est vbi Henoch & Heliam esse dicam, si non in paradiso terrestri? Priorem scrupulum imprimis, deinde alterum eximemus. Quid ergo obstaret cur paradisum (per Adam prophanatum) non audeamus dicere cataclysmo submersum fuisse, sicuti & tota terra aquis subiacuit, quando *quindecī cubitis altior fuit aqua super altissimos montes Armeniæ super quos mense septimo requieuit aqua.* Si locus redemptionis nostrę (quem Christus suo sanguine consecrauit) olim diluuio subiacuit, & nunc ab Ethnicis conculcatur, an mirum videbitur si locus creationis humani generis (quem Adam tā fœdo inobedientiæ peccato polluit) olim aquis diluuij obrutus sit, & nūc infideliū pedibus proteratur. Veniamus igitur ad posteriorem difficultatem. Scio constātē esse quorundam neotericorū theologorū sententiam, in qua & ipse aliquando fui, Henoch & Heliam translatos esse in paradisum terrestrē, ad quem si aliquod diluuiū pertigisset, Henoch saltem (qui ante diluuium viui fuerit) submersum esse. Sed amabo quęnam scriptura aut quis veterū theologorū vnquā asserit Heliā (de Henoch postea dicā) in paradisum terrestrē translatū esse? Nā scriptura contrari-

Genes. 7. & 8.

De Henoch & Helia an sint in paradiso terrestri.

trarium docet, dicens: *Ascendit Helias per turbinem in cœlum*. Fateor quidem hos ſanctos viros eo tempore, quo rapti ſunt cæleſti beatitudine propter primi parentis præuaricationẽ perfrui nõ potuiſſe, quia Chriſtus non dũ deſcẽderat ad inferos, nec adhuc inferni dolores ſoluerat, ſed non propterea conſequens, vt in paradyſum terreſtrem de terra vna in aliam deportati ſunt. Nam B. Auguſtinus alium locum nobis oſtendens. Neque enim arbitrandum ait, Heliam vel ſic eſſe iam, ſicut erunt ſancti, quando peracto operis die denarium ſunt accepturi pariter, vel ſic quemadmodum ſunt homines, qui ex iſta vita nondum emigrârunt, de qua tamen non morte, ſed tranſlatione migrauit, iam vtique aliquid melius habet, quam in hac vita poſſet. Hactenus Auguſtinus. Qui in his verbis hoc vult, ne credamus Heliam eſſe in ea felicitate æterna, in qua ſancti futuri ſunt quando accipiunt laborum mercedem. Quam ſuſpicionem facilè haud dubiè amoliri potuiſſet, ſi abſolutè dixiſſet Heliam in paradyſum terreſtrem duntaxat tranſlatum, quod quia non dixit, ne ſenſiſſe quidem eum veriſimile eſt. Sed eiuſdem libri loco alio clarius ſententiam ſuam declarans: Si Henoch, inquit, & Helias in Adam mortui (ſpiritaliter) mortiſq; propaginẽ in

4. Reg. 2.

De Gene. ad lit. lib. 9. ca.

De Gene. ad lit. lib. 9 ca.

carne gestantes, quod debitum vt soluant, creduntur etiam ad hanc vitam redituri, & (quod tam diu dilatum est) morituri, nunc tamen in alia vita sunt, vbi antè resurrectionis carnis, antequam animale corpus in spiritale mutetur, nec morbo, nec senectute deficiunt, quanto iustius atq; probabilius primis illis hominib. prestaretur, sine vllo suo parentumque peccato viuentibus, vt in meliorem aliquem statum filijs genitis cederent, vnde sæculo finito, cum omni posteritate sanctorum in angelicam formam, non per carnis mortem, sed per Dei virtutem multò felicius mutarentur. Hęc ille. Viden? ergo asseuerare Augustinum Henoch & Heliam in loco illo agere, in quem & Adam & posteri si in innocentia perstitissent, è paradiso terrestri, genitis filijs, transferri potuissent, atque inde in fine sæculorum tandem in angelicam formam mutandos fuisse. Quod si hos in paradysum terrestrem translatos credidisset, non ostendisset illum locum tertium, terrestri paradiso digniorẽ, & cælo beatorum inferiorem. Porrò in libris de ciuit. dei, vbi de translatione Henoch agit, paradisi non meminit: sicuti etiam nec in Helię historia facit. Imò & Ambros. lib. epist. ad Horontianum: Helias, inquit, in terris vicit, in cælo triumphauit. Cæterùm, vt ad Henoch venia-

Lib. 19. cap. 15.
Lib. 20. ca. penultimo
Li. Epist. c.

veniamus, obijcis forsitan mihi illud Ecclesiast. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus sapientiam.* Respódeo me locum agnoscere, verùm quẽ eo ipso in loco paradisum intelligat, dubitari posse iustissimis argumentis. Quorum primũ est, ꝙ Ecclesiasticũ in suis sapientiæ præconijs Mosen imitatum esse constat, sicut & Regum libros, & prophetas non paucos, ex quibus velut racematione quadam sui operis materiã desumpsit. At verò Moses in Henoch historia, paradisi non meminit, & in libris Regũ, vbi de Helia, cœli mentio fit, non paradysi. Accedit ad hoc quòd D. Hieron. in prologo historiæ Regum, librum Iesu filij Sirach, q hodie Ecclesiast. appellatur, in Canone receptę à veterib. scripturę non esse, constãter asseuerat. Magis ergo paradisum nó terrestrẽ, sed spiritualem, vbi homini iustitia delibuto benè fit, intellexisse credendus est, sicut in spiritali significatione idem eadem voce sę pius vtitur. Deinde B. Aug. in raptu Enoch figuram resurrectionis Christi fuisse scribit: quòd si est à terris eleuatum, magis quã in terram aliam translatum verisimile est, vt figura figurato respondeat. Porrò si quis me interroget, vbi sit ille locus tertius cælo beatorum inferior, & terrestri paradiso superior? Interrogo & ego eum; vbi sit

Ecclesi. 44.
Genes. 5.
4. Reg. 2.
De ciuita. Dei. lib. 15. cap. 19.

2.Cor.12. tertium illud cælum, seu ille paradysus, in quem raptus est Apostolus Paulus: Proinde quem in locum rapti sint Henoch & Helias in consolationem gentium, & Iudæorum asseruati Prophetæ nescire me fateor, sed in terrestrem paradisum non translatos fuisse, satis iam ostendimus. Qua de re vt impium fortasse fuerit liberius affirmare quidquã, ita sanè digna ea est quæstio, quæ pro scripturæ reuerentia, & abſconditiſsima consilio rum Dei ratione in dubio relinquatur. Nihil enim ad nos, *si quos ita manere voluerit, donec veniat* Iam, vt diximus supra, paradysi vox multa significat. Imprimis terrestrem paradysum, de quo nunc satis multa. Deinde sinum Abrahæ, (de quo in tertio Nouiſsimo diximus) significat, teste Beato Augustino: Abrahæ sinus, inquit, ipse est intelligendus paradisus, quem latronis animæ illo die dignatus est polliceri. Quæ si ita sunt, generale paradisi nomen est, vbi feliciter viuitur. Neque enim quia paradysus est appellatus, vbi Adam fuit ante peccatũ, propterea scriptura prohibita est etiam Ecclesiam vocare paradysum cum fructu pomorum. Hæc ille. Et infrà: Vbicunque ergo paradysus est, quisquis beatorum ibi est, cũ illo ibi est, qui vbique est. Hæc Augustinus. Qua de re aliquot adductis scripturæ locis, bea-

Ioan.21.

Paradisi vocabulũ πολύσημον.

Ad dardanum epist.57.

beatus Ambrosius agit, ad Sabinum scribens Li. epist. 6.
quod Ecclesia rectè paradysus vocetur, quia
diuersorum religiosæ vitæ generum homi-
nibus, tanquam varijs arboribus consita, &
multarum virtutum floribus ac pomis re-
pletur, & quadrifluo euangeliorum fonte
rigatur. Hinc eidem ecclesiæ dicitur à spon-
so suo: *Emissiones tuæ paradisus malorum puni-* Cantic. 4.
corum cum pomorũ fructibus. In cuius medio
Christus cruci affixus lignum vitæ est. *Qui* Ioan. 6.
manducat hunc panem, viuet in æternum. Ve-
rumetiam in ipso homine lætitia quædam
bonæ conscientiæ paradysus est, teste Eccle-
siastico *Gratia, inquit, sicut paradysus in bene-* Ecclef. 40.
dictionibus. Tandem & ipsa vita æterna, seu
æterna beatitudo est cœlestis ille paradisus.
De quo B. Augustin. Nunc videamus ipsam De Ge. cõtra Manichę. li. 2. cap. 14.
beatitudinem hominis, quæ paradysi no-
mine significatur: nam quum in nemoribus
deliciosa quies hominum esse solet, & corpo-
reis sensibus nostris de Oriente lumen ori-
tur, cælumque consurgit, quod superius cor-
pus est nostro corpore, multoque excellen-
tius, propterea his verbis etiam spirituales
delitiæ quas habet beata vita figuratè, expli-
cantur, & ad orientem paradysus plantatur.
Hæc ille. Atq; de hac perpetua beatitudine
intelligi debet promissio, quæ fit in Apocal. Apocal. 2.

Vin-

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Nam lignum vitæ Christus sapientia Dei patris est, teste Salomone: *Beatus homo, inquit, qui inuenit sapientiam, lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus.* Ad quam nos perducat, qui viuit in ea & regnat Christus, vt cum latrone in die mortis nostræ, audire mereamur ab eo: Hodie mecum eris in paradyso. Quod faxint Pater, filius, & spiritus sanctus, Amen.

Prouerb. 3.

Ecclef. 7.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET.

CONCIO XXI.

De duplici beatitudine, & vtraq; eius parte.

DIximus concione antecedenti de varijs æternæ beatitudinis nominibus, atque inter reliqua de paradiso tam terrestri quã spirituali etiam, atque cœlesti tandem, quẽ ipsam perpetuam beatitudinem esse, scripturis ostendimus. Sed quia & beatitudinis quoque vocabulum non vnico tantùm sensu accipitur, sed alia est beatitudo huius vitæ breuis per spem, alia futuræ vitæ æternæ per rei speratæ consequutionem, de vtraque illa bea-

beatitudine & eius partibus, hoc sermone fert animus tractare: quòd nostrum desiderium, vt Deus Opt. Max. benè fortunet vnà mecum orate, vt cœptis nostris aspirare dignetur, & aduocatam nobis sumamus diuam eius virginem Deiparam, eandem angelico salutantes elogio.

AVE MARIA.

Beatitudo, definitore Seuerino Boëtio, est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Cæterùm ea sunt hominum studia vt animus quidem, & si caligante memoria tamen, summum bonum appetat, sed velut ebrius, domum quo tramite reuertatur, ignorat. Tria enim (vt est in hac definitione manifestum) ad veram beatitudinem requiruntur. Primum vt sit omnium, & duntaxat bonorum aggregatio. Secundum, vt sit status & stabilitas, sic vt illa aggregatio momentanea & fluxa non sit, sed semper permaneat, neque possit auferri vel amitti. Tertium vt sit status perfectus, vtque possessor eius accepto vade certissimus sit de eadem nunquam amittenda, aliàs formido perdendi eum redderet miserum non beatum. Sed talis in rerum creatarum vsu & possessione, nequit in hac vita haberi. Quis enim, vt idem scribit Boëtius, tam compositæ felicitatis, vt non aliqua ex parte cum sui status

Beatitudo quid.

Lib 3. de cõso. philosophiæ prosa 2.

Li 2. pro. 4

qua-

qualitate rixetur? Et Iob conquerens: *Homo* inquit, *natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserys qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquã in eodem sta u permanet*. Vndè quòd in hac mortali vita beatitudo vera non possit haberi perspicuum fit. Est tamen quodam prodit e tenus si non datur vltrà Quia (inquit Dauid) *misericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus:* Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, Domine virtutum beatus homo qui sperat in te.

Iob. 14.

Psalm. 83.

Duplex proindè beatitudo est, vna viæ per spem, altera patriæ per rem. Hic dum fumus in via gratiæ suæ adiumentum, illic dum erimus, in patria gloriæ suæ solatium & complementum dabit Dominus: Iam vt de vtraq; beatitudine & eius partib. ordine loquamur, imprimis beatitudo viæ rursum est duplex, vna viæ sinistræ, altera dextræ. Sinistra falsa est & deceptiua, & per eam gradiuntur filij huius mundi. Consistit autem in honoribus, diuitijs, voluptatibus. De hac via pronunciat Dauid quod vnusquisq; sit: *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*. Rationem scribit filius eius Salomon: *Est*, inquit, *via quæ videtur homini*

Beatitudo duplex.

Via duplex.

1. Sinistra.

Psal. 1.

Prouer. 14.

mini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem. De qua via tandem aliquando, sed serius in inferno conquerentur impij homines, dicentes: *Lassati sumus in via iniquitatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis.* Hanc vobis vt fugiamus, præmonuit nos Christus his verbis: *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.* Et quamquam in hac ampliss. ad inferos septem habeat semitas seu capita viarum, quæ sunt septem peccata mortalia, luxuria, auaritia, superbia, acedia, inuidia, ira, gula, cōtenta hoc vulgari versiculo: Luxus auar. super. ac. inuid⁹, ira gula, D. tamen Apost. Ioannes septem in tria contrahens, scribit: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Diuitijs enim quodlibet licet, diuitię honorantur, diuitijs plerūque pudicitia matronarū, & virginitas nympharum prostat atq; venalis est. Diuitiæ deceperunt auarum illum hominem, qui cogitabat intra se, dicens: *Quid faciam, quia nō habeo quò congregem fructus meos? Et dixit, hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi; & bona mea. & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos. requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit aūt illi deus? Stulte, hac nocte animā tuā repetent à te, quæ autem*

Sapien. 5.
Matth. 7.
1. Ioan. 2.
Lucæ 12.

parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues ait Christus. Habes exemplum, quomodo incendunt diuitiæ auaritiam, vtque crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit, placétne habere exemplum quomodo gulam, voluptates

Luc. 15. carnis, atque honores, efficit, *aspice filium illũ minorem natu, qui accepit portionem substantiæ suæ, & peregrè profectus in regionem longinquam, ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Et quid accidit? Postquàm omnia dissipasset, facta est fames valida in regione illa, & cœpit egere. Visne ét audire quomodo diuitiæ crapulæ fomenta sunt, audi denuò Christũ, *Homo quidã inquit, erat diues, & in-*

Luc. 16. *duebatur purpura & bysso, et epulabatur quotidiè splendidè.* Sed quo perduxit eũ sua gastrimargia? nempè, mortuus est & sepultus in inferno. Ergo vti concludit Apostolus Pau-

Rom. 3. lus, recitãs versiculum ex Dauide: *Contritio*

Psalm. 13. *& infelicitas in vijs eorum est, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum.* Altera est via dextera, quæ tametsi in

2. Dextera. præsenti vita est imperfecta, est tamen dispositiua ad vitam æternam, quod etiam Virgilium poëtam non latuit, qui per Y geminum (quod Pythagoras excogitasse fertur) duas hominum vias elegãtibus heroicis versibus descripsit, vt sequitur:

Litte-

Littera Pythagora discrimine secta bicornis, Virgilius.
Humana vita speciem preferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem:
Difficilemq; aditum primum spectantib. offert,
Sed requiem prabet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via leua, sed vltima meta.
Precipitat captos, voluitq; per ardua saxa,
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemq; decusq; parabit.
At qui desidiam, luxumq; sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpisque inopsque simul miserabile transiget
auum.

Quidam, vt scribit Lucas, interrogauit Luc.13. quodam tempore Christum: *Domine si pauci sunt qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos, Contendite intrare per angustam portam: quia multi dico vobis, quaerent intrare, & non poterunt Cum autem intrauerit paterfamilias, & clauserit ostiũ, et incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine aperi nobis. & respondens dicet: Nescio vos vnde sitis, tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, et in plateis vestris docuisti Et dicet vobis: Nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis, ibi erit fletus & stridor dentium,* Christum proinde quàm ocissimè sequamur de se dicentem: *Ego sum ostium ouium, per me si* Ioan.10. *quis introierit, saluabitur, & ingredietur, &*

egredietur, & pascua inueniet. Ego enim veni vt vitam habeant, & abundantius habeant De qua rursum mentioné faciens discipulis suis in vltima cœna dixit, & quo ego vado, scitis,
Ioan.14. & viã scitis Dicit ei Thomas. *Domine nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire. Dicit ei Iesus: Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad patrem nisi per me.* Via igitur huius vitæ dextera, quæ est dispositiua ad vitã æternam, consistit in vera fide, firma spe, & perfecta charitate Dei, suijpsius, & proximi. Fides est donum Dei, qua citra vllam hæsitantiam credimus quæ sunt de Deo, & rebus cælestibus. Spes est certa expectatio æternæ beatitudinis, proueniens ex gratia & bonis operibus. Charitas est affectio voluntatis humanæ rectissima, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deũ. *Beati* igitur, teste Dauid, *immaculati in via qui am-*
Psalm.118. *bulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt illum.*
1.Cor.13. Quia (vt ait Paulus) *qui nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc facie ad faciem* Nunc enim, (quamdudum sumus in hoc sæculo) manent fides, spes; charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas. Charitas enim nunquam excidit, nunquam desinet. Fides quæ saluos facit credentes, & spes quæ saluat sperantes in DEVM, nec confundi

sinit.

finit in æternum, finem tamen habebunt, quando fidenti ſperata cedent, ſed tunc primum charitas magis magiſq; ferueſcet. Sed de beatitudine viæ tam dexteræ quàm ſiniſtræ dictum ſit ſatis. Conſideremus porrò beatitudinem alteram patriæ, futuram per rem, videlicet cœleſtem, in cælo empyreo quod eſt immobile & lucidiſsimum, in quo (vt colligit ex patribus Magiſter variarum ſententiarum) & cum quo cœlo empyreo omnes angeli ante quorundam ruinam ſunt ſimul creati, cum informi materia omnium rerum corporalium: vti etiam habet beatus Auguſtinus, citans illa verba Moſis *In principio creauit Deus cœlum & terram*: quibus nominibus, inquit, ſignificata eſt vniuerſalis creatura, vel ſpiritualis & corporalis, quod eſt credibilius. Quibus quidem angelis omnib⁹ ita in principio creatis, in cęlo empireo datæ ſunt certæ ſedes, & manſiones quæ in tres ſacros prīcipatus atq; claſſes ſāctos (quas Græci Hierarchias vocant) ita ſunt diſtincti, vt vnuſquiſque principatus ſacer rurſum in tres ordines ſubdiuiſus ſit, atque ita in genere ſimul nouem ſunt angelorū chori, de quibus Chriſtus dixit ſuis diſcipulis: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt*. Atque hæc beatitudo patriæ demum perfecta erit. Illa beatitudo viæ, huius vitæ, dexteræ

Beatitudinis patrię qualitates. 1. Cœleſtis. Lib. 2. diſt. 2. §. F. Lib. 11. de ciuita. Dei cap. 33.

Geneſ. 1.

Ioan. 14.

2. Perfecta.

quanquam disponat & præparet nos ad vitam æternam, est tamen, vt initio diximus, imperfecta, quod ex Pauli verbis paulò antè ostendimus. Sed beatitudo patriæ perfecta erit. Atque hæc consistit in clara visione Dei, qua intellectus cognoscit Deum, non solùm quod sit author & principium naturæ, sed etiam vt est author beatitudinis supernaturalis, vt est trinus & vnus, redemptor, & glorificator, non quidem per aliquod momentum temporis, vt in hac vita Moses vel Paulus eum viderunt: De Mose enim scriptum est: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquar ei, & non per ænigmata & figuras dominum videt.* Paulus verò Apostolus de suo raptu ita scribit: *Scio hominem in Christo antè annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus, nescio Deus scit, raptum huiusmodi hominem vsque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ nō licet homini loqui* Ad eiusmodi visionem exercendā in hac mortali vita requiritur (teste D. Thoma Aquinate) vt humanum mortale corpus nullo vtatur sensu exteriori

Viguerius.

Numer. 12.

2. Corin. 12

Quodlib. 1. art. 1.

teriori quamdudum ea visio durat, quia dicit Apostolus. siue in corpore, siue extra corpus, nescio. Ecstasis enim & raptus, priuat animam omni officio sensuum exteriorum, clara Domini visione occupatam: sed post corporum suorum glorificationem in æterna beatitudine sancti clara visione Deum videbunt, & nihilominus vtentur sensibus suis corporeis. Sed hoc in hac mortali vita non conceditur. quia dixit Deus ad Mosen: *Non enim videbit me homo, & viuet.* Potentia enim visiua oculorum mortalium non potest eleuari ad videndum substantiam angelorũ, sicut canis homo fieri nequit, quũ sint diuersæ speciei animalia, multò minus mortalis homo potest videre Deum. Ratio est, quia oculus mortalis nihil videt, nisi ꝙ coloratum est: sed Deus nec corporeus, nec coloratus est. Deus enim spiritus est, vt scriptum est Ioan. 4. Videlicet nisi in tali abreptione sensuum extèriorum, oculi enim mortales Deum vt est, videre non possunt. Itàq; (vt ait B. August.) Summa merces animæ est intueri Deum. Hoc doceri potest verbis Christi, ad patrem suum loquentis: *Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Quibus conformia etiam Ioannes Apostolus solatia scribẽs ait. *Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum*

Exod. 33.

Lib. 1. de Trinitat.

Ioan. 17.

1. Ioan. 3.

apparuit quid erimus: Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Quanquam verò eiusmodi clara visio atque cognitio Dei per intellectum erit pręcipua pars æternæ beatitudinis nostræ erunt tamen & multæ partes aliæ, nempè fruitio, delectatio, & quietatio siue exaturatio nostræ volūtatis & desiderij, iuxta Dauidis verbum dicentis: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et similes aliæ dotes innumeræ, de quibus infrà per ordinem differemus.

Psal.16.

Perfectio igitur beatitudinis huius vitæ est, vt in charitate Dei & proximi habeamus lumen fidei, per quod Deum cernimus nunc, sed tunc cum charitate etiam videbimus eū in lumine glorię, ita vt lumini fidei succedat illîc lumen gloriæ. Hoc enim lumen succedet fidei, quæ eo adueniente esse desinet. Deinde beatitudo illa patrię, cælestis, perfecta, erit etiam obiectiua nobis, atque hæc visio beatifica dicitur paradisus cælestis, in illo enim horto cælesti videbimus Deum, sicuti est. Quanquam enim eam Deus nobis vbicūque vult eam quandoq; communicet, iuxta vulgare dictū: Vbi papa, ibi Roma, vbi rex, ibi curia, sicut fuit *in monte Sinai, quando apparuit Mosi,* & prope Damascum, *quādo Paulus raptus fuit:* & in limbo patrum, in triduo mortis Christi, sicut dicebat Christus latroni:

3. obiectiua

Exod. 24.
2. Cor, 12.
Luc. 23.

ni: *Hodie mecum eris in paradiso*, ordinariè tamen eam cõmunicabit nobis in cælo empyreo, vbi deus ipse est obiectũ seu materia circa quam & de qua, vel propter quam, ineffabiliter delectab tur homo: Ipse enim Deus est summum illud bonum, ꝙ continet summam perfectionem creaturæ, quia cõiungit eam & vnit suo primo principio, & vltimo fini. Beatitudo enim, apud omnes summum bonum, & vltimus finis dicitur. Summũ aũt bonum vocamus, quod habet omnes rationes boni, & nullam habet rationem mali, siue cui nihil deest nihilq; addi potest. Et tale (vt constat apud omnes sapientes) non est nisi vnum, scilicet Deus, à quo omnia alia bona dependent, in esse, in fieri, & in conseruari, & per cuius adeptionem & vnionem, angeli & homines beatitudinem ipsius participantes, beati esse dicuntur. Vocatur insuper hæc beatitudo non tantùm cęlestis, perfecta & nobis materialiter obiecta ac oblata, sed etiam appellatur æterna. Hinc passim beatitudinem hanc sacræ literę appellant vitam æternam, sicut vbi Christus dicit: *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Atque vbi Paulus ait: Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domũ nõ manufactam æternã in cælis.*

4. Aeterna

Matth. 25.

2. Cor. 5.

Continet autem hæc cæleſtis, perfecta, obiecta ſeu oblata atque æterna beatitudo, tria quædam inſignia ornamenta, nempè auream coronam, aureolam, & fructum.

Aurea q.d. Aurea illa corona, eſt viſio Dei, quę eſt in omnibus ſanctis communis, & hoc eſt illud præmium eſſentiale, ille *denarius diurnus,*

Matth. 20. *qui promittitur omnibus in vinea Domini labo*

Eccleſ. 45. *rantibus*. De hac aurea corona ſcribit nobis filius Syrach loquens de ſacerdote Aaron, & ſub nomine Aaronis de vniuerſis ſanctis Dei, *Coronam*, inquit *auream ſuper mitram eius poſuit, expreſſam ſigno ſanctitatis*. Corona triplex eſt ſummi Pontificis ornamentum capitis: corona eſt ſignum etiam regiæ poteſtatis. Corona itàque aurea perfectionem quandam ſignificat, primò ratione materię, quia aurum eſt nobiliſsimum metallum, ſecundò ratione figuræ quia figura circularis eſt perfectiſsima. Sed per diuinæ viſionem eſſentiæ & beatitudinem, homo fit particeps diuinitatis, & conſors diuinæ naturæ, & per conſequens regiæ poteſtatis particeps iuxta illud canticum, nouum viginti quatu-

Apocal. 5. or ſeniorum qui cantabant inter cætera *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes*. Proptereà electos Dei alloquitur Petrus Apo-

1. Petr. 2. ſtolus dicens, Vos eſtis genus electum, rega-

Exod. 19. le ſacerdotium, ſicut olim promittens Deus

per

per Mosen, dixit filijs Israel: Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra: & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, gens sancta, &c. Itaque vt scribit Paulus Timotheo discipulo suo: *Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* 2. Timot. 2 Conuenienter ergo præmium essentiale dicitur corona aurea, quia est perfectissimum sacerdotum & regum ornamentum. Quantum igitur attinet ad præmium essentiale, hoc est, quantum ad obiectum spectat, quod Deus est, nullus erit ibi gradus, nulla diuersitas, quia vnus Deus ab omnibus conspicietur. Præmium essentiale. Corona igitur omnium sanctorū aurea præmium essentiale est, quod promittitur etiam in Apocalypsi: Præmiū accidentale. Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Cęterùm quantum attinet ad operationē beatitudinis, in videndo fruendo, & diligendo deo clarè, vnus alio clarius ista habet, hocq; pacto gradus sunt in cælo. Sicut enim paulò antè diximus, de obiecto, & essentiali beatitudine loquitur parabola, quæ dicit, *cuilibet operariorum pro mercede fuisse traditū denarium* Matt. 20. De operatione verò & accidentali beatitudine loquitur Apostolus, dicens: 1. Corin. 3. *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*: 1. Cor. 15. Et rursus. *Sicut*

Aureola quid.

stella à stella differt in claritate, sic erit et resurrectio mortuorum. Qui hîc maiori charitate Deum colit, ille erit in cœlo proximior, maioreque gloria fruetur Deo. Accedet & aliud accidentale gaudium beatis corporibus, nẽpè Aureola id est gaudium de factis & operibus, quæ datur martyribus, virginibus, & Ecclesiasticis doctoribus. Aureola, si etimologiam nominis spectes, idẽ significat quod parua corona aurea. Aureola (definitore B. Thoma Aquinate) est quoddam priuilegiatum præmium priuilegiatæ victoriæ respondens. A tribus enim generibus hostium contra nos dimicantium summa vi impugnamur, qui sunt, mundus, caro, dæmonia. In conflictu qui fit aduersus mundum, ille victoriam obtinet, quisquis *persecutionem patitur propter iustitiam* & veritatem vsque ad mortem, ratione cuius confertur aureola martyribus, quos Latine vocamus testes videlicet Christianæ fidei. Hanc aureolam promeruit, & accepit apostolus Paulus sicut ipse agnoscit, scribens. *Ego iam delibor & tempus resolutionis meæ instat, bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ quam reddit mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.* Vnde & apostolus Iacobus

Aureola martyrũ.

Matt. 5.

2. Tim. 4.

Iacob. 1.

Beatus

Beatus, inquit, *qui suffert tentationem, quoniã quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Altera porrò pugna est contra carnem, quam qui vicerit cum omnibus delectationibus venereis, cum firmo proposito seruandi corporis virginitatem perpetuam, siue vouerit, siue non vouerit. Et quamuis hoc propositum aliquoties intermissum fuerit, attamen corpore in integritate permanente, aureola non priuabuntur. Nam, vt dicit beatus Hieronymus, virginitas mentis reparari potest, carnis verò nunquam. Si quæ tamen sit virgo secundum carnem, quæ propofuit non habuit seruandi virginitatem, & data occasione virginitatem deseruisset, aureolam non meretur quidem: non est tamen interim dubium, quin habitura sit speciale gaudium de incorruptione carnis: sicut Innocentes gaudebunt, quia sunt immunes à peccato, tametsi non habuerint peccandi occasionem. Sed si aliqua vi oppressa, virginitatem carnis amittat, & virginitatis propositũ inuiolabiliter seruet, nec illi actui violento cõsenserit, hæc neq; aureolã, neq; virginitaté pdidisse cẽsenda est, siue illa pro fide, siue quacunq; alia ex causa corrũpatur. Vnde B. Lucia Siracusana dicebat: Si me inuitam

Aureola virginum.

Ad Eustochium. epist. 44.

violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam, non quòd duas coronas habitura esset, sed quia duplex præmium reportaret, vnum pro virginitate custodita, alterũ pro iniuria quam passa fuisset. Ad hanc aureolã comparandam exhortatur suos summus põtifex Gregorius· Admonendi sunt peccata carnis ignorantes, vt tantò sollicitius præcipitem ruinam metuant, quanto altius stant. Admonendi sunt vt nouerint, quia quo magis loco præeminenti consistunt, eò crebrioribus insidiatoris sagittis impetuntur: quia tantò ardentius solet erigi, quanto robustius se conspicit vinci, quanto contra se videt per integra infirmæ carnis castra pugnari. Admonendi sunt vt incessanter pręmia suscipiant, & libenter proculdubio tentationum, quas tolerant, labores calcabunt. Si enim attendatur felicitas, quæ sine transitu attingitur, leue fit quod transeundo laboratur Audiant quod per prophetam Esaiam dicitur: *Hæc dicit dominus eunuchis. Qui custodierint sabbatha mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius à filijs et filiabus nomen sempiternũ dabo eis quod non peribit.* Eunuchi quippe sunt, qui compressis motibus carnis affectum in se praui operis abscindunt. Quo autem apud patrem

Curæ pastoralis parte 3. Admonitione 29.

Esai. 56.

loco

loco habeantur ostenditur, quia in domo patris, æterna videlicet mansione, etiam filiis præferuntur. Audiant quod per Ioannem dicitur: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur agnum quocunque ierit.* Apoc.14. Et quod canticum cantant quod nemo potest dicere, nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Singulariter quippe canticum agno cantare, est cum eo imperpetuum præ cunctis fidelibus etiã de incorruptione carnis gaudere. Quod tamen electi cœteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant, quia per charitatem quidem in illorum celsitudine lęti sunt, quã uis ad eorum præmia non assurgant. Audiant peccatorum carnis ignari, quod per semetipsam de hac integritate veritas dicit: *Non omnes capiunt verbum hoc.* Matth.19. Quod eo innotuit summum esse, quo denegauit omnium, & eum prædicit quia difficile capitur, audientibus innuit, captum qua cautela teneatur. Et beatus Cyprianus: Seruate virgines, seruate quod esse cœpistis, seruate quod eritis. Magna vos merces manet, grande prę mium virtutis, munus maximum castitatis. Domini vox est illa dicentis: Filij huius sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias, illi verò qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrexione ex mortuis, neque nubunt, ne- Lucę 20.

que

Lib 1. cont Iouinianũ

que ducunt vxores, neque vltra mori poterunt, æquales enim sunt angelis Dei. Et beatus Hieronymus, explicans septimum caput prioris ad Corinthios, inter cœtera commemorat eiusmodi virgines & cœlibes fuisse Iosue seu Iesum filium Naue, Heliam, Helizeum, Ioannem Baptistam, vt à Propheta virgine virgo Dominus & anunciaretur & baptizaretur, Danielem prophetã, & Ioannẽ euangelistam ob virginitatis prærogatiuam cœteris apostolis à domino plus dilectum. Cœterùm qui ante vsum rationis discedunt puelli & puellæ quamuis corporis integritate virgines sunt, non tamẽ propterea aureolam accipient, quia propositum seruandæ virginitatis nunquam habuerunt. Sicut neque viduæ vidualem quamuis continentiam seruent, vt vel hinc sciamus quanta dignitas sit puditicia virginis. Nemo tamẽ suo fraudabitur præmio. Tertia demum aureola doctorum est, qui contra diabolum seu scriptis seu prædicationibus dimicant. & eundem ab animabus fidelium expellunt. Neque enim solus titulus doctoralis confert aureolã nisi actu & publicè frequẽter doceãt, neque satis est salutari Rabbi, Magister noster, vel domine doctor, quos canes mutos qui latrare nõ valẽt simplex sæpe sacerdos antecedet & aureolam eis præripiet.

Aureola doctorũ.

et. Hinc ait Daniel propheta. *Qui autē docti fuerint, fulgebunt tanquam splendor firmamenti, et qui ad iustitiā erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates.* De hac etiam loquens Paulus, scribit: *Quæ est enim nostra spes aut gaudium, aut corona gloriæ? Nónne vos ante dominū nostrum Iesum Christum.* Nam vt ante scripserat Chorinthys: *Epistola,* inquit, *nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ legitur ab omnibus hominibus* Illud tamen minimè prętereundum est, hæc certamina martyrij contra mundum, virginitatis contra carnem, & doctrinæ contra diabolum, nullius esse meriti coram Deo absque charitate, vt rectè & fusè docet Paulus: *Si linguis* inquit, *angelorū loquar, et hominum charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Et paucis interiectis, ibidem: Et si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autē non habuero, nihil mihi prodest. Quicunq; ergo pro vana gloria, auaritia, vel alia quacunq; vitiosa intentione has pugnas aggreditur, neque aureolam imò ne vitam quidem æternam, hoc est, ipsam aure am coronam accipiet, sed ętern㠝ānationē acquiret. Itaq; laus aureolæ ex radice charitatis vnde germinat, ęstimāda est. Qui fortiori dile-

Daniel. 12. 1. Thes. 2. 2. Cor. 3. Ad aureolam promerendā necessaria. 1. Cor. 13.

Aureolæ in veteri lege præfiguratæ.

dilectione has pugnas consummauerit, clariori quoque aureola decorabitur. Si verò scire placet vbi præfiguratæ fuerint huiusmodi tres distinctæ victoriarum trium aureolæ, audi quomodo in huius rei mysteriũ in veteri instrumento tres quædam fuerint res quæ aureolas habebant. nempè altare incensi, arca fœderis & mensa propositionis. Prima significat aureolam martyrum, qui corpora sua super altare passionis Christi immolauerunt. Secunda virginum quia sicut arca intus & extra auro fuit decorata, ita virgines mentis & carnis pudicitia ornantur. Tertia est concionatorum & doctorum, qui velut mensa propositionis doctrinæ veritatis panes populo Dei administrant. Et in his tribus sancti nobilissimè conformantur capiti suo Christo, qui martyr, virgo, & doctor fuit. Cæterum si & nosse cupis, in qua parte corporis eiusmodi pugnatorum & pugnatricum aureolæ cernentur, ausculta. Apparebit hoc signum triumphantis victoriæ in cicatrice præcipua martyris, in natura virginis, & in lingua doctoris.

Exodi. 25.

Aureola in qua parte corporis

Fructus triplex

Continet verò cœlestis perfecta, æternaque beatitudo fructum, qui est quoddam gaudium, seu præmium quod homini datur propterea quòd à carnali vita in spiritualem sese transtulit vitam, quæ continentia meri-

meritò fructus dici debet, quem ob id homo iustè capit, de quo Sapiens ait: *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Hic fructus emergit ex suscepto semine verbi Dei in corde bono & optimo, & diuiditur secundum triplicem continentiæ diuersitatem in centesimum, sexagesimum, & tricesimum. Centesimum habent virgines: sexagesimum habent viduæ, tricesimum habent coniugati. Est enim continentia virginalis, vidualis, & coniugalis: Et sicut in libris de bono coniugali, atque de sancta virginitate præclarè docet Beatus Augustinus: Bona est castitas coniugalis, melior continentia vidualis, optima pudicitia virginalis. Officia porrò virginũ, viduarum, & coniugatorum, multis locis beatus Apostolus Paulus, maximè ad Corinthios atque Ephesios copiosè docet. Quæ nos hic, quia huius loci nõ sunt, persequi omittimus, hoc indicasse contenti *quod*, vt ait Apostolus, *quæ seminauerit homo, hæc et metet. qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu & metet vitam æternam: Bonum autem facientes non deficiamus, tempore autem suo metemus non deficientes: Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Hæc Paulus. His planè sigillum suum adijcit apprimitque Apostolus

Sapien 3.

Matth. 13. Lucæ. 8.

1. Corint. 7. Ephes. 5. Galat. 6.

Iacob.3. Iacobus, dicens: *Vbi zelus* inquit, *& contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autem desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans sine simulatione. Fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem* Largiatur nobis æternam pacem & gloriam sancta trinitas, pater, & filius, & spiritus sanctus, Amen.

Ecclef.7.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET.

CONCIO XXII.

De varijs animorum gaudijs.

QVoniam quid beatitudo patriæ, & quomodo hæc cælestis, perfecta, æternaq; futura sit, & varia in genere gaudia habeat, nempè auream coronam, aureolamq;, ac deinde fructum multiplicem seu præmium aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum, eaque quomodo vnum virginibus, alterum viduis, & tertium coniugatis competat, superiore sermone sic satis declarauimus, hoc præsenti de gaudijs specialibus, primùm quæ ad animam, deinde quæ ad

ad corpus, tam generatim quàm ſpeciatim pertinent, agemus. Quod vt quàm optimè ſuccedat, diuini numinis opē imploremus, & gratioſam virginem deiparam ſalutemus dicentes:

AVE MARIA.

Diximus ante biduum in partitione conſiderationis ſeu tractatus de beatitudine, eādem, ſeu cęleſtium gaudiorum quædam pertinere partim ad animam, partim ad corpus, partim ad vtrunque ſimul, videlicet corpus & animam. Ad animam enim pertinet Dei & totius trinitatis clara viſio, de qua beatus Auguſtinus, poſtquam multis verbis oſtenderat, quòd Deus pater non apparebit, niſi ad gaudium quod non auferetur à iuſtis, tandem concludens, inquit: His documētis quę commemoraui probabile eſt, quia illa viſio Dei, qua contemplabimur incommutabilē, atque humanis oculis inuiſibilem Dei ſubſtantiam, quæ ſolis ſanctis promittitur, quā dicit Apoſtolus Paulus *facie ad faciem* & de qua dicit Apoſtolus Iohan *ſimiles ei erimus, quia videbimus eū ſicuti eſt*: & de qua dicitur: *Vnam petij à domino, hanc requirā, vt contēpler delectatione dei omnib. dieb. vitæ meæ*: & de qua ipſe dicit: *Ego oſtendā ei meipſum*: & propter q̄ ſolā fide corda mudamus, vt ſimus *beati illi mūdo corde, quoniā ipſi deū videbūt*: & ſi qua alia

Partitio gaudiorū cęleſtium.

1. Clara viſio.

Li. 1. de Trinita. cap. 13

1. Corin. 13.

1. Ioan. 3.

Pſalm. 26.

Ioan. 17.

Matth. 5.

Ioan.14. alia de ista visione dicta sunt (quæ copiosissimè sparsa per omnes scripturas inuenit, quisquis ad eam quærendam oculos amoris intendit) sola est summũ bonũ nostrũ, cuius adipiscendi causa præcipimur agere, quidquid rectè agimus. Hæc visio est sine medio differente, quia Deus vbique præsens tota merces est, ac salus nostra. Hæc est sine medio singulari, quia cognoscetur à seipso, & non per abstractam aliquam similitudinem. Hæc erit sine medio obnubilante, quia tolletur speculum & ænigma quod nos modo impedit. Neque tamen hæc de corporali visione intelligenda credas, quia, Deus spiritus est, teste Christo. Quod ipsum Esaias dudum prædixerat, scribens: *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Cæterùm beatus clarè admodum hæc interpretans ait, *Nunc cognosco ex parte, tunc autē cognoscam sicut & cognitus sum.* Sed Deus cognoscit nos absque specie siue similitudine intermedia, sicut & sancti Deum, & in hac cognitione erunt ei similes, vt affirmat beatus Petrus, scribens: *Per quem* (scilicet Iesum Christum) *maxima & preciosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ.* Neq; prętereà ad animam tantùm clara visio, sed etiam Dei & totius trinitatis amabilis fruitio & dilectio ad animam pertinebit,

2.Petri. 1.

Ioan 4.

Esai.40.

1.Corin.13.

2. Petri.

2. amabilis fruitio.

tinebit, quia fide ac spe sublata, charitas omninò permanebit, secundum rem & actum. Nam, vt Paulus ait, *Charitas nunquam excidit*. Quid itaque frui sit, egregius Doctor Augustinus disertè explicans: Frui, inquit, est amore alicui rei inhærere propter seipsam: Hæc ille. Res igitur quibus fruendum est, sunt pater, & filius, & spiritus sanctus. Eadem tamen trinitas summa quædam res est, communisque omnibus fruentibus ea, si tamen res dici debet, & non rerum omnium causa, si tamen & causa. Non enim facilè potest inueniri nomen quod tantæ excellentiæ conueniat, nisi q̃ melius trinitas hęc dicitur vnus Deus. Et iterum in lib. de doctrina Christiana: Angeli, inquit, illo fruentes iã beati sunt, quo & nos frui desideramus, & quanto iam fruimur in hac vita vel per speculum, vel in ænigmate, tanto nostram peregrinationem & tolerabilius sustinemus, et ardentius finire cupimus. Tertium adhęc animi gaudium erit, in Dei & totius trinitatis inhæsione seu tentione secura, imprimis totali, pro exigentia meritorum, quæ cuique sufficiet, deinde generali, quia neminem excludet à sui comprehensione, demũ æternali, quia nunquam cessabit. Erit igitur hæc inhæsio seu tentio, totalis generalis, & æterna Vndè beatus Augustinus: Impossi-

1. Corin. 13.

Li. 1. de doctrina Christiana, c. 4.

Lib. 1. ca. 30

3. Inhæsio secura.

Lib. 13 de Trinit.

bile eſt, inquit, aliquem eſſe beatum, qui de beatitudinis ſuæ perpetuitate non ſit ſecurus. Et alio in loco dicit: Ibi erit ſumma ſecuritas, ſecura tranquillitas, tranquilla iucũditas, iucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo. Idem Auguſtinus alibi: Diſpar, inquit, eſt gloria ſingulorum, ſed communis lætitia omnium. Plena & perfecta ibi regnat charitas, quia Deus eſt omnia in omnibus, quem ſine fine vident, & ſemper videndo in eius amore ardent, amant laudant, laudant & amant. Omne opus eorum laus Dei, ſine fine ſine defectiõe, ſine labore. Et, vt dicit Eſai. *Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum.* Et, vt iterum ait, *Requiem dabit eis dominus Deus ſemper.* Dicit enim æterna ſapientia etiam per Salomonem: *Qui me audierit abſque timore requieſcet, & abundantia perfruetur timore malorum ſublato.*

Lib. Meditat. cap. 25.

Eſai. 35.
Eſai. 58.
Prouerb. 1.

Corporis gaudia cõmunia, propria.

Iam quia aliquatenus, ineffabilia licet, æterna animorum gaudia cõmemorauimus, veniamus ad gaudia quæ in corpus diffunduntur, idque primò per totum corpus generaliter, deinde per ſingulos corporis ſenſus ſpecialiter. Corpori enim glorificato quatuor quædam qualitates honorificentiſſimæ conueniunt, vt ſubtilitas, impaſsibilitas, agilitas, claritas. Quia enim in iuſtificatio-

tione inter Christum & animam contrahitur matrimonium, quod habet quandam similitudinem cum corporali coniugio, ideò sicut quando sponsa traducitur ad domum sponsi, ipsa compta atque dotata deducitur, ita etiam Doctores Theologi ex sacra scriptura demonstrant aliquas dotes beatas, quando in domum sponsi sui deducuntur, nempè in regnum cœlestis paradisi. Cæterùm hæc inter terrenam & cælestem dotem diuersitas est, quòd dotes terrenæ sponsis dãtur in solatium, vt leuius ferant matrimonij onus: dotes verò cœlestes, non ad molestias leniendas, quæ nullæ erunt, sed ad perficiendam iucunditatem omnem conferuntur. Et quanquam recepta sit consuetudo, vt sponsa ad sponsum locupletandum afferat in domum eius dotẽ ex sui patris domo, attamen contra eã consuetudinẽ aliquoties fit, vt existente sponsa paupere, de suo sponsæ suæ murenulas, inaures, armillas, annulos. & similia multa sponsus largiatur, præsertim si eam magno amoris affectu diligat, sicut dixit Sichem filius Hemor ad Iacob & filios eius, postquam conglutinata est anima eius cum Diua filia Iacob: *Augete*, Genes. 34. inquit, *dotem & munera postulate*. Cùm igitur CHRISTVS sponsus sit ditissimus,

in cuius domo sunt diuitiæ & gloria, diues in omnes qui inuocant illum, & in cuius fœmore scriptum est, Rex regum, & Dominus dominantium, propter nimiam charitatem, qua dilexit sponsus animas iustas, conuenienter dat eis ornamenta, quæ nomine dotis
Psal. 44. appellari solent, sicut legimus in libro Psalmorum: *Astitit regina à dextris tuis, in vesti-*
Oseæ. 2. *tu deaurato, circumamicta varietate.* Annulus est fides, sicut scriptum est: *Desponsabo te mihi in fide.* Charitas est vestitus deauratus. Monilia varia sunt virtutes infusæ, & dona spiritus sancti in hoc mundo. Sed nobiliora ornamenta & dotes dat, quum introducitur in domum, hoc est, in regnum cælorum. Nam quod ad animam attinet, dat ei lumen gloriæ, quod est nobilissimum ornamentum, dat etiam visionem quæ succedit fidei, comprehensionem quæ succedit spei, fruitionem quæ succedit charitati. Dotes verò corporis (vti paulò antè diximus) quæ per totum corpus iustorum diffundentur, sunt quatuor, subtilitas, impassibilitas, agilitas, claritas. Quæ dona quatuor simul recitans
1. Cor. 15. Apostolus, scribit: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute, seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Perpende iam quantum gaudium

dium accreſcet beatorum corporibus, quan do corpus animale ſurget ſpirituale, quantum ad ſubtilitatem, quam conſequitur, & cui etiam reſpondet apta fortitudo. Non enim vult Apoſtolus dicere, corpus fore ſpiritum in reſurrectione, ſed quòd plenè & completè ſubſeruiet ſpiritui. In ſtatu enim reſurrectionis ceſſabunt & deſinent operationes animales, vt putà procreatio liberorum, eſuries, ſitis, calor, frigus, ſomnus, defatigatio, & eiuſmodi alia. *Neque enim nubent*, ait Chriſtus, *neque nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei in cœlo*. Et, vt dicit Ioannes, *non eſurient, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus*, ſed corpus abſque vllo alimento, & laſsitudine inceſſanter ſeruiet animæ in omnibus operationibus ſpiritualibus, quod confirmans Dauid: *Beati*, inquit, *qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te*. Subtilitas ergo corporum glorioſorum erit ſumma corporis fortitudo, & robur ex dominio animæ ad corpus deriuata, ratione cuius etiam corpus dicitur ſpirituale, quaſi omninò ſpiritui ſubiectum. De quo dicit Anſelmus: Fortitudo noſtra hîc à beſtijs ſuperatur, ſed in vita futura nihil reſiſtere poterit, quin moueat, & (ſi voluerit) euertat, nec in hoc plus

1. Subtilitas.

Marci. 12.

Apoc. 7.

Pſal. 83.

sudabit sanctus. quàm oculus mouendo se: & tandem concludit; sic igitur fortis erit iustus, vt etiam si velit terram commouere possit. Sequitur secunda dos impassibilitas, cui quidem respondet sanitas sine infirmitate, vitæ longæuitas sine senectute, immortalitas sine morte. Nam ibi omnis mali carentia, & boni præsentia est. Animaduerte igitur quantum gaudium accrescet beatorum corporibus quando corpus seminatum, hoc est, impositum sepulchro, in corruptione surget incorruptum, sicut scribit Paulus: *Oportet ait, corruptibile hoc induere incorruptionē, et mortale hoc induere immortalitatem.* Sicut dilucide explicat Prosper Aquitanicus: Humana, inquit, creatura erit ibi perfecta, ita vt in melius aut deterius vltra mutari non possit. Cuius humanæ substantiæ ad conditoris sui similitudinem sublimatæ omnia bona quæ naturaliter acceperat, & peccato corruperat, reparabuntur in melius, id est, intellectus sine errore, memoria sine obliuione, cogitatio sine peruagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, & tota sanitas sine morbo. quoniam quidem quicquid hîc corporibus humanis vitiandis aut ferarum morsus ademerint

2. impassibilitas.

1. Cor. 15.

De vita cōtēplatiua. lib. 1. ca 4.

rint, aut improuidi casus abstulerint, aut malarum valetudinum genera discerpserint, aut humana crudelitas amputauerit, aut si ignis, aut quælibet alia res aliquid debilitatis attulerit, aut ipsa senectus etiam sanis onerosa negauerit, hæc & his similia corporum damna, vna ibi resurrectio reparabit, atque ea corpora membris omnibus instaurata incorruptibilis sanitas obtinebit. Propterea quicunque ibi erunt, & si differentibus meritis ab inuicem distabunt, omnes tamen vna perfectione beati erunt, quia singulis præmia sua sufficientia erunt, & præmijs suis iam perfecti amplius capere non poterunt Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamuis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate, perceperunt, ita omnes sancti, & si fuerint aliqua graduum suorum diuersitate distincti, vna tamen beatitudine perfecti erunt, quia & vna perfectione beati futuri sunt. Cœterùm in illa tantæ Beatitudinis regione, nec maioris meriti Quisquam sibi aliquid arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit, nec superiori inferior inuidebit, quia ibi inuidus nullus esse poterit, Et ideò & si ibi erit distantia mansionum, summa tamen in illis vnius perfectio

nis

nis erit æqualitas, quibus erit regni cœlestis vna felicitas. His planè similia etiam scribit. Hugo de sancto Victore: In ea, inquit, cœlesti patria est vita sine morte, iuuentus sine senectute, sanitas sine infirmitate, requies sine labore, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, delectatio sine fastidio, lux sine tenebris, pulchritudo sine turpitudine, agilitas sine ponderositate, fortitudo sine imbecillitate, libertas sine seruitute, voluptas sine anxietate, longæuitas sine vitæ termino, sapientia sine insipientia, amicitia sine inimicitia, concordia sine discordia, honor sine dedecore, securitas sine timore. Hæc ille. Itaque dos impassibilitatis ex virtute animæ corpus suum potenter continentis promanata, deo vt corpus ipsum à nullo agente exteriore immutari valeat. Vnde beati etiam, si in infernum fortè descenderent nullum illîc vel dolorem, vel cruciatum sentirent. Sequitur dos tertia, quæ est agilitas. Nam vbi spiritus volet ibi statim corpus. In hac misera & graui vita à passerculis & reliquis auibus, imò à nauibus vento secundo impellente, & pluribus rebus alijs celeritate frequenter vincimur, tunc autem sicut angeli de cœlo ad terram dicto citius volabimus. Quod attastatur Esaias dicens. *Qui autem sperant in domino mutabunt fortitudinem, assument*

Lib. 4 de Anima. cap. 16.

3. Agilitas.

Esai. 40.

ment pennas vt aquilæ, current et non laborabunt, volabunt et non deficient. Idem quoque sapiens confirmat dicens: *Fulgebunt iusti & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*. Sapien.3.
Quod fusius explicans Anselmus ait: Nunc partim agiles sumus, sed in hoc etiam à passeribus superamur, sed tunc sicut angeli à cœlo ad terram dicto celerius mouebimur. Lib. de similibus.
Vides enim quãta celeritate ab angelo mortalis homo *Abacuc delatus sit Danieli ex Iudæa in Chaldæam*. Similiter *angelus domini rapuit Philippum, et inuentus est in Azoto postquam Eunuchum Candacis reginæ baptizauerat*. Daniel.14.
Par enim, inquit Anselmus, nobis erit velocitas quibus promissa est æqualitas. Idem confirmare velle videtur apostolus dicens, *quod in ictu oculi resurrectura sint corpora*. Eadem de agilitate corporum etiam Hugo de S. Victore scribens in libris de Anima: Veloces, inquit, sunt beati, quia vbicunque esse vult spiritus, ibi est & corpus, oẽs securi sunt de tali vita, de tãta sapientia, de tãto amore, de tanto gaudio, de tanta velocitate, ꝙ nullum finem, nullam diminutionem, nullum detrimentum habebunt. Quarta dos erit claritas septupliciter maior, quam nunc in mũdo solis est, & ad hæc peruia in modum vitri. Hanc enim promisit Christus dicens. *Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum*. Acto.8. 1.Cor.15. Li 4.ca.15. 4.Claritas. Matt,13.

Quan-

Esai 30. Quanta autem solis erit claritas, post iudicij cui tunc in splendore pares erunt iusti Esaias scribens: *Erit, inquit, lux Lunæ, sicut lux Solis, et lux Solis septempliciter, sicut lux septem dierum. Reformabit*, itaque vt Paulus scribit, *corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis qua potens est sibi insubijcere omnia*. Claritas Philipp. 2. hæc ex lumine animæ transparebit in corpus, sicut lux lampadis totum templum, vel sicut candela cameram illuminat. Quam sententiam fusius explicans August. Imperabit, Lib. 19. de ciuit. dei c. inquit, Deus animæ, & anima corpori tanquam obedienti. Erunt itàque corpora gloriosa peruia vt vitrum, & clara vt aurum, & licet claritas corporis gloriosi excedat claritatem solis, non tamen offendet visum, sed summè demulcebit; quamobrem non immeritò claritas illa comparatur *claritati lapidis*, qui lapis maximè visum delectat. Et Apocal. 21. iterùm idem Augustinus: Quæri solet, inquit quomodo post resurrectionem atque immutationem corporis, quæ sanctis promittitur cogitationes nostras videre possimus. Coniectura itaque capienda est, ex ea parte corporis quæ plus habet lucis. Et quoniam angelica corpora qualia nos habituros speramus, lucidissima atq; ætherea esse credendum est, & multi motus animi nostri nunc agnoscuntur

Tomo 4. lib. 8. quest. quest. 47.

cũtur in oculis; ꝓbabile eſt quòd nullus motus animi latebit, quò totũ corpus fuerit æthereũ, in cujus comparatione oculi iſti caro ſunt. Cœterũ quanquam tanta erit corporum beatorum claritas, non tamen erunt omnes in claritate æquales *Alia enim*, vt Paulus ait, *eſt claritas ſolis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum, & ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ita erit & reſurrectio mortuorum*. Cùm enim gloria corporis procedat à gloria animæ, ſeq̃tur quòd qui maius habebit meritum in hac vita, in illa vita habebit maiorem gloriam animæ, & per conſequens etiam ex anima maiorem gloriam corporis: atque ita in corpore glorioſo recognoſcetur gloria animæ. In hac corporum beatorum deſcriptione copioſus valdè eſt Anſelmus, quem breuitatis ergò prętermus. Et hactenus de dotibus corporis vniuerſim: nunc ad dona ſingulorum ſenſuum exteriorum progrediamur. Quia quædam pertinent ad corpus ſpecialiter. Nam ſummè delectabitur viſus in conſpiciendo & vidẽda, videlicet Chriſti humanitate deitati vnita primùm, deinde Mariæ ſublimitate, tertio ſociorum gloria, atq; tandẽ loci amœnitate, quia puriſsimus, clariſsimus, latiſsimus eſt. At ne videamur dicere tãtùm, & nó ꝓbare, de ſingulis hiſce ſcripturã ſacrã proſe-

1. Corin. 15.

Li. de ſimilitudinib9, cap. 47. 48. 49. 50

Senſuum corporis peculiaria gaudia.

1. Viſus.

Esai 33. proferamus. Imprimis de videndo Christo loquitur Esaias: *Regem in decore suo videbunt.* 1. Petri. 1. *In quem*, inquit Petrus, *desiderant angeli prospicere*; videlicet propter ineffabilem eius pulchritudinem. De quo aspectu loquebatur Psalm. 15. Dauid, dum diceret: *Implebis me lætitia cum vultu tuo.* Quis fando inenarrabilem lætitiam explicet, imò corde concipiat gaudium, quod habebunt sancti quando videbunt fratrem suum secundum carnem verum quoque Deum esse. Hoc futurum ita esse, Iob firmiter credidit quando dixit: Credo quod redemptor meus, &c. & in carne mea videbo Deum saluatorem meum. Tunc ergo Apoc. 22. implebitur illud quod scriptum est. *Serui eius seruient illi et videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum.* Ex illis seruis Abacuc. 3. vnus est propheta Habacuc qui dicit. *Ego autem in domino gaudebo, et exultabo in domino Iesu meo.* De videnda sanctæ Marię virginis sublimitate cincta nouem angelorum choris, quis addubitet. Si enim Salomon regno inauguratus ad se ingredientem videns *matrem suam Betksabea* surrexit è solio suo in 3. Reg. 2. occursum eius adorauitque eam, positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dextram eius, dixitque ei Salomon; pete mater mea, neque enim fas est vt auertam faciem tuam: qua putas sublimitate matrem suam Chri-

Christus dignabitur, cui pater cęlestis dixit: *Veni sponsa mea, veni de Libano coronaberis.* Canti 4.
Ohe quanta claritate radiabit illa virgo mater intacta, quantum mundus eius virgineus pascet oculos beatorum dum videbût quòd: *Astitit regina à dextris Christi in vestitu deaurato circundata varietate.* Psalm. 44. Iam de conspicienda sociorum gloria in cœlo imprimis loqui videtur Esaias. *Laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt.* Esai. 35. De quibus beatus Augustinus latius sic scribens: Super hęc oĩa, inquit est consociari angelorum & archangelorum cœtibus, thronis, & dominationibus, principatibus, potestatibus, omniumque cælestium & supernarum virtutum cõtubernijs perfrui, & intueri agmina sanctorum splendidius syderibus micantia, patriarcharum fide fulgẽtia, Prophetarum spe lætantia, apostolorum in 12. tribubus Israel orbem iudicantia, martyrum purpureis victoriæ coronis lucentia, virginumq; choros candentia serta gestantes, inspicere. Serm 1. de festo omnium sanctorum. De rege autem qui horum agminum medius sedet, dicere vox nulla sufficit, effugit enim omnem sermonem, atque sensum humanę mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa magnificentia, illa maiestas: vltra omnium sanctorum est gloriam ipsius inæstimabilem adipisci cõ

In Manuali, cap. 16. ſpectum. Idem Auguſt. alibi: O felix iucunditas, & iucunda felicitas ſanctos videre, cũ ſanctis eſſe, & eſſe ſanctum, deum videre, & Deum habere in æternum, & vltrà. Hæc ſedula mente cogitemus, hæc toto deſiderio deſideremus, vt ad eos citò peruenire valeamus. Hæc ille. Tandem de conſpicienda loci amœnitate, quia puriſsimus, clariſsimus, & latiſsimus eſt, vt aliquid dicamus, illud in primis ſciamus, oportet, quòd ex empyreo cælo ſancti contemplabuntur præſentem mundum expurgatum & innouatum, è cuius aſpectu incredibiliter accreſcet illorũ gaudium. Nam ſublatis impijs, ne videant gloriam Dei, & iuſtis ſingulis iuxta gradum ſuum inſertis angelorum ordinibus fiet perfecta mundi purgatio & innouatio, quæ, donec detrudantur impij in infernum, compleri non poteſt. Differt autem à purgatione innouatio, quia purgatio erit pœnalium qualitatum detractio, & elementorum ab impuritate ad puritatem mutatio. Sed innouatio erit pulchrioris formæ in elementis inductio. Rerum enim mutabilitas, putà frigus, æſtus, grandines, fulgura, tonitrua, & omnis alia cæli iniuria & incommoditas penitus interibunt, ipſa verò elemẽta expurgata permanebũt: ſed & innouabuntur, quãdoquidem tota terra planabitur, & erit ſicut para-

paradisus, aër enim multò clarior erit quàm nunc sit, nec impresſiones atque mutationes patietur quas modò sustinet, nullaque corruptione polluetur. In aqua & igne pelluciditas multò clarior quàm nunc est, erit. Porrò cælestes orbes quia nullam habent impuritatem, nulla purgatione indigebunt, proindè innouabuntur tantùm, & non purgabuntur. Innouatio autem eorum erit à statu veteri ad nouum commutatio. In quo duo fiẽt nam cessabit motus illorum, & splendorem recipient ampliorem, siquidem sol stabit in Oriente, luna in Occidente, vbi creata sunt ab initio, & ibi sine fine manebunt. Hactenus enim motus cælorum ordinatus est ad complendum numerum electorum, quo cõpleto cessabunt moueri, perinde atq; ea quæ sunt ad finem, habito fine cessant. Cessante cæli motu, cessabit omnis alteratio, & generatio, & corruptio. Cessabit & tempus quod sequitur cæli motum, &, vt est in Apoc. *tempus non erit vltrà*. Hæc autem omnia sic expurgata & innouata suæ lucis perspicuitate electorum oculos demulcebunt, plurimùm suprà quàm dici posset. Itàque locus tunc expurgatus & innouatus erit multò purisſimus, teste Ioanne, qui dicit: *Et vidi cælum nouum & terram nouam: primum enim cælum, & prima terra abijt, & mare iam non est.* Apocal.10. Apocal.21. Ibidem.

 Et

Et vt in eodem capite habetur multò clarissimus erit locus ille, quia: *Ciuitas illa non eget sole neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus.* Iam quòd & latissimus erit idem locus, ab exclamatione prophetæ possumus discere, qui dicit: *O Israhel quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius.* Videbunt & beatorũ oculi damnatos, cæterùm nulla inde tristitia, nullo dolore, nulloque pauore concutietur, sed gaudebunt & gratias agent diuinæ clementię, quod tantos cruciatus sua gratia effugerit. Sed de visus gaudio multa satis, nunc ad auditum pergamus. Auditus summè delectabitur in audiendo laudẽ dei, cócentum angelorum, iubilum sanctorum. Hęc tria ad longum exponit B. Aug. dicens, Sonant ibi semper melliflua hymnorum organa. Vide etiam eundem in Psalmum: Quàm dilecta, (amabilia) tabernacula tua Domine virtutum concupiscit & deficit anima mea in atria Domini: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Tunc enim, vt est in alio Psalmo, *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exultationes Dei in gutture eorũ.* Tũc complebitur id, de quo Ioannes scribit: *Posthac audiui, ait, quasi vocem tubarum multarum*

Baruch. 3.
2. Auditus.
In Manuali, ca. 6.
Psalm. 83.
Psal. 149.
Apocal. 19.

tarum in cælo dicentium Hallelu-ia: Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius, & qui timetis Deum pusilli & magni. Et audiui vocem quasi tubæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium, Hallelu-ia: quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens. gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se. Sed quia huius iubilj nullus est finis, transeamus ad odoratum. Nam summè delectabitur odoratus ex fragrantia corporis Christi, corporum sanctorum, & ipsius loci, nempè cæli empyrei, & mundi innouati. Christus enim qui est vitis vera, cuius pater Agricola est, verissimè de se dicere poterit, quod ipse diuina existens sapientia, de sapientia Iesum Syrach scribere fecit: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Beata virgo Dei genitrix superbenedicta mater Christi ex eodem libro & capite, de suo corpore dicet: *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris*: Reliqui porrò sancti de suis corporibus quid dicant, nisi quod ex Osea de eis canit Ecclesia: Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te. De empyreo cælo, & mun-

3. Odorat.

Ioan. 15.

Eccles. 24.

Ibidem.

Oseæ 14.

mundi innouatione iam ante locuti sumus, quapropter ad sensum gustus progrediamur. Nam gustus in sapore percipienti dulcissimo summè delectabitur. Adhærebit enim eorum palato humor quidam, non quidem vt alat aut potet, quia nec esurient nec sitient vnquam, sed vt delectet, in quo inuenient omnem saporem suauissimum. Et quod erat manna filijs Israhel, cuius gustus erat quasi similæ cum melle, hoc erit beatis ille gustus, quem gentiles dixere ambrosiam, nectarque, id est, cibum & potum Deorum. De quibus videtur loquutus Dauid, dicens: *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo.* Et rursum: *Inebriabuntur ab hubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ.* Iam ad tactum veniamus. Tactus denique in mutuo pacis osculo ipsius DEI incarnati, & sanctorum summè delectabitur. Si enim Simeon cum in vlnas suas adhuc mortalis mortalem suscipiens, optauit dimitti in pace, absolui à corpore, vt cum ipso æternaliter esse posset, totus in dulcedinem raptus: si etiam *mulieres mortales immortalem pedibus contrectare permissæ sunt*, imò si & puerulos ipse tam amanter

4 Gustus. Exod. 16. Psalm. 33. Psalm 35. 5. Tactus. Lucæ 2. Matt. 28. Matt. 19. Marci 10.

com-

complexus est, dicens: *Sinite paruulos venire ad me, talium enim est regnum cælorum.* multò sanè amabilius & ipse suos amplexabitur sanctos, & se osculari permittet. Sicut enim in hac vita ex naturali pietate Maria virgo amplexata est Elizabet, & ex syncero amore parentes filijs, & alieni infantulis oscula figunt, ita etiam in cœlesti patria amplexus erunt, & oscula inter parentes, amicos, cognatos, & notos, vt dicit Chrysostomus, & salutabunt se mutuò (vt vult Paulus) in osculo sancto.

Lucæ.1.

In serm. de om. sanctis

1. Corin.16

Atque vt finem faciamus, nulla facundia exprimat, quantæ voluptatis, sed castæ futurus ille sit contactus mutuus. Sicut enim ferrum qualibet sui parte, dum candet, continet ignem, sic & corpora beatorum plena voluptatis erunt. Ad quam nos perducant pater, & filius, & spiritus sanctus,

AMEN.

Eccles. 7. IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET.

CONCIO XXIII.

De corporum gaudijs.

HEsterno sermone animorum gaudia primùm, deinde corporum tam omnibus eorum membris communia, quàm singulis eorum sensibus exterioribus propria, quoniam diffusè satis è sacris litteris demóstrauimus, superest vt eodem methodo explanemus, quænam coniunctim ad vtrunque corpus, videlicet & animum gaudia spectent; ac deinde quænam illa sunt quæ desiderium cælestium gaudiorum in nobis excitare, & inflammare possint, ostendamus: Quæ omnia vt quàm optimè faciamus, sancti spiritus consilium & auxilium inuocemus, & virginem matrem salutemus, dicentes:

AVE MARIA.

Quoniam vniuersa gaudia cælestia à deo erunt, Deus autem æternus, continuus, abundansque est, fiet vt in gaudijs quæ ad vtrunque videlicet, corpus & animā pertinebunt, futura quoque sit æternitas perseuerans, continui-

tinuitas non cessans, & abundantia nullo carens. De quibus dulcissimum atque clarissimum conscripsit Beatus Gregorius sermonem, cuius verba hîc ad longum recitare libet: Pascua inquit, electorum sunt præsens vultus Dei, qui dum sine fine conspicitur, mens sine fine vitæ cibo satiatur. In istis pascuis de æternitatis satietate lætati sunt, qui iam laqueos voluptuosæ temporalitatis euaserunt. Ibi hymnidici angelorum chori. Ibi societas supernorum ciuiũ. Ibi dulcis solennitas à peregrinationis huius tristi labore redeuntiũ. Ibi prouidi Prophetarum chori. Ibi iudex Apostolorum numerus. Ibi innumerabilium martyrum victor exercitus, tantò illîc lætior, quantò hîc durius afflictus. Ibi confessorum constantia præmij sui perceptione consolata: ibi fideles viri, quos à virilitatis suæ robore voluptas sæculi emollire non potuit. Ibi sanctæ mulieres quæ cum sæculo & sexum vicerunt. Ibi pueri qui hîc annos suos moribus transcenderunt. Ibi senes quos hîc & ætas debiles reddidit, & virtus operis non reliquit. Quæramus ergo fratres charissimi hæc pascua, in quibus cum tantorum ciuium solennitate gaudeamus. Ipsa nos lætantium festiuitas inuitet. Certè sicubi populus nundinas celebraret, si ad alicuius Ecclesiæ dedicationem denun-

Homil. 14. super euangelia super illud: Ego sum pastor bonus, domi. 2. post. Pasch.

Aeternitas perseuerãs.

ciata ſolennitate concurreret, feſtinaremus omnes ſimul inueniri, & intereſſe vnuſquiſque ſatageret. Graui ſe damno afflictū crederet, ſi ſolennitatem communis letitiæ non videret. Ecce in cœleſtibus, electorum ciuium lætitia agitur, viciſsim de ſe omnes in ſuo conuentu gratulantur, & tamen nos ab amore æternitatis tepidi nullo deſiderio ardemus, intereſſe tanta ſolennitati non quærimus, priuamur gaudijs, & læti ſumus. Accendamus ergo amimum fratres, recaleſcat fides in id quod credidit. inardeſcant ad ſuperna noſtra deſideria, & ſic amare iam ire eſt. Ab internæ ſolennitatis gaudio nulla nos aduerſitas reuocet, quia & ſi quis ad locum propoſitum Ire deſiderat, eius deſiderium quælibet viæ aſperitas non immutat. Nulla nos proſperitas blandiens ſeducat, quia ſtultus viator eſt qui in itinere amœna prata conſpiciens, obliuiſcitur ire quo tendebat. Toto ergo deſiderio ad ſupernam patriam animus anhelet, nil in hoc mundo appetat, quod conſtat quia citius relinquat, vt ſi cœleſtis paſtoris veraciter oues ſumus, quia in viæ delectatione non figimur, æternis paſcuis in peruentione ſatiemur, præſtante Domino noſtro IESV CHRISTO, qui viuit & regnat in vnitate ſpiritus ſancti DEVS per omnia

ſæcu-

sæcula sæculorum Amen, Hactenus Gregorius. Sanè huius æternitatis perseuerantiam nunquam quamdudum hîc sumus, cognoscere poterimus vt nobis attestatur propheta Iob dicens. *Ab omnipotente non sunt abscondita tempora, qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius*. Ac si dicere velit: Ipse quidem omnipotens DEVS vidit omnia hominum tempora atque ætates, sed qui ex hominum cœtu nouit eum per fidem videlicet, cognoscitque eum æternum esse, is tamen dies æternitatis eius, seu æternitatem ipsam necdum cognoscit; qualis enim sit eius æternitas sine præterito ante sæcula, & sine futuro post sæcula, sine tempore longa, & sine præstolatione perpetua, dicimus quidem sed non intelligimus. Quod ergo legimus apud Danielem. *Potestas eius, potestas æterna quæ non auferetur*, Et rursum apud Micheam: *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis*. Et in alio propheta: *Inclinati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius*. Et quod ait Petrus. *Ipsi gloria & nunc & in diem æternitatis Amen*. Hęc quidē omnia de ęternitate legimus, sed re ipsa & in effectu nōdum intelligimus, donec ad ęternitatem

Iob.21.

Daniel.7.

Micheę.5.

Habacuc.3.

1.Petri.3.

tatem perſeuerantem perueniemus. Iam vt
Continuitas nō ceſsans. de continuitate gaudiorū aliquid dicamus,
in hoc ſæculo quod caret alterna requie durabile non eſt. Et, vt Comicus ait. Omnium
rerum vicifsitudo eſt. Qua de re elegantem
Legenda. Lōbardica dedit quondam ſimilitudinem ſanctus *An*thonius, cuius vitam beatus conſcripſit Athanaſius: Anthonium quidam ſagittarius
fortè præteriens cum fratribus ruri gaudentem conſpexit, eiuſque leuitatem deſpexit.
Cui Anthonius. Heus ait, ô bone, arcū tuū
intende, & impoſitam eiaculare ſagittam.
Cumque ſecundo & tertio vt idem faceret,
rogaret Anthonius ſagittarium, hic reſpondit; bene quidem tu dicis, ſed tam frequenti
intenſione arcum meum ego expectatione
tua citius fregero. Cui Antonius: Sic eſt in
opere Dei, quoniam ſi ſupra menſuram ten-
Ioan 6. dere vellemus, citius frangeremur. Ita & ſeruator noſter ſtrepitum turbæ aliquoties fugit, & ſubijt, in montem in locum deſertū di-
Marci.6. cēs, *Venite in locū deſertū & requieſcite puſillū*.
Cœterùm multo aliter erit in cęleſti patria,
vbi nulla erit delaſſatio terreni corporis ibi
enim cæleſtia animalia requiem non habe-
Apoc.4. bunt die ac nocte dicentia: *Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus Deus omnipotens*. Gaudium
Ioan.16. enim ſine ceſſatione continuum eſſe debet,
alioquin non eſſet plenum neque perfectū.
Et

Et hoc est quod Christus discipulis promittit, dicens: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Tertio denique in gaudijs cœlestibus abundantia nullo carens erit. Sicut enim sub tempora regis Salomonis Dauidis filij omnium rerum mundi putà auri, argenti, lanæ, farinæ vini, olei, lignorum, & omnium denique copia rerum fuit, ita etiam prophetauit de regno Christi veri Salomonis seu pacificatoris futuram omnium bonorum affluentiam. Orietur, inquit, in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec auferatur luna, id est semper in æternum. Et sub typo terrenæ Hierosolymæ iterum monet nos Dauid, de cælesti Hierosolyma prophetans. *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, et abundantia diligentibus te: Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* In cęlestibus ergo illis mansionibus ac turribus omnium bonorum gaudiorum exuberantissima erit copia. Atque hoc indicare voluit Christus quando dixit. *Omni habenti dabitur, et abundabit, ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.* Habenti enim in hoc mundo, hoc est, rectè vtenti donis gratiæ diuinæ, adijcientur talenta plura & abundabit in regno cœlorum, sed abutenti etiam ea quæ videtur habere adimentur. Itàque, vt ait

Abũdãtia nullo carens.

Psal 71.

psal. 121.

Matt. 25.

2. Cor. 8.

2. Corin 1. vt ait Apost. *sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Est & aliud secundo. quod vtrunq; & corpus & animam iusti in æterna, continua, exuberantique illa gloria, lætificabit gaudium, nempè societas multa; non quidem respectu damnatorum multa, sed multa numero beatorum, veluti scribens Ioannes. Post hæc, inquit, *vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et lingiuis stantes ante thronū, & in conspectu agni, amicti stolis albis, et palma in manibus eorū.* Quemadmodum exclamat Bernardus O ciuitas cœlestis, mā sio secura, patria fertilis & ampla, totum continens quod dilectat, populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes. *Quam gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, sicut latantium omnium habitatio est in te.* Omnes lætantur in lætitia, & exultatione, Hæc Bernardus. Iam quemadmodum societas tam ex angelis quam ex beatis hominibus collectá, prorsus innumerabilis erit. Angelorum enim *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei;* cogita nunc quanta hominum beatorum ibi multitudo futura sit, imò recogita quod eorum nullus planè sit numerus, quem in hoc

Societas beatorum.

Numerosissima.

Apocal. 7.

Lib. Meditatio. ca. 4.

Psalm. 86.

Daniel. 7.

hoc ſeculo numerare queamus. Ad eundem
planè modum hæc ſocietas multò erit nobi- Nobiliſſima.
liſsima. Illa enim cœna magna, non erit mi-
nor aut vilior aula, & *conuiuio Aſſueri, ad* Heſter 4.
quod nullus admittebatur ſacco, aut ruſtica ve-
ſte indutus, & ſanè nobiles eſſe, maximè opor
tebit, vbi Chriſtus ipſe ſponſus & miniſter
menſæ erit, velut ipſe atteſtatur: *Ego*, inquit, Luc. 12.
diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus re-
gnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam me-
am. Quid ni nobiliſsimos illos appellabimus
eos cõuiuas, qui filij Dei vocabũtur, ſicut di-
cit Apoſtolus: *Gloriamur in ſpe filiorum DEI.* Roma. 5.
Quos iterum Paulus alloquens, in epiſtola Epheſ. 2.
ad Epheſios ſcribit: *Iam non eſtis hoſpites &*
aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici
Dei. Quòd, amâbo, præclarius nobilitatis e-
logium, quàm vt filij Dei nominemur & ſi-
mus, hóminibus contingere poſsit. Erit in-
ſuper hîc nullus in rege noſtro faſtus, nulla
inter aulicos inuidia, nulla ſubreptio hono-
ris aut dignitatis. Manebit ſua cuique digni- Familiariſſima.
tas, & cum Imperatore cæleſti maxima fa-
miliaritas.

Videbimus eum, inquit Ioannes, *ſicuti eſt.* 1. Ioan. 3.
Atq;, vt ſcribit B. Bernardus, patebunt arca-
na diuinitatis, videbitur & amabitur De-
us, & hæc viſio & delectatio totum

cor hominis implens & satians, tota erit illius beatitudinis consummatio. Vna erit omnium lingua, iubilatio indefessa, vnus affectus, amor æternus. patebit veritas implebitur charitas, & erit integra corporis & animæ societas angelorum & hominum vnum erit gaudiũ, vnũ colloquiũ, vnum cõuiuiũ. Hæc Bern. Ad hęc tandẽ societas hæc erit pacifica & pulcherrima. Quomodo enim nõ pacifica esset ea beatorum respublica, vbi nullus appropinquare poterit hostis externus, nullus seditiosus internus. De qua amabili concordia & delectabili pulchritudine exclamans Dauid propheta. *Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiscit anima mea in atria domini: Beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Non Thessala tempe, non horti Alcinoi, viridiores aut amœniores antè fuerunt. Erit tertiò & aliud quod vtrunque corpus videlicet & animam lætificabit, nempè vita sanctissima sine omni affectione carnali. Quod confirmãs seruator, respondit ad quęstionem quandam ei à Saducæis propositã. Quæstio erat: Magister Moses dixit. *Si quis mortuus fuerit non habens filium, vt ducat frater eius vxorem illius, et suscitet semẽ fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres, et primus vxore ducta defunctus est, et non habens semen*

Pacifica. Pulcherrima.

Psal. 83.

Vita sanctissima.

Matt. 22.

Deuter. 25

men reliquit vxorem fratri suo. Similiter secundus et tertius vsque ad septimum. Nouissimè autem omnium et mulier defuncta est. In resurrectione ergo cuius erit de septem, vxor? omnes enim habuerunt eam, Respondens autem Iesus ait illis: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei, in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo. Qua de re quoque B. August. scribit. Nonnulli, inquit, propter hoc quod dictum est. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in virum perfectum; & mensuram ætatis plenitudinis Christi, et conformes imaginis filij Dei,* nec in sexu fœmineo resurrecturas fœminas credunt, sed in virili omnes aiunt, quoniam Deus solum virum fecit ex limo, fœminam ex viro. Sed mihi melius sapere videntur, qui vtrunque sexum resurrecturum esse non dubitant, Non enim libido ibi erit quæ confusionis est causa. Nam priusquam peccassent nudi erant; & non confundebantur vir & fœmina. Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura seruabitur. Non est autem vitium sexus fœmineus, sed natura, quæ tunc quidem à concubitu & à partu immunis erit. Erunt tamen membra fœminea non accommodata vsui veteri, sed decori nouo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia (quæ nulla erit) sed Dei laude-

De ciuita. Dei lib. 22. cap 17.
Ephes. 4.

tur sapientia atque clementia, qui & quod non erat fecit, & quod fecit à corruptione liberauit. Et paucis interiectis, idem eodem capite scribit. Qui ergo vtrunque sexum instituit, vtrunque restituet. *E*t citans ibidem verba Christi, contra Sadducæos Paulo antè citata. Et quũ aptus, inquit, esset locus vt diceret, de qua me interrogatis, vir erit ipsa non mulier, non hoc dixit, sed dixit. Neque nubent, neque vxores ducent, sed erunt sicut angeli in cœlo. Aequales vtique angelis immortalitate & felicitate; non carne, sicut nec resurrectione, qua non indiguerunt angeli, quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergo Dominus negauit in resurrectione futuras esse non fœminas. Imò etiam futuras esse illîc fœminas, confirmauit dicendo. Non nubent, quod ad fœminas pertinet; neque vxores ducent, quod ad viros. Erunt ergo vtrique, qui vel nubere hic solent, vel vxores ducere, nempè mares & fæminæ, sed ibi hoc non facient. Hæc *A*ugustinus. Erit igitur illîc vita sanctissima, sine omni affectione carnali. Erit & vita angelica sine cibo cor-
Tobic.12. porali. De quo angelus Raphael ait ad Tobiam. *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor*, Sed de ci-
bo

bo & potu beatorum diximus in calce, hesterni sermonis dum de gaudio sensus gustatus egimus. Erit verò etiam vita beatorum regia, sine seruili subiectione, & denique Deo plenissima, sine amore mundano. De qua vita beata sanctus August. O tu, inquit, vita quam præparauit Deus his qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta. &c. Et idem August. Felices, ait, qui de naufraga præsenti vita ad tanta gaudia iam peruenire meruerunt, infelices nos miseri qui per huius maris fluctus, & procellosas voragines trahimus nauem ignorantes viam, per quam ad salutis portum peruenire valeamus. porrò iam ad alia quæ circa beatitudinem versantur, explicanda nos conferamus: diximus enim initio primi de beatitudine sermonis, quatuor præcipua esse capita quæ nobis quartum nouissimum meditanda proponit. Quoniam ergo prima duo absoluimus, iam tertium enarremus. Tertiò igitur meditanda proponuntur quædam, quæ desiderium cœlestium gaudiorum inflammare possunt, quæ potissimum quatuor sunt, nempè DEVS ipse, sancti, locus, & merces, atque singula hec denuo varijs &

Lib. Meditatio: c. 22.

Lib. Soliloqui.

Inflãmantia ad gaudia cœlestia expetenda.

.Deus ui est. ineffabilibus modis. Deus enim ipse sensus nostros & exteriores & interiores tam admirãda afficiet dulcedine, vt incredibile multis videri queat. Primo enim sensus nostros
1.Speculũ. externos ita replebit gaudijs vt futurus sit speculum visu. Quamdudum sumus in hoc
Ecclesi.1. mundo, vt affirmat Salomon, non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Nam auarus plura semper videre concupiscit, nec,
Ecclesi.4. vt ait Salomon, *satiantur oculi eius diuitijs*: Libidinosi hominis oculi etiam nunquam exaturantur aspectu pulchrarum formarum. Sicut legimus senes illos iniquos iudices misisse, vt in iudicium produceretur Susanna.
Daniel.13. Quæ quia venerat cooperta, *iusserunt vt discooperiretur, vt vel sic satiarentur decore eius, erat enim delicata nimis et pulchra specie.* Oculi etiam superborum asiduè nunc huc, nunc illuc deflectuntur, vt vndique honorentur sicut nequissimus & superbissimus Aman
Esther.3. circumflectebat oculos, vt *comprobaret experimento, an Mardochæus non flecteret ei genu.* Adeo est omnis etiam natura hominum semper nouitatis auida & curiosa, vt, sicut *de*
Acto.17, Psalm.16. *Athenensibus* scriptum est, ad nihil aliud vacet nisi aut videre, aut dicere, vel loqui aliqd noui. Itàque non satiatur hic oculus. Sed, inquit Dauid, *satiabor quum apparuerit gloria tua*

sua. Ibi nobis Deus erit speculum in quo videbimus omnia quæ cæli ambitu continentur. Nam teste Sapiente; *Sapientia diuina candor est lucis æternæ, & speculum sine macula.* Sapien 7.
Præterea Deus etiam auditum qui nunquã hic satiatur, adimplebit. Quid dulcius auditu quam est cithara? Nam *quandocunque spiritus domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, et percutiebat manu sua. & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* Si tantum potuit cithara Dauidis quanto plus delectabit ille sonus & illa vox, q̃ audiuit Ioãnes vbi *agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centũ quadraginta quatuor millia habentes nomen ei9, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis; & audiuit vocẽ de cœlo sicut vocem aquarũ multarum, & tanq̃ vocem tonitrui magni, & vox quã audiuit sicut citharoedorum citharizantium in citharis suis.* De qua cithara Dei proximo capite iterum loquitur: *Vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos qui vicerunt bestiam & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei & cantantes canticum Moysi serui Dei, & canticum agni;* Sed trãnseamus. 2. Cithara. 1. Reg. 16. Apoc. 14. Apoc. 15.
Quod ergo attinet ad tertium sensum, Deus erit mel gustui, Proposuit quodam tempore Samson XXX sodalibus nuptialibus 3. Mel. Iudicũ 14.

ſuis problema, quod ſi ſoluere poſſent in-tra ſeptem dies conuiuij nuptialis, ipſe eis daret XXX ſindones & totidem tunicas, ſi non poſſent ſoluere, ipſi tunc ſponſo Samſoni eas dare tenerentur. Quæſtio erat, *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*; quomodo intelligi deberet. Tandem auxilio Dalilæ reſciuerunt, dixeruntque: Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Nam rictum leonis lacerauerat Samſon, in cuius cadauere poſt aliquod dies reperit examen apum, & fauum mellis; de quo comedit, deditque patri & matri ſuæ partem. Ita & Deus, teſte Moſe, *conſtituit populum Iſrael ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra.*

Deut.32.

Si tam dulce eſt mel terreſtre, infinitis ſanè partibus dulcius erit mel cœleſte. Nam diuina illa ſapientia de ſeipſa dicit: *Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum.* Iam vt de quarto loquamur ſenſu odoratus, erit quoque Deus balſamum olfactui. De ſe enim Dei ſapientia dicit: *Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi.* Et poſt pauca: *Quaſi balſamum non mixtum odor meus.* Quinto autem ſenſui tactus videlicet flos erit. CHRISTVS enim verus ani-

Eccleſ.24.
4. Balſamū
Eccleſ.24.

ma

mæ nostræ sponsus dicit: *Ego flos campi, & lilium conuallium*. Et idem alibi: *Flores mei fructus honoris & honestatis*, subaudi profe- runt. Sed ad interiores sensus intellectum & voluntatem atque memoriam introcedamus, ac videamus quomodo & illos Deus oblectabit. Secundò igitur Deus ipse sine fine videbitur ab intellectu nostro, sine fastidio amabitur à voluntate nostra, & sine fatigatione à memoria nostra laudabitur. Vnde beatus Augustinus in Psalmum 83. in quo legitur: *Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te*: Posſident, inquit, Hierusalem cælestem sine angustia, sine pressura, sine diuersitate, & sine diuisione limitum omnes eã habent, & singuli habent totam: magnæ ibi diuitiæ, non angustat fratrem frater, nulla ibi indigentia, quid ergo ibi acturi? In sæcula seculorum laudabunt te. Hoc erit totum negotium nostrum, sine defectu Hallelu-ia. Non vobis videatur fratres quasi fastidium ibi futurum, quia si hoc modo hoc diu dicatis, non duratis, ab illo gaudio necessitas vos auertit. Securi ergo simus fratres, nõ satiabit nos nisi laus Dei. Si deficies ab amore, deficies à laude, si autem amor sempiternus erit, quia illic insatiabilis pulchritudo erit, noli time-

5. Flos. Cant. 2. Eccles. 24

Psalm. 83.

timere ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare. Et iterum alibi idem sanctus August. scribit: Plena, inquiens, & perfecta ibi regnat charitas, quia deus ibi est omnia in omnibus, quem sine fine vident, & semper videndo in eius amore ardent, amant laudant, laudant & amant. Omne opus eorum laus Dei, sine fine, sine defectione, sine labore. Hactenus Augustinus. Ac tot quidem modis intus in animo, & foris in corpore lætificabit, iam quomodo etiam sancti desiderium cælestium gaudiorum in nobis acuãt, audiamus. Sanè sanctorum gaudium quod habẽt ipsi, merito in nobis desiderium beatitudinis accendere debet, quando sanctos consideramus, qui gaudebunt supra se, infra se, intra se, extra se. Supra se quippe de Dei visione lætabuntur, sicut scriptum est: *Regem in decore suo videbunt.* Infrà se lætandi occasionem videbunt de euicto. Nam scriptum est: *Letabuntur coram te sicut qui latantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidant spolia.* Causam quoque secundam lætitiæ infra se habebunt de cæli & aliarum creaturarum pulchritudine: veluti scribit Ioanes: *Vidi cælum nouum & terram nouam primum enim cælum & prima terra abijt, & mare iam non est.* Tertiam quoque lætandi rationem habebunt infra se

Lib Meditat. cap 25.

2 Sãcti ad Beatitudinem nos inflãmant.

Esai. 33.

Esai. 9.

Apoc. 21.

ſe de euaſione inferni. Vnde quilibet eorum gratiarum actionem illam dicet ſcriptam ab Ieſu Syrach: *Liberaſti me, ſecundum multitudinem miſericordiæ nominis tui*, à rugientibus præparatis ad eſcam, & de manibus quęrentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circundederunt me, à preſſura flammæ, de altitudine ventris inferi. Rationem huius gratiarum actionis nomine ſanctorum omnium ſanctus, Dauid reddidit, dicens: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus*. Iam verò & intra ſe ſancti lætitiæ materiem inuenient, de glorificatione putà corporis & animæ. Quod pulchrè ex Paulo Chryſoſtomus demonſtrat, Theodoro lapſo: Contemplare, inquit, cælum, animaduerte permutatum fore habitum totius terræ, nihil enim eiuſmodi, vt nunc eſt, manebit, ſed multò pulchrius erit & præclarius, & quantum plumbo aurū vibrans aëra, tātum hac rerū præſentium ſpecie futurus ille decor illuſtrior erit, quemadmodum B. Paulus ait: *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat: Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum DEI.* Etenim nunc corrup-

Eccleſ. 51. Pſalm. 123. Epiſt. 5. ad Theod. lapſum. Rom. 8.

tionis particeps multa patitur, quæ ferre corpus contingit, tum verò vniuersa hæc reijciet; nobisque exhibebit elegantem, & incorruptibilem pulchritudinem: Hæc Chrysostomus. Rursum Apostolus ait: *In hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cælo est, superindui cupientes.* Extra se denique gaudiorum occasionem habent de iucundissima associatione angelorum & sanctorum. Nullius enim boni sine socio iucunda est possessio Vnde iterum Chrysost. Omnia, inquit, vbiq; occupabit incorruptibilis gloria, & quod omnium longè est maximum, continua fruentur conuersatione cũ Christo, vnà cum angelis, cum archangelis, cum superioribus potestatibus. Et B. Cyprianus: Illîc, inquit, gloriosus Apostolorũ chorus, illîc Prophetarum exultantium laudabilis numerus, illîc martyrum innumerabilis populus ob certaminis victoriam coronatus, illîc virgines quæ concupiscentiam carnis & corporis continentiæ robore subegerunt, illîc remunerati misericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum iustitiæ opera fecerunt, qui dominica præcepta seruantes, ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres, auida cupiditate properemus. Sed iam de tertio, quod nos ad cælestia gaudia in-

2. Corint. 5.

Epist. 5. ad Theod. lapsum.

Lib. de immortalitat.

inuitat, loquamur, & locum ipsum contem plemur. Ibi equidem fulget quod non capit locus, sonat quod non impedit distantia, olet quod non spargit flatus, sapit quod non minuit edacitas, hæret quod non diuellit satietas. Hunc locũ cogitabat toto mentis desiderio Propheta Dauid, quando cecinit: *dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascua ibi me collocauit.* Hic est locus in quo iacens *Iacob in somnis scalam vidit,* & dominum innixũ scalæ promittentem ei terram Chanaan, & seminis sui multiplicationem, ita vt diceret Iacob experrectus: *Verè Dominus est in loco isto & ego nesciebam.* Atque de hoc beatus Bernardus scribit: O ciuitas cælestis, secura mansio, patria totum continens quod delectat, populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes: *O quã gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Omnes lætantur in lætitia & exultatione, omnes lætantur de Deo, cuius aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. Hæc Bernardus, & longè plura similia epiphonemata illîc habet. Sed breuitati studentes, videamus nunc quartũ quod ad cælestia gaudia nos inflammare potest, nempè mercedem, tam magnam, quòd non possit mensurari, tam multam, quòd non possit numerari, tam pretiosam, quod non possit æstimari. Hanc mercedem olim

3. locus ipse nos trahit.

Psalm. 22.

Gene. 28.

Lib. Medi-tat. cap. 4.

Psal. 86.

4. Merces ipsa nos prouocat.

Genes.15. Deus promisit Abrahæ, dicens: *Noli timere, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Hanc Esaias Propheta nobis describit, cuius Esai.64. quoque verba Paulo recitare placuit: *A sae-*1.Corin.2. *culo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus enim non vidit Deus absque te, quæ præ-*Matth.5. *parasti expectantibus te* (siue iuxta Paulum) *nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit deus iis qui diligunt illum.* Imò, sicut Christus dixit. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* At nostra tempora, quæ variarum hæresum ferocissima sunt, spiritus quosdam produxerunt, in hypocrisi loquentes mendacium, asserere conantes, nemini licitum esse mercedis intuitu opera bona facere, sed nos hoc loco altius eam disputationem ingredi nolumus, quia hanc subdolam & fictæ sanctimoniæ doctrinam Lib.Confessionis. cap.73. dæmoniorum satis conuicit Stanislaus Hosius, vnicum hoc indicasse duntaxat contenPsalm.118. ti, quod Dauid etiam mercedis respectu se mandata Dei fateatur obseruasse, dicens: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tu-*Matth.19. *as in æternum, propter retributionem.* Imò neque discipulos suos redarguit Christus, quãdo quid mercedis accepturi esse pro bonis operibus, interrogabant: Ecce, inquit Petrus, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Non dixit Iesus, illicitum esse mercedis

respe-

respectu benè facere, sed dixit, *sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Beatus quoque Augustinus dicit, quod vita æterna est merces bonorum operum, videlicet in fide Christi Iesu factorum. Clarissimè omnium diuus Thomas Aquinas docet, æternam gloriam dari ex meritis bonorum operum in fide Christi factorum, merita verò ex gratia, & gratiam ex diuina volũtate. Largiatur nobis Deus, vt de plenitudine eius oẽs accipiamus gratiã pro gratia, vt donis eius rectè vtamur, vt qui sua dona in nobis coronat, per accepta talẽta lucrari nos faciat vitã æternam, q͂a eiusmodi operarijs gratiam & gloriam dabit Dominus, gratiam dico in vita præsenti, gloriam in futuro. quam nobis concedat qui est benedictus in sæcula Deus Pater, Filius; & spiritus sanctus, Amen.

In Enchiridio.c.107.

Prima secundæ q. 114. art, 3.

Ioan.1.

Matth. 24.

Psalm.83.

IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS MEMORARE, ET CAET.

Ecclef.7.

CONCIO XXIIII.

De triuio salutis æternæ.

POstquam multa super nouissimis quatuor hactenus tandemq́ue quantum capere

po-

poteſt mortalis imbecillitas, de beatitudine multa diximus, hactenus reliquum eſt, vt nouiſsimo hoc ſermone, quæ via ducat ad cœlum beatorum omnium, dilucidè commonſtremus. Quod vt fieri queat per nos apertius, eum qui *via veritas & vita eſt*, imò qui

Ioan. 14.
Ioan. 10.

ipſum *oſtium eſt, per quem ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet*, oremus vt ſancti ſpiritus ſui cōſilium & auxilium nobis elargiri dignetur, atq; vt citius exaudiamur, precum noſtrarū promotricem ſanctam & ſuperbenedictam eius matrem virginem Mariam ſalutemus, dicentes:

AVE MARIA.

Triuium ſalutis.
1. Fides.
Quomodo differūt credere Deo, de Deo, & in Deum.

Via quæ ducit ad cælum, eſt triplex, vel triuium quoddam, quod in illam cæleſtem beatitudinem deſinit. Semita prima, vera fides eſt, ſecunda, firma ſpes; tertia, charitas perfecta. Vera fides eſt credere Deo, de deo, & in Deum? Iam credere Deo, eſt credere veriſsima eſſe quæcunque ille in ſacris ſuis ſcripturis, & oraculis nobis tradidit, & reuelauit. deinde credere de Deo, eſt credere vnum verum eſſe Deum, ſpiritum æternum, & immenſum, qui oculis corporeis videri non poteſt, neque vllo intellectu compræhendi aut explicari, tertiò credere in Deum, eſt omnem fiduciam & ſpem, ex affectu

fectu dilectionis, quo in eum subuehimur, in ipso collocare. *Accedentem enim ad deum oportet credere*, inquit Paulus, & *sine fide impossibile est placere Deo*. Semita secunda est firma spes veniæ, & gratiæ in hoc sæculo, & gloriæ in futuro, de quibus in calce superioris sermonis paucula quædam commemorauimus. Spes enim, sicut & fides, est donum Dei, fides in intellectu infusum, & spes in voluntate infusa, quibus homo inclinatur, disponitur, & permouetur, vt certò credat & expectet æternam beatitudinem auxilio gratiæ Dei, qui dat vt faciamus opera meritoria ad æternam beatitudinem consequendam necessaria. Spes autem gloriæ ex certa expectatiõe æternæ beatitudinis ex gratia & bonis operibus quæ non pudefit, nec confundit in æternum. *Nunc autem* (inquit Apostolus) *manent tria hæc, fides, spes, charitas*, maior autẽ horum est charitas. Atque hæc etiam Dei donum est, teste Paulo, qui scribit, quòd: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Caritas verò potissimum operationem suam ostendit in exercitio & ascensu illius scalæ *octo graduum ad beatitudinem*, quã nobis in Euangelio Christus fabrefecit, de qua Paulus loquuturus, primò loco dicit: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*: Quasi dicat. Sicut prima via seu

Hebr. 11.

2. Spes veniæ, gratiæ & gloriæ.
Ephes. 2.

3. Charitas.
1. Corin. 13.

Rom. 5.

Matth. 5.
1. Corin. 12.

initium viæ est fides, media via est spes, sic
Charitatis viæ finis est charitas. Sed iam ex ordine cha-
grad⁹ octo. ritatis gradus ex Matthæo audiamus, qui sunt, paupertas, mititas, luctus, esuries, misericordia, munditia, pax & patientia. De quibus ex ordine iam disserere fert animus. De
1. Pauptas. paupertate qua loquamur, Christus distin-
Matth. 5. guit, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Sunt pauperes corpore quos egestas, & necessitas aduersæ fortunæ pauperes re fecit esse, sed sunt etiã qui non solum nil habent, sed & nil cupiunt, qui voluntariè diuitijs abrenunciarunt, vt
Philostrat. in vita Apollonij, & Laërt. li. 6. Lactan. li. 3 ca. 23. Crates Thebanus Cynici Diogenis discipulus, qui congestis omnibus facultatibus in massam auri, eandem abiecit in mare, dicẽs: Ego te submergam, priusquam tu me. Sic ipse Diogenes qui dolio suo versatili contentus, Alexandri Magni dona recusauit Tales fuere & alij Philosophi, vt Socrates, &c. Sed nec hi beati, quippe quòd non magnum sit sua relinquere, sed pulcherrimum victoriæ genus est, seipsum vincere, & nosipsos relinquere.
Matt. 16. *Si quis.* n. ait Christus, *vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, & sequatur me.* Spiritu igitur pauper est, quisquis nec honorum, nec diuitiarum appetens est, quisquis nec superbus, nec auarus, sed humilis & sua sorte contentus, &

pecca-

peccata sua, miseriamque agnoscens sibi- Psalm 40.
diffisus à Deo totus pendet. Talis erat Dauid dicens: *Ego autem mendicus sum et pauper:* quum tamen diues & rex esset. Talis erat & Christus, dum de cruce clamauit: *Deus meus, deus meus, quare dereliquisti me.* Humilitatem Matt.27.
igitur Christus in hac scala primum gradũ facit, quia humilitas est fundamentum omnium virtutum, & hæc est illa paupertas spiritus. Cuius quidem paupertatis partes sunt tres. nempè, initium, profectus, & perfectio. Paupertatis initium est aliena non desiderare, sicut scriptum est aliena non desiderare, sicut scriptum est in decalogo. *Non concu-* Paupertatis tres partes.
pisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, Exod.20.
non asinum, nec omnia quæ illius sunt. Pro- Prouer.3.
fectus est propria erogare, sicuti nos admonet Salomon, dicens: *Honora dominum de tua substantia, et de primitijs frugum tuarum da pauperibus, vt impleantur horrea tua satu-* Matt.19.
ritate, et vino torcularia tua redundabunt. Perfectio deniq; paupertàtis, est temporalia cũ cta relinquere, sicut dixit Iesus adolescẽti. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* Huius paupertatis professores & religiosi fuerunt apostoli, quorum omnium nomine confidenter di-

Ibidem. xit Petrus: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te: His accedunt nascentis Ecclesiæ Christiani, qui, vt B. Lucas scribit; quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorũ, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. Quæ paupertas requirit voluntariam, plenamque omnium bonorũ & rerum resignationem, ita vt nulla earum proprietas reseruetur. Atque hîc locum habet celebris illa, & antiquis probata sententia. Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, sed melius est pro intentione sequendi dominum in simul donare, & absolutum à solicitudine cum Christo agere, Atque hęc de paupertate dicta sint iam ad secundum gradum conscendamus, qui est Mititas. De qua Christus, *Beati, inquit, mites; quoniam ipsi possidebunt terram.* Et iterum; *Discite.* inquit Christus, *à me quia mitis sum, & humilis corde.* Cuius quoque mititatis tres sunt partes, nempè initium, profectus, & perfectio. Mititatis initiũ est. malũ pro malo nõ reddere; sicut docet apostolus: *Videte ne quis malũ pro malo reddat, sed sẽper quod bonũ est sectamini in inuicem, & in oĩs.* Profectus, est illata mala patienter ferre. Hoc verbo & exẽplo docuit Christus, Verbo

Ambro. 1. Offi. c. 30

August de bono coniugali.

2. Mititas

Matth. 5.

Matth. 11.

Mitititatis tres partes.

1. Timot. 5.

bo quidem: *Ego autem dico vobis non resistere* Matt.5.
malo sed si quis te percusserit in vnam maxillã
præbe illi et alterã. Exẽplo autẽ quãdo *percus-* Ioan.18.
susin maxillã nõ repercussit, sed suã innocẽtiã Rom.12.
excusauit. Idẽ & Paulus docuit dicens, *Non* Deut32.
vosmetipsos defendentes charissimi, sed date lo-
cum iræ Scriptum est enim. *Mihi vindictã,*
& ego retribuam. Perfectio, est quietem cor- Prouer. 12.
dis ex coniunctis malis non mouere. Nam Ioan.14.
vt ait Salomon: *Non contristabit iustum quid-*
quid acciderit ei. Idem & Christus docuit:
Non turbetur inquit, cor vestrum, neque formi-
det, creditis in Deum, & in me credite. Et quid Iacob.1.
igitur faciam?, Iacobus apostolus docet. *Omne* Iacob.5.
gaudiũ existimate fratres, cũ in tentationes va-
rias incideritis. Imò & amplius aliquid idẽ
apostolus addens, ait: *Tristatur aliquis vestrũ?*
oret. Æquo animo est? psallat. Tertius gradus
est luctus, videlicet ob peccata commissa. 2.Luctus.
Sic Dauid memor, quod *Vriam Hethæum*
gladio filiorum Ammon, per Ioab princi-
pem militiæ iussisset interfici, & cum vxo-
re eius Bethsabee concubuisset dixit: quum 2. Reg 11.
domino psalleret: *Exitus aquarum deduxe-*
runt oculi mei quia non custodierunt le- Matth.26.
gem tuam. Ita & Petrus. Recordatus ver-
bi Iesu quod dixerat, Priusquam gallus can
te t, ter me negabis, egressus foras fleuit ama
rè. Similiter & *mulier quæ erat in ciuitate* Lucæ7.

peccatrix (Magdalena) *stans retrò secus, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat*. Neque duntaxat nostra, sed & aliorum peccata lugere debemus &
1.Reg. 16. pro eis intercedere, vti fecit Samuel, cui dixit dominus: *Vsquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum.* Porrò tres sunt luctus partes, initium, profectus, & perfectio. Luctus initium, est peccati displicentia, ad quam nos, exhortatur Ezechiel. *Recordabimini viarum vestrarum, et omnium scelerum vestrorũ quibus polluti estis, et displicebitis vobis in cõspectu vestro, in omnibus malitijs vestris quas fecistis.* Hæc displicentia est detestatio de peccato commisso, & veteris vitæ odium cum proposito non peccandi de cætero. Ad quæ nos hortantur prophetæ. Imprimis Esaias: *Derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas*. Item Ezechiel. *Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis*, Dolere enim ritè de peccatis nemo poterit, qui non prius ab eis cessauerit. Profectus autem luctus, est pœnitentia. Est autẽ pænitentia, vt ait Ambro, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Atque hæc pœnitentia est secunda tabula post naufragium, quia, teste Hieronymo, Innocentiæ vestem in baptismo perceptam

[Margin notes: Luctus tres partes. Ezech. 20. — Hosius Cõfessi. lib. cap. 46. — Con. Trid. Sess. 14. ca. Contritio. — Esai 55. — Ezech. 18. — In ser. 40.]

ceptam, peccando corruperit, pœnitentiæ remedio reparare poteſt: Prima tabula baptiſmus, ſecunda eſt pœnitentia. Hanc prophetæ prædicarunt, vt: *Conuertemini & agite pœnitentiā ab omnib. iniquitatib⁹ veſtris, et nō erit vobis ad ruinā iniquitas.* Et, *Conuertimini ad dominum Deum veſtrum in toto corde veſtro in ieiunio & fletu:* Fuit quidem vniuerſis hominibus pœnitentia poſt peccatum neceſſaria, ſed ante aduentum Chriſti pœnitentia quanquam egregia virtus erat, ſacramentum tamen non erat, Chriſtus enim ſacramentū pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cum à mortuis excitatus, inſufflauit in diſcipulos ſuos, dicens: *Accipite ſpiritum ſanctum, quorū remiſeritis peccata, &c.* Pœnitentiā prædicauit Chriſtus: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Et poſt Chriſtum apoſtoli: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum* &c. Sed de pœnitentia alibi latius. Perfectio denique luctus, eſt peccata poſteà cauere. Nam vt ſcribit Petrus apoſtolus: *Si refugientes coinquinationem mundi, in cognitione Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, his rurſum implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat eis, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contingit*

Super 3. ca. Eſai: tomo 5. & tomo 1. de virgini. ſeruanda ante medium.

Ezech 18. Iohel 2.

Concil. Triden. Seſ. 14. In principio.

Ioan. 20.

Luc. 13. Acto. 2.

2. Petr. 2.

Matt. 12. Lucæ 11. Prouer. 26. *enim illud veri prouerbij. Canis reuersus ad suum vomitum, & Sus lota in volutabro luti.*

4. Esuries iustitiæ. Sequitur gradus quartus qui est esuries iustitiæ. Acutus gladius fames, panisque & vini, olei, atque carnium similisque annonæ

Psal. 143. egestas *Beatum* inquit Dauid, *dixerunt populum cui hæc sunt*, (verùm) *beatus populus cuius dominus Deus eius.* Neque enim vera

Deut. 8. Matt. 4. felicitas aut beatitudo metienda est ex tēporalibus, quia vt ex Mose profert Christus: *Non in solo pane viuit homo sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.* Aliam esuriem seu desiderium nempè iustitiæ nobis Christus commendat. Aptè enim postquam se humiliat homo & mitis erga proximum est, lugetque & propria & omnium aliorum peccata, desiderat iustitiam, qua

Rom. 5. *iustificati ex fide pacē habeamus ad deū per dominū nostrū Iesū Christū, per quem & habemus accessū in gratiā istā in qua stamus, et gloriamur in spe filiorū Dei.* Vt se pauperem, miserum, peccatorem agnoscens, dolens lugensque è peccatorum cœno in sinum misericordiæ Dei vt erratica ouicula recipiatur, esuriens toto desi-

Esuries iustitię triplex. derio expetat. O famem & sitim felicissimam. Esuries hæc tribus in rebus potissimum, cernitur nempè in studio pro defendēdis honore Dei & Christi, pro defendenda veritate fidei, pro defendendis oppressis in-

iniuste. Ad honorem Deo exhibendam Dauid nos vocat: *Afferte domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.* Tale desiderium & amorem seu esuriem iustitiæ habuit Elias quando interrogauit eum Dominus: *Quid hîc agis Elia? At ille respondit. Zelo zelatus sum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel, altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam.* Hunc zelum habuit Christus quando flagellum de funiculis fecit *eiecitque vendentes & ementes de templo*, tunc recordati sunt discipuli quia scriptum est. *Zelus domus tuæ comedit me.* Similem zelum Paulus habuit quando dixit: *Ego non solum alligari, sed & mori paratus sum in Hierusalem.* Beatus Augustinus narrat regem alienigenã Nabuchodonozor laudibus trium puerorum commotum, statuisse decretũ atq; dixisse: *Quicunque dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, & Abdenago dispereat, & domus eius vastetur:* ex quibus ibi verbis asserit reges huius sæculi teneri, pacatã seruari Ecclesiam, deique zelare honorem. *Regi* ergo sæculorum inquit apostolus, *immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum.* Secundo prætereà esuries iustitiæ

Psalm. 28. 3. Reg 19. Ioan. 2. Psalm. 68. Acto. 21. In ca. Ioã. 3. tractatu. 11. Daniel 3. 1. Timot. 1.

in defendenda veritate fidei agnoſcitur. Ad hanc aſſerendam Chriſtus Pilato ſe natum
Ioan. 18. ait: *Ego* inquit, *in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Ad talem orthodoxæ fidei propugnationem Petrus Apoſtolus animat ſuos diſcipulos, ſcribens: *Dominum autem Chriſtum*
1. Petri. 3. *ſanctificate in cordibus veſtris, darati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt, fide, ſed cum modeſtia, & timore, conſcientiam habentes bonam.* Tertiò denique eſuries iuſtitiæ exhibetur in defenden
Genel. 14. dis oppreſsis iniuſtè. Quid Abrahamum patriarcham protruſit ad arma, niſi *vt oppreſ-*
Eſai. 1. *ſos, captos & abductos, fratrem Loth & filias eius liberaret.* Hoc præcipit Eſaias: *Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillos,*
Zacha. 7. *defendite viduam.* Et Zacharias prophetans, per illos 70. annos captiuitatis Babylonicæ dixit: *Nunquid non hæc ſunt verba quæ locutus eſt Dominus cùm adhuc Ieruſalem habitaretur, & eſſet opulenta ipſa, & vrbes in circuitu eius: Iudicium verum iudicate, & miſericordiam et miſerationes facite vnuſquiſque cum fratre ſuo: & viduam, & pupillam, & aduenam, & pauperem nolite calumniari, &c. & noluerunt attendere, ideò facta eſt indignatio magna à Domino.* Econtrariò qui hæc obſeruant: & iuſtitiam faciunt, atque ab alijs fieri omnibus votis optant;

ptant, esuriunt, sitiunt, hi denique saturabuntur, hoc est, desideriorum suorum compotes fient. Terrenæ diuitiæ non satiant nō minus, quam à febricitantibús, quo plus sūt potæ, plus sitiuntur aquæ. Sed satiabor, inquit Dauid, cum apparuerit gloria tua. Qua de satietate scribens August. Quia, inquit, tù Domine fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Hęc ille. Nec mirum. Quem enim Deus derelinquit, quis eum vel consolabitur, vel exaturabit. Cæterùm, ascendamus porrò in hac scala ad beatitudinem, adhuc gradum altiorem qui appellatur misericordia, de qua dicit Christus: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Misericordia est alienæ miseriæ, teste Augústino, reuelatio. Vbi igitur nulla miseria, ibi non opus est misericordia, sicuti in cælo, vbi nulla erit miseria, quia absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum. Terra autem plena est miseria, ideò docetur hîc misericordia. Multiplex hîc est miseria tam corporalis quàm spiritualis, ita & multiplex est misericordia, de corporali, legimus in Euangelio, nempè *cibare esurientem, potare sitientem, vestire nudum, peregrinum hospitem colligere, infirmum visitare, in carcere positum consolari*: de spirituali misericordia sparsim per

Psalm. 16.

Lib. 1. Confess. ca. 1.

5. Misericordia.

Lib. 9. de ciuit. dei, c. 5.

Apoc. 21.

Matt. 25.

ſcripturas mentionem fieri legimus, vt eſurienti frangere panem verbi Dei, & aqua ſapientiæ ſalutaris potare ſitientem, nudum veſtire virtutibus, infirmum in fide ſuſcipere, ad mortem tractos feruenti oratione eripere, & reliqua, quæ omnia ſeptem hiſce verbis ſignificantur. Corripe ſuade, doce, ſolare, remitte, fer, ora. Sicuti enim Chriſtus vtrunque hominem interiorem & exteriorem ſaluare venit, ita & vnicuique, ſecundú vtrunque hominem mandauit Deus de pro-

Prouerb. 3. ximo ſuo. Propterea Salomon nobis præcipit dicens. *Miſericordia & veritas non te deſerant, circunda eas gutturi tuo & deſcribe in tabulis cordis tui, et inuenies gratiam, & diſciplinam bonam coram Deo & hominibus.* Hæc verò miſericordia ſeu compaſsio tres quoque partes habet initium, profectú, & perfectionem. Initium ſeu primus ad miſericordiam gradus eſt, ad mala proximi non gaudere.

Miſericordiæ tres partes.

Prouer. 24. Vnde Salomon, *Cum ceciderit*, inquit, *inimicus tuus ne gaudeas, et in ruina eius ne exultet cor tuum, ne fortè videat dominus, & diſpliceat ei*: Simile quid nos admonet Sirach: *Noli de inimico tuo mortuo gaudere, ſciens quoniam omnes morimur & in gaudium volumus venire.* Nam, vt Paulus ait, *Charitas non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem*

Eccleſ. 8. 1. Cor. 13.

veri-

veritati. Iam misericordiæ profectus est mala inferenda cauere. Iuxta dictum apostoli: *Nulli malum pro malo reddentes. Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ: scriptum est enim. Mihi vindictam, & ego retribuam*. Propterea Iudæis ne sanguinarij & crudeles tyranni fierent, prohibitum fuit *ne sanguinem comederent*. Tiranni enim rubro vino sanguinem miscent, & bibunt ne horreant effundere humanum sanguinem. De quibus Salomon: *Pedes*, inquit, *currunt ad malum, & festinant vt effundant sanguinem*. Demum misericordiæ perfectio, est ex toto corde compati. Quo nos vocat Petrus apostolus dicens. *Sitis omnes vnanimes, compatientes, fraternitates amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis* Ita affectum se sensit propheta Iob, qui dixit: *Ab infantia creuit mecũ miseratio, et de vtero matris meæ egressa est mecum*. Talis erat quoque apostolus Paulus dicens: *Factus sum infirmis infirmus vt infirmos lucrifacerem*, Et iterum: *Si quid patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra*

Rom. 12. Prouer. 25. Deut. 12. Prouerb. 1. 1. Pet. 3. Iob 31. 1. Cor. 9. 1. Cor. 12.

1.Cor.11. Et denuo: *Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non vror?* Hæc Paulus. Quæ igitur nostra vecordia est fratres, qui Marpesia cautè duriores sumus in miseros, imò facimus, quod assolent canes, qui si vident vnum aliquem canem morderi, & pessundari ab alio, omnes accurrunt, & pessundatum canem fortius mordere pergunt, ita & nos, si vnum aliquem hominem in afflictionem & paupertatem redactum videmus, quidquid adhuc possesionum vsura, rapina, calumnia, & similibus technis detrahimus, & si vel tantulum peccat in nos, eundem opprimimus, & ita, si dijs placet, *Homo* Eccles.28. *homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam.* Hem duritiem nostram. Quomodo ergo nos misericordiam consequemur. *Iudici-*Iacob.2. *um*, inquit Iacobus, *sine misericordia ei qui nō facit misericordiam.* Cæterùm nos ad sextum gradum subleuemus pedem, qui est mundi-6.Munditiescordis. tia cordis, id est, status purgati cordis & ani-Psalm.28. mi. De qua ait Dauid: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo: Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.* Quam munditiem ardenter cupiebat idem Psalm 5. Propheta, dum dixit. *Cor mundum crea in me*

me Deus, &c. Atque hæc quoque munditia tres partes habet, Initium, Profectum, & perfectionem. Initium igitur est omnia peccata dignis pœnitentiæ fructibus punijsse. De quibus ait Dauid: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*. Deinde munditiæ profectus, est conscientiæ fiduciã cordi nostro tribuisse. Talẽ cõsciẽtię fiduciam & testimonium intra se rex Ezechias inuenit, quando orabat iam iam, ex verbo prophetæ mortem aduenturam timens: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, hoc est, vero & syncero corde. Similem fiduciam Paulus habebat quum scripsit: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*, quòd in simplicitate cordis & in veritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo. Itàque charissimi inquit Ioannes, *Si non reprehenderit nos cor nostrum fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus ab eo accipiemus.* Perfectio aũt est testimoniũ Dei in anima recepisse. Iuxta illud: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*, scilicet quòd per eam fidem sit filius Dei, & quod hic videt in spe, tandem visurus sit in re. Vndè sequitur ibidẽ: *Et hoc est testimonium Dei, quoniam vitam æ-*

Munditiæ tres partes.

Psalm. 6.

Esai. 38.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 5.

Ibidem.

ternam dabit nobis. Quid suauius quam videre Deum omnium rerum conditorem, per quem tanquam immensum lumen cognoscemus omnes creaturas. Quid miserius eo homine, qui nihil videt nisi Deum iratum? Quid iucundius quàm videre in decore suo & exultatione? Vis igitur videre Deum, mũda cor tuum lachrymis, contritione, con-

7. Pax, fessione, satisfactione seu emendatione. Sed ascendamus iam gradum proximum, qui est pax. Hæc est triplex, nempè æternitatis, temporis, & pectoris. Prima erit in vita æterna post hanc miseriam. Pax temporalis seu corporis, & pax pectoris interna sunt huius sæculi. Pax temporalis consistit in exteriori hominum amicitia, vt sit eorum idem velle & idem nolle, sicut definit eandem B. Au-

Lib 19. ca 13 de ciuita dei. gustinus, dicens. Pax est ordinata hominum cohabitantium sub vna fide & æterna lege

Genes. 13. concordia. Talem pacem habuit Abraham

Galat. 6. cum Loth. Talis pax fit quando alter alte-

2. Cor. 13. rius onera portamus. Vti nos monet apost. iterum: *Supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Quia dum quisq; suum ius persequitur, contentiones exoriuntur, & summũ ius fit summa iniuria. Quapropter Paulus ait: *Pacem diligite, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Huius quoq; pacis in terra tres sunt partes,

tes, nempè initiũ, profectus, & perfectio. Initium est discordantes pacificare. Sic dixit Abraham ad Loth: *Ne quæso sit iurgiũ inter me & te, inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus.* Rixa erat propter pascua quæ non capiebant gregum eorum multitudinẽ. Ita & *Abigail pacẽ fecit inter Nabal virũ suum & Dauid.* Et Christus inter patrem suum, & nos peccatores rebelles filios eius pacem fecit. Iam pacis huius profectus, est cum inquietis etiam pacem seruare. Qua de re Dauid dicit: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Ad quam quoq; nos Paulus exhortatur, dicens: *Pacem sequimini cum omnibus hominibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Deniq; perfectio in virtute pacis, est etiam motus cordis & corporis nostri omnes quietare. Quam perfectionem qui assequuntur, meritò cubicularij Dei, & filij Dei vocabuntur. Mens enim pacata est lectus dei, teste Dauide qui dicit: *In pace factus est locus eius, & habitatio eius in Syon.* Ad hãc perfectionem nos vocat Petrus: *Non sit*, inquit, *capillatura, aut circundatio auri, aut indumentis, vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in cõspectu Dei locuples.* Et itpa erfectionẽ pacis intelligit B. Aug. scribens in hæc verba: In pace perfectio, est vbi

Pacis in terra tres partes.

Genesi3.

1. Reg 25.

Psal. 119.

Hebr. 12.

Psalm. 75.

1. Petr. 3.

Serm. Domini in monte.

vbi nihil repugnat, & ideò filij Dei pacifici, quia in his nihil Deo repugnat: & vtique filij Dei similitudinem patris habere debent, pacifici in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes & subijcientes rationi, id est, menti & spiritui, carnalesque concupiscentias habentes domitas, fiunt regnum Dei. Octauus denique ad beatitudinem gradus summus est Patientia in persecutione. *Per multas enim tribulationes*, vt prædicabat Paulus, *oportet nos intrare in regnum Dei*. Et idem Paulus etiam discipulo suo Timothæo scripsit, quòd: *Omnes qui piè volũt viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur*. Atque hæc patientia in persecutione triplex est. Quidam enim patiuntur per iustitiam, vt criminosi; quidam contra iustitiam vt gratiosi; quidam propter iustitiam, vt gloriosi. Sed exemplis res fiet illustrior. Homicida, fur, adulter, hæreticus, obstinatus, si quando in manus incidunt, Iudex & Iustitiarius per iustitiam, hoc est, iustas Dei leges eosdem varijs pœnis castigant, etiam quandoque mortis supplicio, iuxta legem Dei quæ præcipit: *Maleficos non patieris viuere*: Idcircò nos præmonet Petrus Apostolus, dicens: *Nemo vestrũ patiatur, vt fur, et homicida, aut maledicus*. Qui tamen ita morientes agnoscunt grauitatem peccati sui, & humiliter

Marginalia: 8. Patientia in persecutione. — Acto. 14. — 2. Timot. 3. — Patientia in persecutione est triplex. — Exod. 22. — 1. Petr. 4.

liter pœnitentes veniam à Deo petunt, mor te illa temporali & confusibili, satisfaciunt Deo & mundo:& per iustitiam ad æternam transeunt misericordiam, & gloriam, à lachrymis temporalibus ad æternum gaudiũ. Contra iustitiam autem patiuntur, qui vel ob pulchritudinem suam, vt Susanna: vel propter pecuniam & nummos, vt mercatores à latronibus vel prædonibus vulnerantur & occiduntur: vel vt innoxij occurrentes quandoque ex improuiso iratis & furiosis potoribus, cæduntur: eiusmodi afflicti sunt gratiosi Deo, quando non reddunt ma lum pro malo, & dant locum iræ, cogitantque, quod bona Dei voluntate permittente affligimur, aut non defendunt se, nisi cum moderamine inculpatæ tutelæ. Itaq; hi vocã tur gratiosi in oculis dei, qa ꝑ tales afflictiones maiorem Dei gratiam impetrant. Cæterum qui propter iustitiam patiuntur, qui propter fidem in Christum, & propter ministerium Christi, vel in sacerdotio, aut aliquo Ecclesiastico gradu alio, diuersis pœnis afficiuntur, aut laici, qui propter septem sacramentorum, vel aliorum fidei articulorum confessionem exulant, spoliantur, vulnerantur, occiduntur. Omnes isti sunt martyres gloriosi, quia propter iustitiam, hoc est, propter Christum patiuntur. Nam cau-

ſa, non pœna (teſte Auguſtino) martyrem facit. Vbi autem ſana fides non eſt, iuſtitia eſſe non poteſt, quia, *Iuſtus ex fide ſua viuit.* Ergo neq; hæretici, neq; ſchiſmatici aliquid ſibi promittant, vel gloriæ vel gratiæ niſi reſipiſcant. Extra charitatem enim moriuntur, qui corpus Chriſti, quod eſt eccleſia, dilacerant. Hæc & plura ibi Auguſtinus.

Atque quis ſit fructus & vtilitas totius de nouiſsimis doctrinæ, ſub finem tertij nouiſsimi diximus ſuprà, quæ repetere hoc loco nihil eſt opus. Si quiſpiam tamen plura, quæ ad hoc ſpectant argumentum, deſideret, ex ſubiecta ſine negocio tabella colliget.

Utinam

Vitam omnes homines

- *Saperent* — *Præterita*:
  - *Commissa peccata* { *Originale.* / *Actualia* } *Multa punienda.*
  - *Omissa bona semper plangenda.*
  - *Tempus Beneficia Dei* { *Naturæ* / *Fortunæ* / *Gratiæ* } *exigenda.* Deut. 32.
- *Intelligerent* — *Præsentia*:
  - *Mundi vanitatem, peccati fœditatẽ.*
  - *Hostis laqueos, propriã fragilitatem*
  - *Christi passionem, & gratiam.*
- *Prouiderent* — *Nouissima*:
  - *Mortis incertæ pericula, horrenda Iudicis summi decreta, tremenda Tormenta, & gaudia nunquam finiẽda, quæ nobis cõcedit qui sine fine viuit, regnat in æternum benedictus Deus Pater, & Filius, & spiritus Sanctus, Amen*

θεῷ δόξα.

Hic commentarius in quatuor nouissima doctissimè conscriptus, nihil quod S. Catholicæ Ro. Ecclesiæ religioni contrarium est, continet: & dignissimus, & vtilissimus, qui imprimatur & legatur, Datum Antuerpiæ, Anno 1577. die 27. Aprilis.

Henricus Zibertus Dunghen, S.T.D.
Can. Antuerp. lib. Censor.

QVATVOR NOVISSIMORVM LIBRI INDEX.

A

B

Beati-

I

L

M.

N.

O.

P.

Qui

Q

R

S

T

Terræmotus

Mendæ per incuriam admissæ.

Fol. 2. pro elegis lege elegans. Ibid. pro cælebratum, lege celebratum folio 35. pro restititionem, lege restitutionem folio 38. tibi autem languorem, lege ante languorem folio 75 est igitur vnde Domino gratiat agam, lege gratias. folio 86. possedi seruos & ancillas, multamque familiam, lege multam què familiam. fol. 87. Holophernes qui temerè fecit, le. tremere fecit. fo. 151. p cōcaleicat, lege cōcalescat cor meum.

meum.folio 154. non sequatur consilium, lege sequātur.folio 194.omnet enim tales, lege omnes. folio 197 pertrahæret liberium, pertraheret lege absque diphtongo.folio 205.hinc sententiæ, lege huic sententię. folio 236. millia millium ministrabunt ei, lege ministrabant. folio 240. amore vel misericoria, lege misericordia.folio 241.apud patrem desc ram, lege deferam.folio 249.& iustus actionib. lege iustis.folio 257.Cur foras stas, lege foris. folio 261.regi Balsasar, lege Balthasar.fol.268.videbunr quibusdam, lege videbimini.fol.296.molliculę tractari, lege molliculè.fol.294.lege exegesim. fol.297. per totum Exodum, lege per totam.folio 297.velit in vixo rius scipio. lege innixorius.folio 310. prodi apud patrem suum regi, lege regem.fol 328. Tunc non gratię, non misericordi, lege misericordiæ. folio 340. vt asperum leue, lege lene.folio 340.iustrumentum verò ipsiius, lege ipsius.folio 366.qui si videant liberari, lege liberali forma.folio 368. vniuersa quæ habes in manu, tua sunt, lege habet, folio 396. nosse posse fieri, lege non posse fieri.

FINIS.

A


A2

522

AD SPIRITVALIS MILITIAE STVDIVM PARACLESIS,

Authore F. Laurentio Cuparo, Carmelitarum Inf. Germ. Prouinciale.

AD REVEREN. AC NOBILEM D. Henricum à Reuſchenburg, Baliuiæ Iuncetanæ Commendatorem Prouincialem, &c.



COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
M. D. LXXXIII.
Cum Gratia & Priuileg. Caeſ. Maieſt.




In Clypeum antecedentem Epigramma.

QVòd sequitur leporem tacito irritatus odore,
Non sibi, sed Domino vertagus acer agit.
Candidæ quòd vario resonant laquearia cantu,
Non sibi, sed Domino tres merulæ ingeminant.
Quòd pedibus flauent, rostrumque est concolor auro,
Non sibi, sed Dominis aurea signa ferunt.
Ira deest naso, magna estque modestia vocis,
Nec sibi, sed Domino hoc laudis inesse docent.
Albus & est animi campus, quando officiosus
Non sibi, sed Domino cuncta minister agit.
Candida de nigris prudens qui seligit aptè,
A Domino seruus munera læta feret.
Sic sua qui primus transmisit ea arma nepoti,
A Domino quidquid nobilitatis habet.

Soli Deo gloria.

REVERENDO, NOBILI, STRENVO, ANTIQVAE

NOBILITATIS DOMINO, D. HENRICO à Reuschenberg, Commendatori Prouinciali Baliuiæ Iuncetanæ, Ordinis B. Mariæ Hierosolymitanæ, DD. Theutonicorum: & Administratori Theutonicæ domus in Sierstorff; Domino in Gemmart, Grutroedt, & S. Petri in Fueren, &c. F. Laurentius Cuperus, S.



Onqueruntur plurimi, vir nobilissime, seculi nostri bellorum ciuilium tumultus, agrorum depopulationes, & extremam hominum paupertatem, sed quemadmodum ipse etiam dicere es solitus, veram eorundem malorum causam nõ æquè oẽs intelligunt, dijudicãt, pronunciant: quibusdam aientibus ex ambitione monarcharũ ista proficisci, alijs asserentib. rapacitatem Principum virorum huiusce tempestatis turbulentissime, vel certè Cleri luxum solum, aut sanè astrorum fata eisdem malis scaturiginem & influentiam dare: quibus equidem suffragari non possũ, quippe qui non fatis, sed generatim nostris peccatis vrgentibus dilacerari nos, scriptura sacra sic me docente censeam. Quid vultis mecum iudicio contendere? omnes me dereliquistis, dicit Dominus. Neque est, quod exitiosissimis Hierem. 2.

 hisce

hisce motibus miraculum aliquod quasi remedium à Domino Deo Opt. Max. expectemus, aut miraculosam liberationem præstolemur. metuo quippe vehementer, ne, vt nec olim apud Galilæos, ita neque nunc apud nos ob nostram infidelitatem & malitiam Christus miracula non possit, nolitq; operari, Non enim poterat ibi virtutem vllam facere, ait Euangelista, nisi apud paucos infirmos, cæterorum omnium admirabatur infidelitatem. Vnicum ego ex malis emergendi, & huius aui perplexissimum labyrinthum euadendi consilium video, vt Iohelem audiamus & sequamur, dicentem: Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, & præstabilis super malitia: quis scit si conuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem? Præstiterit igitur medio itinere recurrere, quàm semper currere malè. Nouit enim Dominus mutare sententiam, si nos velimus mutare vitam: teste Propheta, Derelinquat, ait, impius, viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, quoniam multus est ad ignoscendum. Sed eò tenebrarum hodiè quidam deuenere, vt esse iustis, aut iniustis in nobis situm pernegent: neque enim hominem post peccatum habere liberum arbitrium impudenter clamitant. At esse tamen quædam quodamtenus etiam in peccantium potestate, Dei cohortationes & admonitiones ostendunt: nemo enim hominem hortatur ad non faciendum

Marci 6.

Iohel 2.

Conuersio peccatoris.

Esai. 55.

Liberum arbitrium.

524

mendum, neque ad non sistendum, neque ad volandum, hæc enim in nostra potestate non sunt, vnde quarum rerum à Domino exhortationes sunt, eas (Dei gratia nos excitante atque concomitante) in nostra esse potestate perspicuum fit. *Mandatum, inquit Dominus, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, vt possis dicere, quis nostrûm valet ad cœlum conscendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere compleamus, neque trans mare, vt causéris & dicas, quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsq; deferre, vt possimus audire & facere, quod præceptum est: sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum. Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrariò mortem & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius.* Hactenus verba Domini Dei nostri. Orandus proinde nobis ardenter est Dominus, vti fecit Dauid rex, dicens: *Ne declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis*, vt dignetur Dominus conuertere corda patrum in filios, vt posteri maiorum suorum auitam illam, & priscam pietatem imitari queamus: admiramur enim & optamus eorum prosperitatem, sed non sequimur eorum vitæ sanctissimam simplicitatem: laudamus eorum virtutẽ, sed vt eos oblectemus, pietate efficiemus: sicut ait sapientissimus ille Salomon,

Deut.36. psal.140. Lucæ 1.

Prouer. 10. *Filius sapiēs lætificat patrē, filius verò stultus mœstitia est matris suæ. Quamobrem benignus omnium bonorum dator Deus tibi, vir generose, tuisque fratribus summa laude prosequendus erit semper qui vos non ex obscuris, sed antiqua nobilitate claris parentibus nasci voluit, quo ex proprio sanguine amplectendæ simul & excolendæ virtutis exēpla extarēt, quib. animi vestri ad res præclarè agendas sic extimularentur. Nam parētes vestri Emondus à Reuschenberg, & Philippa à Nesselraedt, hic in Principum Illustrissimorū exornandis aulis, atque præfecturis magno animo obeundis, magna cum laude existens: illa verò domi pietate ac fide erga Deum, boni honestique studio erga homines, ac liberalitate magna in pauperes vobis præluxerūt, et rerū gestarū gloria ipsam quoq;, quam à parentibus suis acceperunt nobilitatem, amplius nobilitarunt. Hæc sunt veræ virtutis incitamenta, & rerum præclarè agendarum stimuli honestissimi, quibus olim etiam moti Romani veteres maiorum suorum imagines, ac statuas in foro pro templis posuêre, titulis fortitudinis in basi positis, quibus conspectis atque perlectis, æmulatione gloriæ excitata iuuentus nullum laborem ac periculum pro salute patriæ recusarent. Unde & Scipio Romanorum verus Hector, se veterum imagines intuentem, ad virtutem, & præclara facinora planè incendi, sæpè dicere solitus erat. Quorum vesti-*

vestigijs insistentes, tuque, fratresque tui Iohannis à Reuschenberg, Dominus in Setterich. VVilhelmus à Reuschenberg Dominus in Rochet, & VVinandus à Reuschenberg Capitularis Archiepiscopalis sedis Moguntinæ Canonicus, licet alia atque alia dignitate, pari tamen studio non subsequi solùm parentes, sed anteuertere, præcurrere & (quod honorificũ est) post vos relinquere conamini. Nam quod ad D. tuam potissimum attinet, quis nescit, quàm sit longè honorificentissimum, & Reipublicæ Christianæ vtilissimum, eiusmodi esse ordinis tui professores, quales fuêre primi illi ex Christi Iesu consilijs euangelicis auctores & professores. Sumpsit enim initium ordo fratrum Teutonicorum Dominorum Hierosolymis, eo tempore quo regnum Hierosolymitanum Gotfridus Bullionius Arduennas Lotharingiæ Dux sacri imperij, Marchio Antvuerpiensis, fauore numinis, quanquam Calipha Ægyptio Principe plurimum repugnante, anno M. XCIX. acquisiuit. Triginta quippe circiter pòst annis primus magnus Magister Ordinis vestri Henricus VValpot, ad opus infirmorum nationis Teutonicæ, ac reliquorum peregrinorum hospitale, in honorem DEI, & gloriosæ virginis matris eius Mariæ erexit, atque assumptis fratribus ensiferis, seu gladiferis, sese publicis vijs repurgandis à latronibus, Arabibus easdem vias obsidentibus,

qui peregrinos Hierosolymam religionis ergò commeantes spoliare, trucidareq; consueuerant, totum deuouit, donec post annos circiter centum ab instituto regno Solymorum Saracenis eandem vrbem recipientibus, viuo adhuc Magistro Henrico VValpot idem hospitale ab Hierusalem in Aconem seu Ptolomaidem Syriæ ciuitatē translatum est, quà vrbe etiam per Saladinum Sultanum Ægypti Christianis erepta, fratres vestri in Germaniam redierunt, & à ducibus Massouiæ, qui sese Prussicæ regionis, barbaræ tamen & infidelis etiamnum dominos dicebant, accepto permissu Fridericum II. Romanorum Imperatorem, atque Roman. Pont. adeunt, & ab ijsdem si Prussiam ad Christianismum conuerterent, perpetuò possidendam acceperunt, & mox Ordinis sui signa, quorum campus albus recta cruce nigra decoratus constat, per vniuersam Prussiam circumcirca Dei Optimi Maximi adiumento victricia tulerunt, fixeruntq́ue; & barbaram gentem ad CHristi iugum adduxerunt. Quia igitur vestra militia et corporalis & spiritualis est, nec corporalis sine spirituali rectè consistere potest, hanc ego breuem paraclesim tibi, tui ordinis antesignano & Commendatori prouinciali per Iuncetanam ordinis Teutonici societatem, offero & dedico, non quod eadem admodum tibi sit necessaria, aut in syluam ligna ferre velim, sed vt per te hanc tam clerici,

quàm

quàm equites fratres tui ensiferi eandem perlegere, & DEI beneficio obseruare non grauentur. Apud Vbiorum Coloniam Agrippinam.

DEVS te nobis incolumem conseruet,
Anno restitutæ salutis, M.D.
LXXXIII. Calendis
Ianuarij.

AD

SPIRITVALIS MILITIAE STVDIVM PARACLESIS,

INTERLOCVTORES:

PELTOMACHVS. VRANONICVS.



Esterna appetente vespera, in vrbe via sacra, discrimine secta bicorni, ad ipsum compitum duo quidam sibi milites occurrere, quorum vnus via læua & lata ex Caluini sectatorib. peltatus, veles erat, alter sanctæ Ecclesiæ Catholicæ inautoratus, grauis armaturæ cataphractus in dextro calle constitit, quem dum curiosius ille contemplatur, deridet, aspernatur, exagitat: nec in armis onerosis & ociosis confidendum esse, etiamsi vestes virum facere videantur, iactitat. At verò tu, inquit alter, memineris, quòd qui quæ vult dicit, interdum quæ non vult, audire cogitur: anne quæso tu sola tua parmula vsqueadeò tibi places, vt nihil tibi armorum præterea necessarium credas? Mihi, ait alter, hoc scuto maximè tam firmo, nihil præstabilius armorũ videri potest. Cæterùm tu, inquit alter, Aelianũ non legisti, apud quẽ ad eũ qui scutũ elaboratũ osten-

Variæ hist. Libr. 11.

ostendebat Scipio dixit: non in læua sed in dextra homini Romano spem ponendam esse. Apagesis, ait ille, Romane, mihi cum Romanensibus nihil est cõmercij. Christi miles sum, ego illorum qui bonas perturbãt conscientias, pro quibus liberandis Christus mortuus est, & remorantur cursum noui euangelij, cõsors esse nolim, nã conscientias perturbare omnes, nullas autẽ cõsolare possunt. Intelligo, inquit alter, nõ de corporali, sed de spirituali militia loqui velle te, atque hoc mihi occurris gratior, ne forsitã spatiosa ista in qua stas via, ad pręcipitiũ tandem te deduxerit. Ecquur igitur tandẽ ex vniuersa Apostoli panoplia, q̃ Ephesijs cõmõstrauit, solũ tibi scutũ fidei delegisti, neque assumis galeã spẽ salutis. Hanc inquit, ille fidei scuto coniungo. Et vbi, ait alter, gladius spiritus qđ est verbũ Dei. En, inquit ille, producto è sinu libro, verbũ Dei purũ putũ, incredibili diligẽtia D. Lutheri ab omni pharisæorũ fermento Papistico repurgatum. Et vbi, ait alter, lorica iustitię cõnexio virtutũ oĩm. At quid, ait ille, his magnopere est vsus, quũ sit fidei scutum instar omnium? Erras inquit alter tota via. Fortasse, inquit ille, te Papæ seruo iudice. Heus tu, inquit alter, sectarium esse, & probrum, & periculum esse scito, sed Ecclesiæ sanctæ Romanæ alumnum esse, honorificum & perutile. At

prior

prior ille, ego inquit, te fugacissime ripsaspis hac sica propius conueniam. Scio, inquit alter, verba tibi tuisque semper in pugnis, & syllogismos esse in calcibus, sed nihil me ab sterres. Ego autem & qui mecum erant, vim prohibuimus, & quoniam diei extremum tempus erat, rogauimus vtrunque, vt postridie primò diluculo sobrij ad eūdem locum propter sacellum sanctę Crucis in Xysto cō uenirent: quò dum aduenissent vnà cum aliquot arbitris, me, sociumque meum, vt notarios, qui vtriusque militis sermonem exciperemus, arbitri constituerunt. Atque ita frequenti satis consessu. VRANONICVS. Studeo, inquit, mi Peltomache, ex te audire quæ Christiano militi ad animi corporisque salutem necessaria didiceris. PELTOM. Hoc quod scriptum est: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, atque ita fidem & baptismum requirit Christus, qui nec paruulos abijcit. dicit enim: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum, ex quibus verbis nos Lutherus scilicet, docet, quòd baptizatus non potest perdere salutem etiam volens, nisi nolit credere, quantiscunq; se inquinet peccatis. Imò vt firmam habeamus consolationem conscientiæ aduersus terrores peccati & mortis, & reclamationes ac remorsus conscientiarum, semper inquit, statuere debemus,

Marc. 16.
Matth 19.
Cap. Baby.
Confess. August.

mus,quod ſola fide propter Chriſtum nobis remiſſa ſunt peccata,& iuſti reputemur, & quòd per ipſum,placatum habeamus Deum,etiamſi nos indigni ſumus. VRAN. Bona verba,itáne ſola fides nos iuſtificabit, vt ſine contritione cordis,quæ fit dolore,odio & deteſtatione peccati, & ſine charitate Dei & proximi.remiſsionem peccatorum conſequamur,maximè quum ſcribit Iohannes:Qui non diligit,manet in morte,ſeu peccato mortali.PELTOM. At noſtri docent fidem iuſtificantem non eſſe nudam hiſtoriç Chriſti paſsi notitiam,ſed eſſe fiduciam, qua erigimus corda noſtra in meritum & miſericordiam per Chriſtum nobis promiſſam,quam fidem nunquam eſſe ſine contritione & dilectione noſtri docent. VRAN. Iam ſentis opinor tuis te verbis captum eſſe.PELTOM.Quid ita? VRAN. Quia ſi fides iuſtificans nunquam eſt ſine contritio. & dilectione,ergo nunquam eſt ſola,nec vnquam ſola iuſtificat.PELTOM. Hem quid audio,tam cito meis manibus extortum ſolius fidei ſcutum.Sed perge. VRAN. Dixti baptizatum,etiamſi velit non poſſe perdere ſalutem quantiſcunque peccatis, niſi nolit credere.Interrogo igitur, an hoc largiaris, quòd baptizatus peccare poſsit PELTOM. Quidni interdum, alioquin otioſa ſit poteſtas clauium, ſeu poteſtas remittendi peccata.

1. Iohan 3.

Matt.18.

Matt.16.

ta. VRAN. Baptizatus igitur post acceptum baptismum peccare potest? PEL. Potest. VRAN. Et tamen, vt ais, in peccatis consistens non potest perdere salutem. PEL. Non. VRAN. Quid igitur eum in salute conseruat? PEL. Fides. VRAN. At tunc eam peccator ille solam habet, quia mortali suo peccato contritionem & dilectionem amisit. PEL. Sanè qui sermones Dei non seruat, non diligit eum. VRAN. Ergo sola fides homini tali fidem cōseruaret. PEL. Videtur VRAN. At supra concessum est, fidem iustificantem nunquam esse solam, & si aliquando nuda sit historiæ Christi passi notitia, eam non iustificare. PEL. Constringor. VRAN. Falsa proinde est & hæc doctrina, baptizatum salutem perdere non posse, quantiscunque grauetur peccatis, nam amissa charitate, quę multitudinem operit peccatorum, amittit & salutem, quam nisi denuo per spiritum sanctum infusa charitate recuperare nequit, etiamsi fidem per peccata non amittat, neq; enim omne peccatum infidelem facit, vt quidam vestrûm crudeliter mimis pronunciarunt, omne peccatum infidelitatis esse Nuda proinde & informis ea vestra fides, quam nos etiam in peccatore manere confitemur, saucium peccatis hominem, nisi adiuncto alio nondum nominato, pedissequarum

Ioan. 14.

1. Pet. 4.

Bucer.

quarum choro sola seruare, nec iustificare potest. PEL. Atqui hoc est quod heri dicebam, vos quidem Romanenses conscientias perturbare posse, cõsolari nõ item. VR. Qui sic? PEL. Pauidas enim conscientias desolatas relinquitis, quapropter mihi consolatoria magis videtur ea doctrina, quæ solu fide mihi propter CHRISTI meritum peccata semper remissa esse doces, ex hac enim doctrina omni loco & tempore spem salutis certam concipio. Adeo enim tuis verbis terruisti & expauescere me fecisti, vt si te sequar, quotidie salutis meæ incertus sim & inops, quippe qui quotidie pecco. VRA. Tu quæso ne dispondeas animũ, faciam næ, vt multo firmiorem ex sacro dei verbo consolationem afflictæ conscientiæ audias, quàm tua tibi videtur esse, si prius hanc quam tu consolationem vocas, ego desolationem, fraudem, & imposturam Dei verbo repugnantem, esse ostendero. Iterum proinde te interrogo, an tibi semper statuendum videatur, quod fide sola propter Christum, habeamus placatum Deum patrem, etiamsi indigni simus? PEL. Omnino, mihi enim hæc doctrina quouis melle dulcior, & omni ambrosia atque nectare dulcius sapit. VRAN. Quid ego audio? ergóne moechus, fur, latro in flagitijs suis

per-

perſtantes, Deum ſibi placatum perſuadebunt propter Chriſtum, atqui ita Deum peccati & patronum, & incentorem feceris, vt
Rom 3. tandem mali audeant dicere: Faciamus mala, vt veniant bona. PELTOM. Erras Vranonice, nos enim intelligimus eum, qui contritionem & charitatem fidei coniungit, iuſtificari. VRAN. Imò tu toto aberras cœlo, qui velis nolis non ſolam fidem iuſtificare, fateri iterum atque iterum cogeris, ſed eam quæ per dilectionem operatur, proinde falſum eſt illud apud vos vulgatiſsimum axioma: Semper ſtatuendum eſſe ſola fide propter Chriſtum nobis remitti peccata, & iuſtificationem conferri. Nam Chriſtianum peccantem, charitate & contritione nudari, ſola fide in eo permanente demonſtratum eſt, qui, vel te iudice, quod charitatem exuit, ex hoc axiomate, quod tam dulce credidiſti, nihil conſolationis accipere poteſt. PELTO. Hæſito. Noſtri enim vel maximè nos ſolantur per iuſtitiam fidei ſpecialem, nempè vt credat homo ſibi peculiariter & ſpeciatim ſemper propter Chriſtum remiſſa eſſe peccata, atque doctrinam hanc ſacris literis cõfirmant. VRAN. Túne mihi vel vnum locum ſacræ ſcripturæ proferre queas? PELTOM. Quibo: VRAN. Hoc ſi feceris, her-
Pſalm 4. bam dabo PELTOM. Verſus vltimus Pſalmi quarti hanc noſtram ſpecialem fidei iuſtitiam

ſtitiam ſatis arguit : Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe cõſtituiſti me. Ecce ergo me ſpecialiter in ſpe conſtituit Dominus, adeò vt ego atque etiam quilibet homo ſemper ſibi remiſſa eſſe peccata per fiduciam in Chriſtum certò ſtatuere poſſit. VRANO. Aberras ô bone, & vim facis ſacrę ſcripturę. Nam vox Gręca, pro qua latinè legimus ſingulariter ſeu ſpecialiter, nempè hæc καταμόνας non eſt referenda ibi ad Dauidem, vel ad te, vel ad alium quemuis precatorem, ſed ad Dominum: quaſi dicat, tu Domine ſingularis ſeu ſpecialis, vel tū ſolummodò iubes me benè ſperare. Sicut legimus in Marci Euangelio, ὅτε δὲ ἐγένετο καταμόνας ἠρώτησαν αὐτὸν, id eſt, cum eſſet ſingularis, interrogabāt eum. Eſt enim in Pſalmo eodem hæc antitheſis: Filij hominum multi ſunt qui dicunt, quis oſtendit nobis bona, multique ſunt qui tribulant me, ſed contra eos permultos tu ſolus, & ſpecialis, ſeu vnus es, qui me iuuas. Marc.4.

PELTOM. Cedo nunc quænam eſt illa veſtra, quam tantoperè ab antiquitate, conſenſione, & vniuerſalitate, laudare ſoletis, doctrina Romanæ eccleſiæ inſtitutionem de ordine iuſtificationis continens. VRANO. En tibi vniuerſum chorum Heroidum, qui peccatorem ad Deum reducit, fides, timor, dolor, fuga peccati, confeſsio, emendatio, ſpes, oratio, deſiderium dilectionis reci-

procæ Dei & peccatoris, quæ tanquam administræ adolescentulæ ad reginam virtutum charitatem nos perducunt, quæ charitas Dei per spiritum sanctum cordibus nostris sese infundit, tantaque nos dilectione vulnerat, vt mori millies, quàm semel ab ea diuelli deinceps velimus, atq; totus hic chorus Dei dona sunt, fides enim Dei donum
Ephes. 2. est, teste Apostolo, & postquam conuerti-
Hierem. sti me, inquit Hieremias, egi pœnitentiam.
Ioan. 1. Et de plenitudine eius accepimus omnes gratiam pro gratia. PELTOM. Video insignem puellarum chorum, eò mihi gratiorem, quod omnes hasce nymphas Charites seu Gratias nuncupes, at singularum mihi officia edissere. VRA. Fecero & quidem lubens. PELT. Agedum. VRAN. Baptizatus vt paulò ante datum est, peccare potest, & peccando animæ salutem amittit, sed, quocũque modo, quantumq;, & quotiescunq; peccet, nisi prudens & sciens in hæresim se præcipitem det, fidem nõ amittit, dico informẽ, quæ est ea notitia, qua citra vllam hęsitantiã de Deo credenda credimus, & rebus cælesti
Hebr. 10. bus. Cæterùm si filium Dei, Iudaicè aut gẽtiliter conculcauerimus, sanguinemq; testamenti pollutum dixerimus, & spiritui gratiæ contumeliam fecerimus, nõ relinquitur nobis spes salutis, nec hostia pro peccato, nisi hanc ex omnibus gratijs primam, rursum postliminio peculiari dei dono recipiamus:

Sine fide.n.impoſsibile eſt placere Deo,hu-
ius porrò officiũ eſt, ꝙ nos doceat credere Hebr.11.
magis deo,& verbis diuinis,q̃ vllius hoīs do
gmati, imò magis q̃ propriæ noſtrę rationi
& intelligentiæ: vtq; captiuet intellectũ no-
ſtrum in obſequium ſuũ,nempè fidei.Nam,
iuxta Paulum,accedentem ad Deum opor- Ibidem.
tet credere,quod & Deus eſt, & inſuper in-
quirentibus ipſum remunerator eſt, atq; ita
fides poſtquam nos docuit,Deum eſſe iudi-
cẽ omnium operum noſtrorum,tradit nos
ſecundæ nymphæ proximæ,quæ eſt timor.
Fides enim timorem incutit,qui vitium fu-
gere nos docet. Per timorem Domini decli
nat omnis à malo,ſicut & ſcriptum eſt in E- Eſa. 26.
ſaia ſecundum translationem LXX. Prop-
ter timorem tuum Domine concepimus &
peperimus ſpiritum ſalutis tuæ: quia vt ibi-
dem ſcribit D.Hieron. ex timore & recor-
datione Domini, illuminatur cor noſtrum,
vt concipiamus ſpiritum ſalutis. PELTO.
Et quis eſt ille ſpiritus ſalutis. VRAN.Indu
biè ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus,
cor enim contritum & humiliatum non de- Pſalm.50.
ſpiciet.Itaque timor ad dolorem, odium-
que & fugam peccati,eiuſque omnimodam
deteſtationem porrò ducit, quæ cordis
contritio ſeu triſtitia ſecundum Deum o-
peratur pœnitentiã ſtabilẽ ad ſalutẽ,dũ cor-
de creditur deus ob peccata noſtra offẽſus,&

ore eorundem peccatorum fit plena & humilis confeſsio ad ſalutem, cum vberrimo lachrymarum fonte,& voluntaria anteacto rum peccatorum caſtigatione. Atq; ne maiore quàm ferre poſsimus,triſtitia forſan labaſcamus, in deſperationem vltrò ſe ingerit.Spes quæ ex gratia Dei & afflictionis huiuſmodi operibus, Dei clementiam & miſericordiam tota fiducia nos expectare ſubmonet,atque ad ſororem ſuam, nempè orationem nos ablegat. Oratio nos deinde docet ad eum eleuare oculos,qui habitat in cælis,Deum,neque in ſtrepitu labiorum, ſtridore dentium, vel multa lallatione linguæ ſolis, ſed cordis meditatione preces fundamus.Atque ita Deus magis magiſque ianuam cæli, quam malleo orationis pulſamus, aperit,& cælitus deſiderium dilectionis nobis inſtillat,adeò vt mens noſtra cum Dauide incipiat dicere : Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas. Super quæ verba B.Auguſtinus,Præuolat,inquit, intel lectus ſæpè,ſed tardè ſequitur, & aliquando non ſequitur affectus,niſi dum hoc rore deſiderij iuſtitiæ animus noſter magis ac magis aperitur & panditur,donec charitas Dei totã ſeſe infundit cordibus noſtris, qua Dei reddimur amici & filij, hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Chriſti,non ſola remiſsione ante admiſſorum criminum, & peccatorum

Pſalm. 118.

Ibidem.

rum

rum omnium, sed gratia nouæ dilectionis, vt iam sicut filij excussorum simus, nempè excussò omni iugo & seruitute peccati simus accincti & expediti ad prælium spirituale, adeò vt audeamus cum Paulo dicere: Roma.8.
Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Hoc selectißimo virtutum exercitu comitato dicere licet cum Apostolo: Certus sum, quia neque mors, neq; vita, neque Angeli, neque principatus, neq; virtutes, neque instantia, neque futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neque profundū, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Ihesu Domino nostro. Tunc inquam certitudine fidei assecurati sumus ex parte Dei, sed nondum tamen ex parte nostra (possumus enim denuò excidere per infirmitatem carnis nostræ, aut inuidia Diaboli, nisi in timore Domini sancto, qui permanet in sæculum sæculi, hoc est, in perfecta charitate, quæ foras mittit timorem seruilem, permaneamus) Idcircò satagendum nobis est, sicut monet Apostolorum princeps, vt per bona opera certam vocationem nostram faciamus, & lumen fidei, oleo operum misericordiæ in fragili lampade corporis nostri mortalis perpetuò foueamus. Quoties verò miles Christianus hostibus suis, mundo, carni, dæmonijs

Psalm.18. 1.Ioan.4.

2.Pet.1. Matt.25.

succumbit, toties hic heroinarum chorũs subleuet necessum est, cadentem vt nec citò desperet, nec temerè præsumat, vtraq; enim tam præsumptio de Dei misericordia, quã de eadem ipsa desperatio iuxta & æquè periculosa est. PELTO. Quantum ex te audio profiteris Concilij Tridentini de iustificatione doctrinam. VRAN. Omninò: hoc enim idem B. Augu. quem vestri libenter citant, sua ætate ecclesiam catholicam docuisse testis est: Anceps, inquit, humanus est animus, & fluctuans inter confessionem infirmitatis suæ, & audaciam præsumptionis, plerunque ita impellitur, vt in quamlibet partem cadere præcipitium sit: si enim se in hãc cogitationem inclinauerit, vt dicat, Deus ignoscet, vt nemo pereat fidelium iniquorum, id est, inquit, vt nemo pereat eorũ qui sibi dicunt, quiduis faciam, quibuslibet facinoribus & flagitijs inquiner, quantumlibet peccem, liberabit me deus misericordia sua, quia credidi in eum, talis cogitatio præcipitat hominem: si enim præsumens de misericordia Dei, neglexerit vitam suam mundare à peccatis suis, & se omni gurgite vitiorũ demerserit, cadit, & præsumptio hæc de iustitia quasi dextera est, cogitatio impunitatis peccatorum quasi sinistra est. Hæc ille. In neutram ergo declinare licet partẽ, iuxta scripturã dicentẽ: Ne declines neq; ad dexteram,

In Præfat. in Psal. 31.

Iosuæ 1. Prouerb. 4.

ram,neq; ad ſiniſtrã,ſed via regia,viaq; militari,quæ eſt via crucis,Chriſti miles ꝓgrediatur oportet.PELT.Hui quantum derogas fidei?VRAN.Ne tantulum quidem,ſed oſtendo principium ex fide,finẽ verò & cõſummationẽ ſalutis eſſe ex charitate.Cõmẽtitiam verò illam iuſtitiam fidei ſpecialẽ ſacris literis non doceri, ſed dedoceri planum feci, ſcribit enim B. Auguſtin. Eunomium hanc adinueniſſe hæreſim, nihil ſcilicet cuiquam obeſſe quorumlibet perpetrationem ac perſeuerãtiam peccatorum, modò huius quæ ab illo docebatur fidei profeſſor ac particeps eſſe vellet. Atque hanc hęreſim ſolius fidei doctores Lutherus & Caluinus, ab Eunomio mutuati ſunt. PELTOM. Iam totum mihi ſcrupum exemiſti,quo lubet,i pręſequar.VRA.Vis igitur noſtram Chriſtianę eccleſiæ Catholicæ militiam ſequi?PEL.Cupio.Redito igitur à meridie in hanc porticum propter hoc ſacellum S. Crucis, atque huc tibi vniuerſam panopliam militis Chriſtiani allatam curabo. Interim vale Peltomache,PELTOM.Et tu Vranonice in reditum bene valeto. Vobis arbitri & notarij immenſæ à nobis aguntur gratiæ,& ſi vacat à prandio redito.

De hæreſibus ad Quodvult Deum.

A meridie tandẽ frequenti iterũ corona cõſidentib. ſic orſus eſt dicere Vranonicus. Et elegãs,inquit,& vetus eſt adagiũ:dulce bellũ

expertis, expertis non item, videas enim hoc tumultuosissimo luctuosissimoque bellorum plusquam paricidalium horrido fragore multos passim tyrunculos non aliter ad bellum, quàm ad nuptias procurrere, qui tamen experti quàm ingens malorum agmen secum trahat bellum, icti tandem aliquanto rectius sapiunt, & quibus bello armis sit opus, sera pœnitentia cõsultare incipiunt, vt quondam Athenienses post factum consultabant. Fateor, egregiam bello laudem. & spolia ampla tulisse, eximium quis neget esse decus? Expetenda sanè res erat, aureum illud vellus apud Colchos positum, at hoc Diodorus Siculus, & Ouidius scribunt custoditum à Dracone, qui perdius atque pernox, ne quis auferre posset, obseruabat. Vnde quod dij magnis omnia, & improbis vendunt laboribus, cognosci potest, quodque omnia difficilia quæ pulchra ex archistrategis Iasone, Vlysse Aenea, Dauide, Iuda Machabæo, alijsque innumeris tam sacri, quàm prophani belli Imperatoribus, perspici potest. Quapropter si tot insidijs, dolis, imò & viribus quandoque tantis corporale atque externum inter hostes bellum geritur, quotnam existimandum est dolis, quantisque machinationibus internum ac spirituale bellum feliciter peragi cogitandum est, in quo hostes & plures, & astutiores,

Metamor. lib.7.

res, & non dicendis modis infractiores, de Psal. 141.
quibus Dauid rex & Propheta: In via, inquit, hac qua ambulabam absconderunt superbi laqueum mihi. Omisso proinde bello corporali, quod nobis cum barbaris, imò cũ brutis commune est, de studijs spiritualis militiæ, quæ pijs & Christianis propria est, quia de hac Peltomachũ audire velle scio, verba vt faciam, operæ precium fuerit. Non est enim nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, vt scribit Paulus, sed aduer- Ephes. 6.
sus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spirituales nequitias aëreas. Prætereà, vt idem scri- Galat. 4.
bit, habemus & alium secundum hostem; nempè proprium corpus nostrum: Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Addit & tertium hostem Christus, dicens: Quia de mundo non Ioan. 16.
estis, sed ego elegi vos de mundo, proptereà odit vos mundus. Ex quibus sacræ scripturæ locis intelligimus, tres nobis esse coniuratissimos hostes, Mundum, Carnem, Dæmonia: iuxta versiculum illum prosæ ecclesiasticæ: Mundus, caro, dæmonia, diuersa mouent prelia, quibuscum debet nobis esse tam assiduum & irreconciliaabile bellum, vt non solum non pacem, sed ne momentaneas quidem inducias, nisi sub periculo amissionis vitæ æternæ, cum istis hostibus

pacisci nobis liceat. Mundus enim tot seductorum adulatorum, hæreticorum, hypocritarum, tyrannorum, comessatorum, cõpotatorum fornicatorum, nummulariorũ, aleatorum, superborum, pugnatorum, auarorum, desidiosorum, & incantatorũ, aliorumq; mundi sectatorũ agmina ducit cõtra nos, q minis, dolis, & virib. nos adoriuntur, vt enumerari nequeant. Iam caro quot perturbationum, prauarumq; affectionũ cuneos aduersus arcem mentis nostræ contrahat quis explicet? nã inuidemus, æmulamur, soliciti sumus, voluptuamur, & delassati voluptate nunquã tamen satiamur, quęrimusq; facere quod quũ fecerimus, iterũ pœniteamus, dolemus, gaudemus, speramus, timemus, & vtcunq; sit omnes nostrimet nos pœnitet, optat ephippia bos piger, optat arare caballus. Porrò dæmonum insidias quis enumeret? hi enim vt angues latent in herba huius sæculi, atq; in hoc deserto: isti vt lupi rabidi circumeunt ouile quærentes ouẽ quã deuorent, illi tanquã pyratæ mare, prædonesque terram ab omni parte obsident, quos cacadæmones vniuersos non mihi, si linguæ centum sint, oraq; centum enumerare possim. Iob 41. Quis.n. Behemoth istius infernalis, cuius sternutatio splendor ignis, cuius oculi vt palpebræ diluculi, de cuius ore lãpades procedũt, de cuius naribus procedit fumus sicut ollæ suc-

ſuccenſæ atque feruentis, cuius halitus pru-
nas ardere facit, quem neque gladius neque
haſta perterebrat, cuius cauda quaſi cedrus
ſtringitur, aliaſque omnes eius vires recen-
ſeat? non eſt enim poteſtas ſuper terram, quę
comparetur ei qui factus eſt vt nullum time
ret, omne ſublime videt, ipſeque eſt rex ſu-
per omnes filios ſuperbiæ. PEL. Horror
me cogit, patere obſecro vt interloquar, qui
bus armis obſecro tam infinitos, tam dolo-
ſos, tã infractos hoſtes quis ſuperet? VRAN
Audi, Peltomache non me ſed apoſtolum
dicentem: Induite vos armaturam Dei, vt Ephes. 6.
poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Om- 1. Ioan. 5.
ne enim quod natum eſt ex Deo vincit mũ-
dum inquit Chriſto dilectus ille diſcipulus,
& hæc eſt victoria, ſiue inſtrumentum vi-
ctoriæ primum ſed non ſolum, fides noſtra.
Spiritu quoque clamat alter ambulate, & Gala. 5.
deſideria carnis non perficietis. PEL. Sed v-
bi arma quæ te huc allaturum promiſiſti?
VRAN. In hoc armamentario. PELTOM.
Licet recludere. VRAN. Aperi. PELTOM.
Codex eſt ſacrorum bibliorum. VRAN.
Rectè. PEL. Quid an ne meus mihi codex,
quem tibi heri oſtendi, eadem ſuppeditare
queat arma? VRA. Sanè: niſi quod in limpi-
do fonte quàm in aqua turbatiore noſ-
met proprius conſpicimus: tuus enim Lu-
Lutheri

Lutheri fæcibus, & limo conspurcatus est, qui quidem Lutherus vitiauit locis nō paucis Biblia, vt ipse, Cocleus satis ostendit, atq; si nullus ostenderet, quanta tamen fide recta & bona scribat, qui, vt iam confiteris, tanta perfidia atque malitia hæreses docet, cognosci atque iudicari sine negotio potest: qualis enim vir, talis oratio. PELTOM. Placet, at profer arma. VRAN. Subuculam lineam, in tegumentum primum accipito, quæ candidissimam significat castitatem, nam vt in Homilia sua S. Gregorius scribit, nullum bonum sine castitate: atque hæc etiam intelligi potest vestis illa candida, quæ nobis in baptismo datur, quam Christus vocat vestem nuptialem: solenne etenim est nupturæ sponsæ, vt sponsum suum donet subucula nuptiali, sed hoc in carnalibus moris est nuptijs, verum in spirituali ac cælesti connubio ipse sponsus virgini castæ suæ, nempè animæ nostræ Christus hanc candidissimam subuculam confert, sicuti submonens, ait: Sint lumbi vestri præcincti putà præcinctorio castitatis. Non es opinor id nescius quot excicationibus, excoctionibus, contusionibus, macerationibus, carminationibus, filationibusque sit opus lino & bysso, priusquam in officina textoris panni formam cō sequuntur, ac deinde ater ille pannus, atque cineritius, terræ adhuc colorem, vnde prognatum

Subucula linea castitas.

Matt. 22.

Luc. 12.

natum eſt linum, referens, quàm frequenti lixiuio atque apricatione tandem plenum candorem conſequatur: ad eundem planè modum,& Caſtitas habet ſuos gradus, vt ſcribit B.Hieronymus ad Principiam virginem,nam in primo ponuntur gradu, quæ virginitatem habent mentis & corporis,proximæ autem ſunt viduæ & continentes,tertio loco ſunt in thoro immaculato caſtitate coniugali viuentes, & hi omnes ſequuntur Reginam Eccleſiam,& adducuntur in templum,ſiue in thalamum regi Domino. Quũ igitur hæc ſtola in ſudoribus & ſanguine Chriſti lota ſit,& dealbata,intelligis credo, quanta ſollicitudine ſubuculam hanc in ſuo candore cuſtodire debeas. Eſt quoque & alia inter caſtitatem & ſubuculam à natura ſumpta ſimilitudo,vt enim ſubucula linea, eaque candidiſsima, eſt intima & proxima corpori veſtis,ſic & virginea caſtitas homini primum nato,maximè propria virtus eſt neque enim aliam ex matris nobiſcum apportamus in mundum,quàm corporis caſtitatem,quapropter & charior ceteris hæc nobis eſſe debet, potiſsimum vel ob id, quòd ſemel amiſſa irrecuperabilis ſit. Adhęc quẽadmodum caſtitatem comparauimus ſubuculæ,tam propter candorem, quàm etiam propter propinquitatem,quam habet ſubucula ad corpus tegendum, ita & alijs rebu

In expoſit. Pſalm. 44.

ob in-

ob ingenitas atque à natura eis datas proprietates conferri poteſt caſtitas nempè Ebori & Lilio. Vtriuſque enim collatio cum caſtitate ſic explicatur & cernitur: ebur enim natura ſua candorem, algorem, & rigorem habet, niſi dum lõgo vſu ſeneſcit: tunc enim candorem in ruborem commutat: ad eundem planè modum caſtitas candorem habet innocentiæ, algorem habet extincti libidinoſi caloris, & rigorem atque conſtantiam habet cordis, non enim mouetur neque inflectitur vento tentatioris immundæ, atque quando tandem conſeneſcit, & longo vſu in hiſce virtutibus innocentiæ & mortificationis vitiorum ſeſe exercuit. tunc ruborem & ſanguinem imitatur, quia continua caſtitas martyrium quoddam eſt, vt multis locis B. Hieronymus, Ambroſius, & Auguſtinus docent, quia caſtitas impugnatur frequẽtiſsimè, vincit autem raro, expugnaturque ſæpiſsimè. Lilium verò non ob candorem alboremve tantum, ſed etiam propter teneritudinem ſuam caſtitatis naturam refert, quemadmodum ſiquidem lilium contactu alborem & odorem perdit, ſic & caſtitas impudico ſui vel alieni corporis tactu, gratiſſimũ illũ Deo odorẽ ſuæ caſtitatis amittit. PEL. Quid igitur faciam ne hanc deinceps amittã? VRA. Sanè ne hãc caſtitatis cãdidiſſimã ſubuculã cõmacules, alio veſtimẽto ſuperin-

perinduendo cõmunienda eſt. PEL. Quonã? VRAN. Proximum integumentũ Thorax eſt ruber, qui Pœnitentiam cum afflictiuis operibus denotat, atque hæc triplois ſiue triplicata eſt veſtis, quæ vt nulli penetrabilis arcui fiat, debet tanquam ſubductitio pãno ſalutaris contritionis, ſinceræ confeſsionis & feruentis emendationis ſuffarciri. Qui enim in niuea ſubucula ſola nullo thorace contextus exercere pergit opera manuaria, facilè hanc ipſam deflorat atque deturpat, ita & qui virginalem aut vidualem aut coniugalé caſtitaté nudam ac ſolam illecebroſis operibus puta iocis, ludis, delitijſque huius mundi exponit, ſoli ſuæ confidens caſtitati, non longo tempore eandem intactam & integram conſeruare poteſt, nam ſicut diuus Hieronymus ſcribit: Venter mero æſtuans cito deſpumat in libidines. Atque hic thorax colore rubro tingatur oportet, vt Chriſti omnes milites decet, de quibus ſcribitur: Iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. De vtroque hoc colore duarum harum veſtium, albæ videlicet ſubuculæ, & rubri thoracis, Salomon ille ſapientiſsimus loquitur, vbi mulieris fortis veſtiméta nobis depingens ſcribit: Byſſus & purpura indumẽtũ eius. PELT. At quænam hæc eſt mulier, an illa quæ cum poculo ſedet ſuper beſtiam,

Thorax ruber. Pœnitẽtia

Ad Oceanum.

Apocal. 8.

Prouer. 31

quam

quam Ioannes circundatam purpura & coccino vidit,& magnam meretricem Babylonis nominat ebriam ſanguine ſanctorum,& ſanguine martyrum Ieſu? V R A N. Minimè gentium,inquam. Hæ enim duæ mulieres inuicem perpetuò ſibi aduerſantur, hæc enim Babylonica meretrix eſt eccleſia malignantium, & corpus diaboli facta in tres partes,ſeu,vt ſignificantius dicam, diuiſa in tres partes,conſtat enim ex infidelibus omnibus,putà Iudæis, Gentibus & Hæreticis, illa autem altera prior eſt Chriſti corpus myſticum, quod eſt Eccleſia Catholica, cuius Chriſtus eſt caput,ſponſus,& propugnator,cuius honoratiſsima ſponſa ex ſolis fide
Apoc.16. libus compacta manet.Illa de qua tu loqueris meretrix impuriſsima purpura & coccino amicta dicitur, quia inſatiabili ebrietate ſitit & bibit,huius de qua ego loquor, Chriſti ſponſæ,eiuſque membrorum,ſanguinem
Geneſ.4. vtpotè de Cayn ſata,qui perſequebatur & effudit ſanguinem fratris ſui Abel, imò & patris ſui diaboli opera indeſinenter facit, qui fuit homicida ab initio. Sed hæc meretrix nihil ad noſtram hanc, de qua ego loquor,quòd byſſus & purpura indumentum eius ſunt, byſſus enim caſtitatem mentis & corporis, purpura pœnitentiam ſignificat. Atque hæc duo veſtimenta Pilatus & Herodes Chriſtum illuſoriè induerunt, Herodes enim

enim veſtē albam, Pilatus coccineam Chriſto dedêre; ſed ridendo quid vetat dicere verum? nam vterque ſignificantiſsima veſte Chriſtum regem eſſe declarauit nobiliſsimæ caſtitatis & inuictiſsimæ virtutis, qui calcauit torcular, ſolus & niueum caſtiſsimumque corpus ſuum ſanguine proprio pro nobis inquinauit. Quia ergo veniūt nuptiæ agni, idcirco vxor eius præparat ſe, & induit ſe byſſo & ſanguine agni, ornat genas ſuas tanquam purpureis roſis; intelligens hoc litrum ſuæ redemptionis eſſe vnicum. Illa meretrix Chriſti ſanguinem ſitit odio, hæc verò ſalutis amore. PELTOM. Intelligo diſcrimen. Quid porro militi Chriſtiano faciendum cenſes? VRAN. Vt fœmora atque crura muniamus reliquum eſt. PEL. At quibus armis? VRAN. Noſti opinor Adamum & Euam, dum poſt peccatum cognouiſſent ſeſe eſſe nudos, conſuiſſe ſibi folia ficus, ac feciſſe perizomata ſeu ſuccinctoria quæ pudorem tam amiſſæ originalis innocentiæ quàm contractæ impudentiſsimæ rebellionis membrorum genitalium ſignificarent. Fragilitatem enim eorum membrorum omnes omnino homines etiam ethnici agnoſcunt, ſicut B. Auguſtinns ad Bonifacium ſcribit, veteres illos Romanos quoties nudi exercebantur, lucta aut curſu in campo ſubligaculis lineis pudenda texiſſe, qua-

Apoc 9.

Fœmorale Pudor.

Geneſ. 3.

Lib. 1. contra duas epiſt.

propter à campo campestrati dicebantur seu bracati. Atque hæc causa fecit, cur etiam sacerdotes veteris legis Mosaicæ foemoralia gestare sacrificaturi iubebantur, vt legimus in *Exodo:* Facies, inquit Deus Mosi, fœminalia linea sacerdotibus, vt operiant carnem turpitudinis suæ à renibus vsque ad fœmora, & vtentur eis Aaron & filij eius quando ingredientur tabernaculum testimonij, vel quando appropinquãt ad altare, vt ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Et quare, inquit Augustinus, fœmoralia ad tegendam turpitudinem corporis eorum, quasi ea appare re posset, tam longa veste desuper adhibita? nisi quia in hoc fœmorali signum esse voluit pudoris & castitatis. Paulo quippe ante Augustinus docuit, quid mysterij haberet tunica illa talaris, quæ ab humeris ad talos vsque dependebat, quam Hæbrei chetenet vocant, Græcis dicitur ποδήρης, quæ vestis supra habebat in medio foramen, per quod caput protendebatur, quæ tã arcta erat & strictis manicis, & astricta corpori, vt nulla omnino in ea esset laxa ruga, & ita vsque ad crura & talos descendebat, vt nempè sacerdotes haberent pulchritudinem vestimenti, & aptitudinem celeritatis in ministerio Dei. Quando igitur tam longo podere ad pedes vsque demisso tecti erant sacerdotes quorsum

Exod. 28.

Lib. quest. super Exod q. 122. & 4. 118.

quorsum necessaria erant adhuc fœminalia linea, nisi vt pudorem genitalium membrorum significent? vt eadem B. Hieronymus explicans de vestibus sacerdotalibus scribit Fabiolæ illustri matronæ: Lineis fæminalibus, inquit, quæ vsque ad genua & poplites veniunt, verenda cælantur, & superior pars sub vmbilico vehementer astringitur, vt si quando expediti mactant victimas, tauros & arietes trahunt, portantque onera, & in officio ministrandi sunt, etiamsi lapsi fuerint, & fœmora reuelauerint nō pateat quod opertum est: vocaturque lingua Hebræa hoc genus vestimēti, Michense, græcè περισκελῆ, à nostris fœminalia vel bracę vsq; ad genuá pertingentes. Refert Iosephus (nam ætate eius adhuc templum stabat, & necdum Vespasianus & Titus Hierosolymam subuerterant, & ipse de genere sacerdotali, multoque plus intelligitur quod oculis videtur, quam quod aure percipitur) hæc fœminalia de bysso retorta ob fortitudinem solere contexi, & postquam incisa fuerint, acu consui; non enim posse in tela huiuscemodi fieri. Christi igitur militem & mystā eiuscemodi fœmorale pudoris decet, ꝙ quo magis astrictum est thoraci ligulis rubris bysinis, hoc est meditationibus sanctis tā momentanæ tribulatiōis quā ęternę glorię, eo leuius & expeditius reddit iter nostrū, sicut scribit B. Greg. Tomo tertio.

 Consi-

Confideratio præmij minuit vim flagelli. PEL.Memini celerrimos quosque cursores atque etiam veredarios, ita sese & ligulis & latissimis zonis constringere, ne in cursu vel ex splene laborent, vel inguina ventris pondere rumpant. At perge obsecro. VRAN. Necessarij sunt igitur & militi Christiano calcei, sicut & filijs Israel vt debitè phase suũ commederent, præceptum est vt renibus accinctis calceamenta quoque haberent in pedibus, quia mox solitudinem totis quadraginta annis erant transituri. Hieremias proinde pericula itineris considerans: Prohibe, inquit, pedem tuum à nuditate, ac si dicat, caueto ne nudis pedibus ac plantis incedas, necubi coluber insidians, aut scorpius, aut aspera glacies, spina, vel acuta petra in huius mundi deserto tibi pedes secet. Videre quidem est interdum procaciores atque petulantiores pueros sponte sua scientes ac prudentes limosum ingredi paludem, qui egressi mire ex hoc facto sibi placent ostentantes suos pedes, dicentesque, en quam pulchre sũ ocreatus, lutumque ocreas iudicant atque se mutuo commaculant; sed hoc scurrarum est, non verò ingenuorum filiorum, neque enim nobilem altoque sanguine cretum filiolum militem futurum tam rustici mores decent, sicut nec filiolam clari stemmatis tã sordidæ prauæque decent consuetudines

Calceamẽta Humilitas.

Exod. 12.

Hierem. 2.

sed

ſed vtrumque decent artificioſa pretioſaq; Canti.7.
calceamenta, ſicut dicit ſponſus Chriſtus de Ezech.16.
ſua ſponſa.Quam pulchri ſunt greſſus tui in
calceamentis ô filia principis.Et ad eundem
modum dicit dominus Deus populo Iſraeli
tico:Calceaui te hiacyntho:Super quem lo-
cum B.Hieron. hiacynthinus, inquit, color
virorũ calceis nõ cõuenit ſed mulierũ, quia
teſte Philone Iudæo,hic color eſt aëreus ſeu
cæleſtis & blauens vulgo,nihilóinus,inquit,
abſque omni coloris varietate,primũ pedes Canti.5.
ab omni ſorde peccati lauãdi ſunt; iuxta qđ
ſpóſa dicit in canticis:Laui pedes meos quo-
modo iterum inquinabo illos, deinde tibi-
alibus aſſumptis eoſdem calceare debemus.
PEL.Intelligo ſatis exercitationem corpo-
ralem & externorũ membrorũ cuſtodiam
& curam,ſed quam pietatem ex his doces?
VRAN.Mihi gaudeo tibiq; gratulor, ꝙ iux
ta membra carnis & corporis etiã omnia mẽ
bra animæ in ſcripturis ſanctis vocari intel-
ligas,quamobrem qui ſint animorũ noſtro-
rum pedes, vt audeo aues cognoſcere. Ani-
mæ ergo noſtræ pedes effectus ſunt,ſicut .n.
pedib. huc& illuc fertur corpꝰ,ita &animus
portatur nunc ad hoc,nũc ad aliud ſuis quaſi
pedibus nẽpe affectionibus quas cõcupiſcen
tias lauare debemus & mortificare vt quem
admodum B.Hieron.in epiſt. ad Damaſum Lucæ.15.
exponens parabola de filio prodigo,nó gra-

diamur ſecundum carnem,ſed ſecundũ ſpiritũ. Quapropter calceis humilitatis & ſpiritualis mortificationis pedes noſtros cõmuniamus oportet, vt ſicut ex tergoribus mortuorũ boũ & bubalorũ fiũt calcei pedũ corporaliũ,ſic nos exẽplis & exuuijs ſanctorum dei per humilitatẽ & abnegationẽ põpæ huius mundi diſcamus mortificare affectus &

Eſai. 52. cupiditates animornm, atque ita nobis cõuenire poſsit illud qđ ſcripſit:quã ſpecioſi pedes euangelizãtiũ pacẽ,euãgelizantiũ bona.

Aſinus,teſte Plinio,frigoris impatiens eſt, & in ſomnio ob viſa cito terretur,crebroq; ictu pedum facile clauditatem contrahit,ita & qui carnaliũ voluptatũ insõnijs agitatur, pedes ſeu affectus ſuos facilè lędit,nec poteſt

Libro 8. cap. 42. Epheſ. 6. B. apoſt. Pauli placida ſequi, qui vult vt ſimus calceati pedes in pręparatione euãgelij pacis. Qui igitur habet pacem cum affectibus ſuis,hoc eſt qui eos ſuperauit,& virtute humilitatis & mortificationis calceauit, is

Pſalm. 118. iã pręparatus eſt Chriſti euangelio, nec re-

Matt. 24. ſtat aliquid niſi vt pergat currere viam man

2. Tibilia ferrea Patientia, Fortitudo. datorum Dei, donec perſeuerans vſque in finem ſaluus fiat. PEL. Teneo,quid ad hæc? VRA. Probè. Tibialibus inſuper attamẽ ferreis etiã tibi opus eſt,quibus tibię & ſurę cõmuniãtur,iuxta quod ſcriptum eſt: Vt non offendas ad lapidem pedem tuũ. Et iterum: Ipſe eripuit oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu. Patientia enim & fortitudine

tanquam duobus tibialibus ferreis pedes no- Psalm.90.
ſtros ſeu affectus muniamus & ſuſtentemus Psalm.114.
oportet, vt incumbenti corporis oneri pe-
des ſufficere, officiumque ſuum facere poſ-
ſint, vt tentationibus reſiſtere poſsimus, ne
vel ad impatientiam, vel ad deſperationem
deprimamur, neve titubemus aut ceſpite-
mus in greſsibus noſtris. In patientia enim
veſtra, inquit Chriſtus, poſsidebitis animas Lucæ 21.
veſtras. Et qui magna & inuicta fortitudine Matt.24.
perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus e-
rit. Pronaque quum ſpectent animantia cæ- Metam. li.1
tera terram, os homini ſublime dedit, cœ-
lumq; tueri, vt ſcripſit Ouidius. quamobrẽ
ei partes corporis inferiores, nempè clunes
& ſuras firmiores dedit atque carnoſiores,
vt totius corporis molem conſtantius ferre
poſſent, ſic quoq; magnam patientiam & for
titudinem, vt nobis in curſu ac ſtadio ſpiri-
tuali largiatur, aſsiduè orandus eſt. PEL-
TO. Nunquid aliud? VRAN. Sequitur vt
thoraci ſuperinduamus loricam, quæ eſt ve-
ſtis ferrea ex multis hamis, ferreiſque circu- Lorica.
lis ſeſe mutuo complectentibus contexta. Iuſtitia.
Hæc veſtis ſignificat Iuſtitiam, ſicut docet
Apoſtolus: State induti loricam iuſtitiæ. Nã
vt B. Hieronymus in eãdem epiſtolam ſcri- Epheſ.6.
bit, ſicut difficile vulneratur in his vel ma-
ximè locis, quæ vitam tenent, qui confertam
hamis, & ferreis inuicem circulis ſe tenentẽ

loricam virtutis indutus est, ita qui est circundatus multiplici veste iustitiæ, nec ad similitudinem cerui in iecur accipiet sagittã,
Psalm.90. nec in desideria corruet & furores, sed erit mundo corde, habens artificem huius loricæ Deum, qui vnicuique sanctorum omnia sua arma fabricatur, & à sagitta volante per diem, vel à negotio perambulante in tenebris, & ab incursu, & dæmonio meridiano percuti hunc non permittit. Iam vt quæ virtus hæc sit, intelligas, cognoscito quòd Iustitia virtus sit, quæ vnicuique quod suum est, dat, Deo gloriam, sibi emendationem, proximo dilectionem, nam vt in lorica, quoties annulus vnus rumpitur, foramen fit per quod hostis nos lædere potest, ita vt rupta hac lorica, vt non demus vnicuiq; quod suum, statim ad nos intrandi & tentandi occasionem diabolus arripit. Adsolet quoq; huius loricæ peristomium, seu ora ad collum esse fulua & aurea, hoc significat omnes virtutes consummari in ora dilectionis, & fimbria charitatis. Suadeo, inquit, tibi emere à
Apoc.3. me aurum ignitum, probatum, id est, charitatem. PELTOM. Optimè, at perge obsecro. Hanc ergo loricam quò diligentius custodiamus, splendenti ferreo rursum alio thorace vtrinque, à fronte videlicet atque à tergo, corpus tegendum est, quapropter duas hic thorax partes habet, nempè Pectoralé & Dor-

Pectoralia & dorsualia.

& Dorsualem. Pectoralia ferrea sint, constãtes & firmæ cogitationes sanctæ. Quia enim sicut scriptum est: Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab adolescentia sua: & Cogitatio stulti peccatum est: atque Peruersę cogitationes separant à deo, idcircò muniendum est pectus cogitationibus sanctis, sicut scriptum est: Auferte malum cogitationum vestrarum. Cogitatio enim sancta seruabit te. Proinde prudenter Salomon filium suum monet, dicens: Omni custodia custodi cor tuum, quia ab ipso vita procedunt. Cor enim in homine primum est membrum quod viuit, & vltimũ quod moritur. Christiana proinde doctrina verissima, duo nobis simulachra contemplanda, ac corde diligenter cogitanda, proponit, vnum naturæ nostræ peccato corruptæ, alterum gratiæ diuinæ nobis oblatæ, vt quales in hoc mundo, & per quam vili limo simus nati, & ad quid vocati, nempè ad immortalitatem, vt mundum à tergo relinquamus, Christumque à fronte nobis cogitatione cõtemplandum proponamus, veluti scribens Apostolus: Christo, inquit, pro vobis passo, & vos eadem cogitatione armamini. Seu alio modo, vt cogitemus nos è duobus constare, corpore videlicet & animo, atq; postposita corporis cura, salutis animæ, quàm diligentissimè semper præ oculis habeamus

Cogitationes sanctæ. Genes. 8. Prouer. 24. Esai. 1. Prouer. 4. 1. Petr. 4.

considerationem, vt quoties corporalibus damnis afficimur; aut bona Dei voluntate, vel sæuitia hominum malorum affligimur, cogitemus eiusmodi persecutores coronam
Psal.128. gloriæ nobis fabricare super incudem corporis nostri, iuxta illud quod scriptum est: Super dorsum meum fabricauerunt peccatores. Cogitemusq; vno tantùm gradu mor-
1.Reg.20. tem & nos diuidi, eamq; semper dorso nostro imminere, vt quæ retro sunt, mundana obliuiscentes, ad ea quæ sunt priora, extēdamus nosmetipsos sequentes, destinatum seu propositum nobis brauium, aspicientes in
Philip.3. auctorem fidei Christum, qui proposito si-
Hebr.12. bi gaudio. sustinuit crucem. PEL. Deinceps in animum meum sic induxi facere. At quid
2. brachialia, vitare malum, facere bonū. porrò? VRA. Sequuntur induenda brachialia duo, cum chirothecis ferreis, quæ brachia manusq; communiant. Quia enim, teste Iob,
Iob.7. militia est vita hominis super terram: & vt
Iob.5. idem denuò ait: Homo nascitur ad laborē,
Psalm.33. sicut auis ad volatum, propterea vt canit rex & Propheta Dauid: Homo qui vult vitam & dies videre bonos, diuertat à malo, & faciat bonum. Sicut rectè monet Sapiens: Quodcunque potest manus tua instanter o-
Ioan.9. perare. Causam reddit Christus: Veniet, inquit nox, in qua operari nemo potest. PELTOM. Sed vt confortentur manus dissolutæ & fatigatæ, quid faciam? VRAN. Requi

rendus

rendus eſt innixorius baculus. PEL. Com- Scipio.
monſtra quæſo mihi hunc Scipionem. V- Crux Christi.
RA. Crux Chriſti contra mala omnia tibi
claua fuerit, & fuſtis cui tutò incumbas gau
dium tibi,& conſolationem in omnib. ſem
per afferet, atteſtante Dauide: Virga tua &
baculus tuus,ipſa me conſolata ſunt,quo ſci Pſalm.22.
pione quidquid exitioſum & noxium erit,
facile profligaueris. PELTOM. Appoſitè Collare ferreum, gulę linguæque ſobrietas.
dictum.Sed quid prætereà?VRAN.Collare
ferreum & conſtans, ſeu torques collum no
ſtrum munire debet, hoc enim focale æreũ
nos proteget, ne quis fauces & guttur nobis
præfocare poſsit: ſicut enim canes venatici
præſertim moloſsi milio armantur contra
lupos ad gulam,nam ab ipſis ſtrangulentur,
ita & nos gulam noſtram communire debe-
mus.Propter crapulam enim obierũt multi,
vt ſcribit Sapiens,qui aũt abſtinens eſt,adij-
ciet vitam.Vnde.n. morbi & mortes.niſi ex Eccleſ.37.
immoderato eſu,potu atq; petulãtia linguę. Eccleſ.28.
Audi ſapientẽ: Multi,inquit,ceciderũt in o-
re gladij,& nõ ſunt tamẽ tã multi, ſicut qui
ceciderunt ꝓpter linguã. Vir linguoſus, er-
go,vt ait Dauid,nõ dirigetur in terra.Acut' Pſalm. 139.
eſt mucro,ſeu os gladij.ſed acutius eſt ſpicu-
lũ falſæ linguæ.Quemadmodũ igitur hoſtes
quãdo arcẽ aut vrbem aliquã cõſcendere co
nãtur,quærũt locũ infirmiorẽ, & minus mu
nitũ, vt ꝑ eũ introeant, ita cacadæmõ ſciens

os

os nostrum esse viam regiam, cibi & potus ad ventriculũ, & rursum è corde cogitationes nostras per linguam & os nostrum euolare in aures hominum, hasce etiam vias & instrumenta os dico & linguam, ipse vt eas irrepat & erepat, quærit. Hoc ergo collari sobrietatis tam gulæ quàm linguæ, tãquam oris, & linguæ, ostio nobis opus est, sicut & natura duplex sepimentum, linguæ dedit dentes & labia. Quapropter ori suo custodiam, & ostium circumstantiæ labijs suis exoptat Dauid. Qui enim, sicut scribit Iacobus Apostolus, in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Faciat ergò vnusquisque stateram verbis suis, & frenum rectum ori suo, vt comessationes, ebrietates, mendacium, detractionem, verbaq; otiosa vitemus: quæ omnia passim vitia sacra scriptura vitanda docet. PELTOM. Nihil sanè verius. Sed quæ plura mihi necessaria sunt, indicato.
VRAN. Adhæc muniendum est quoque caput tegmine debito, quonam verò Apostolus scribit: Et galeam, inquit, salutis assumite. Quid autem spiritualis munimenti galea significet, idem alio loco commonstrãs, Galeam, ait, spem salutis assumite. Hæc galea olim ex corio fieri solebat, sed fortior erit si sit ærea aut ferrea. Saul enim Dauidi pugnaturo quondam contra Goliath, inter cetera imposuit galeam æream super caput eius,

eius, verumenimuerò Dauid galeam corporalem sine spirituali noluit, quia non in armis Saulis confidebat, sed sperabat atque habitabat in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cæli. Atque quemadmodum in galea plerunq; est buccula seu fenestella visiua, ita & in spirituali galea Spei, timor quoque circumspectus adsit, oportet. Qui enim timet Deum, nihil negligit: per timorem Domini declinat omnis à malo. Si enim nõ te continueris in timore Domini, citò subuertetur domus tua. Timor enim debet vt assiduus & circunspectus excubitor semper vigilare, quocirca huic vigili vnoculo esse non licet, sed vtrunque habeat, oportet, dexter neruum suum opticum, similiter & sinister suum neruũ visiuũ habet, atq; dexter oculus neruum fidei habet, sinister rationis. Ratio enim in homine, sola videt & iudicat naturalia atque mundana, sed fides prospicit etiam transmundana, quæ ratio non valet comprehendere: idcircò si quis dextro lumine cassus est, idem quoque collimare ad exonerandam rectè bombardam nequit nec satis cernere potest vitandum aduersarium, ita etiam qui fidem non habet, is ad spiritualem pugnam inutilis est, quapropter quoque Apostoli Dominum rogarunt: Domine adauge nobis fidem, hac siquidem cordis oculus potissimum purificatur, nempè in-

Buccula.
Circumspectio.
Ecclesi.7.
Luc.17.

pè intellectus,iuxta quod scriptum est,Fide
Cristh plumaria. purificans corda eorum. Est & aliud circa
hanc galeam obseruandum,nempè.vt sit in
spei erectio hoc caßidis aheneę supremo vertice conus,
in quo deauratarum plumarũ fasciculus sit
infixus,semper in altum subuolitans.qui ar
rectiorem spem in Deum, non in hoĩem sig
nificet:Maledictus.n.vir qui confidit in ho-
Hierem.17 mine,& ponit carnem brachium suum. & à
domino Deo recedit cor eius, erit quasi my
rica in deserto.quæ perdit humorem gratię
diuinæ: sed benedictus vir qui confidit in
Domino, quia erit quasi lignum quod trãs-
plantatur super aquas,& ad humorem mit-
tit radices. Et sicut iterum idem ait: Beati
Hiere.40. qui sperant in Domino,mutabunt atque au-
gebunt fortitudinem,assument pennas vt a-
quilæ,ambulabunt & non deficient,neq; de-
lassabuntur. PELTO. Plane me confirmas.
VRANO.Imò plura adhuc tibi assumenda-
sunt arma.PELT.Quæ? VRAN. Quid mi-
Gladius. les absque gladio & clypeo? Hunc gladium
Verbũ dei. nobis Paulus explicans:Accipite,ait, gladiũ
Ephes.6. spiritus,quod est verbum Dei. Hunc gladi-
Apoc.1. um vidit Ioannes ex ore Christi proceden-
tem:Et de ore,inquit,eius, gladius ex vtra-
que parte acutus. Hũc gladium baltheo seu
Baltheus zona iustitiæ alligare debemus lũbis nostris,
Iustitia. sicut scriptũ est:Et erit iustitia cingulũ lum
borum eius. At ne cogitemus nos otiosè,aut

ad

ad ostentationem tantùm, hunc gladium gestare debere, neque enim sine causa Dei minister gladium portat, sciendum nobis quur hũc gladium, & in quem vsum gestabimus: videlicet, teste Dauide; ad faciendam vindictam in nationibus. Sicut dum reædificabatur templum Hierosolymitanum, Iudæi vna manu faciebant opus, altera gladium tenebant, vnusquisque enim gladio erat accinctus renes. Vnde & sub alia parabola in Cãticis scribitur, quod sexaginta fortes, & quidem ex fortissimis selectiores ambiunt lectum Salomonis omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusq; enim gladius super fœmur suum propter timores nocturnos. Quoties igitur anima nostra tentationibus & insidijs hostilibus diuexatur, statim vt stricto gladio eiusmodi impugnationib. resistat necesse est, & dubio procul vincet. Viuus est enim sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipite. Idcircò sicut gladius conditur & quiescit in vagina, sic gladius ille noster bis acutus, nempè verbũ Dẽi abundãter debet habitare in cordibus nostris, vt vtraq; parte acutus à dextris & sinistris nos circũcirca protegat. Cęterũ quia tu tibi parmula illa tua pulchrè placebas, vt etiam de clypeo seu scuto militis Christiani loquamur operæprecium est, neq; n. scutũ omittendũ fue-

Esai. 11. Rom 13. Psal. 149. Esai. 4 Canti. 3. Hebræ, 4. Vagina Cor. Scutum Fidei.

fuerit,sed non in eo solo confidendum ostẽdimus. Scutum enim nostrum rotundum, hoc est,plenum & perfectum esse debet, vt non sit imperfectum & informe,sed sit fides per dilectionem formata & completa, de
Ephes.6. qua loquitur Apostolus: In omnibus nempè operibus,temporibus,& locis, sumentes scutum fidei, in quo posśitis omnia tela ne-
1.Iohan.2. quissimi ignea extinguere, quia omnia tela eius igne concupiscentiæ plena sunt: Omne enim telum,quod est habetque diabolus in mundo, est concupiscentia carnis seu luxuria,concupiscentia oculorum,nempè auaritia,aut superbia vitæ,scilicet vana gloria, & ex his omnia reliqua peccata originem habent. At non est cur despõdeamus animum, ipse enim Deus maxima sua clemẽtia protegit,facit vincere,& post victoriam nos coro
Psalm.5. nat,vti scribit Propheta: Domine,inquit,vt
Psalm.90. scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Et iterum: Scuto circundabit te veritas eius. Est enim Deus verax,neque fallere aut falli potest,ipse igitur cuius verba fidelissima sunt, & vera,scuto suo,videlicet dono fidei quod nobis ipse dedit,nos circundat,sed hæc fides vt dixi,rotunda sit oportet, vt ex omni nos parte sepiat Sed quia vetus est prouerbium: Ludere qui nescit,campestribus abstinet armis,idcircò quomodo tibi hoc scuto vtendum sit,accipe. Cor viri iuxta philosophũ,

ita

ita est in præcordijs constitutum, vt inferiori cuspide nonnihil declinet ad læuam, atq; hoc opinor significat hominem natura sua corrupta ad nequitiam, quàm ad pietatem procliuiorem esse, sicut scriptum est: Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum ab adolescentia sua, propterea scutum fidei assumendum, & collocandum est super locum cordis ad læuam, quia fides perfecta seu per dilectionem operans cordis anxij proprium & præsentissimum est munimentum. Hoc vmbone fidei vicerunt regna Sancti, quorum longam racemationem Paulus Hebræis recenset. At ne diutius te detineam, quæ ad hæc requirantur arma cōmonstrauero. PEL. Age nulla enim me horum capit satietas. VRAN. Hastam ergo etiam habeas æquum est, cuius hastile seu pertica tres hasce proprietates atque conditiones habere debet, vt sit oblonga, recta, & acuminata. Hæc hasta exemplum bonorum operum significat, qua de re & Christus loquitur: Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Oblonga igitur hæc hasta esse debet quia vt lōgius ac remoti⁹ hostē hasta q̄ gladio vulneram⁹, sic & quemuis exēplo magis q̄ verbo ꝑmoue mus, vulneramus, incitamus, plus. n. mouent facta quàm verba. Neque duntaxat oblon-

Genes. 8.

Hebræ. 11.

Hasta bona opera.

Matt. 5.

ga esse debet, vt ad locum longius distantē pertingat, hoc est, ad omnes omnino homines seu propinquos, seu alienos perueniat, verum etiam ad longissimum tempus extendatur, vt non vno aut altero solùm die, sed per omnem vitam hanc hastam vibremus, ad omnes vniuersim homines, hoc est, semper omnibus bonorum operum prębeamus exempla: Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Iam quia etiam obliqua hasta nec feliciter certatur, nec concurritur, ideò recta sit oportet hasta hæc, vt nulla sit in ea curuitas vanæ gloriæ, vel ambitionis, sed recta sit intentio agendi omnia ad Dei gloriam, & ad nostram proximorumq; salutem: Nemo enim mittens manum suam ad aratrũ, & respiciens retrò, rectos potest ducere sulcos, ita & qui sinistra intentione manũ mittit ad aratrum spirituale, & respicit retrò non est aptus regno Dei. Demum veluti cõcurrentes hastati milites capulum hastæ sub axilla tenent, vt fortius vulnerent, sic & miles Christianus, vt fortius moueat proximũ ad exemplum boni operis, intentionis suæ capulum tenere debet abscõnditum, vt de bono opere, proximo pietatis præbeat exẽplum, & tamen intentionem, qua soli Deo placere studet, teneat in occulto. Atq; ferrũ etiã hastæ nec obtusum, nec plumbeum, sed acutum & chalybeum esto, nam quo magis erit accensa & exacuta chalybea, hæc hastæ

Matt.24.

Acies hastę Charitas proximi. Roman.12.

acies eò magis penetrabit cor proximi, ſicut
ait Apoſtolus: Hoc enim faciens, ait, carbo-
nes ignitos cõgeres ſuper caput eius. Hodiè
quidem Chriſtiani principes præclarum in-
primis ac verè regium putãt, armatos haſtis
inter ſe concurrere, quod magno periculo
exercitij bellici cauſa permittitur, ſed multò
eſt honorificentius ſpirituale hoc certamen
nõ Troicum, ſed Chriſtianum ſtudiosè per-
didiciſſe, diligentiuſq; exercuiſſe, nam hu-
iuſmodi coronam incorruptam accipient.
Quamobrem hanc haſtã nec abijciamus, nec
excuti è manibus ſinamus: Haſtã enim Saul
dormitabundus, dum ſibi auferri per Daui-
dem patitur, retrò deinceps omnia ſua ope-
ra relapſa referri vidimus adeò, vt quaſi ma- 1.Reg 26.
lo præſagio, paulò poſt ſuo ſe gladio deſpe- Abacuc 3.
rabundus interemerit. PEL. Ego Dei opt.
Max. gratia non ita me comparauero, ſed in
ſplendore fulgurantis haſtæ inuictiſſ. Meſsię
& meam vibrauero. VRAN. Perbellè. Ea
propter ad maiorem ornatum cataphractũ
te reddidero, accipe igitur paludamentum Paludamẽ-
hoc, quod dilectionem geminam ſignificat à tum dile-
fronte & à tergo, hoc eſt, in proſperis & ad- ctio Dei.
uerſis te communientẽ, hoc ſiquidem inte-
gumento miles Chriſtianus potiſsimũ cog- Ioan.13.
noſcitur, vt ait Chriſtus, In hoc cognoſcent
oẽs, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionẽ ha-
bueritis adinuicẽ. Cæterũ quia de dilectiõe
ſuprà ſum' loquuti, quãdo de lorica dixim'

ne exiſtimes nos actum agere denuò, memineris iſtic nos locutos eſſe de dilectione proximi, ſed hoc loco de dilectione quam Deo debemus potiſsimum loquemur. Atque vt huius veſtimenti preciū tibi explicem, ſcito ex filis byſsinis albis, ſed mox cocco tinctis contextum eſſe. Nam ſicut byſſus eſt lini candidiſsimi genus, quod ex terra gignitur, ita per tropum hoc paludamentum originē ſuā habet ex carne mūdiſsima cādidiſsimaq; Ieſu Chriſti, qui eſt æterna veritas, via, & vi
Ioan. 14. ta, quæ veritas de terra orta eſt, ſeu de virgi
Pſalm. 84. ne Maria: dedit enim Dominus benignitatem, & terra noſtra ſeu terrena caro immaculatiſsimæ virginis caſtis concepit & peperit viſceribus Deum & hominem, qui nos prior dilexit vt redamaremus eundem. Huic ſtamini byſsino ob decorem ductile aurum Phrygio opere intertextum eſt & ſubtextū, & arte polymita varij coloris fila nempè cœleſtis ſeu blauei, viridis item, purpurei quoque, & rubri, addito vermiculo, rubro colori adminiſtrante ardorē & ſplendorem, quæ omnia diuerſos flores ac gemmas referunt, ſunt contexta, adeo vt nō textas ſed additas arbitreris: qui ſupra nominati colores auro intexti, id ſignificare volunt quod oīm diuorū vitæ exempla ſeu floſculos & gēmas ad imitationē conquirere debemus. Huic quoq; paludamēto aut intexi, aut ſuper-

ſuperaddi ſolent auro incluſæ vel filo auratо aſtrictæ gemmæ magnitudinis viſendę,& eximij precij permultæ, ſed aliquod præcipuæ, præſertim circa colli fimbriam, vt ſunt Chryſolitus ſeu Chryſopraſus, qui ex aureo & porraceo colore lumen trahit. flammareque videtur: & ſignificat ardorem viroremque charitatis, quæ ſemper intus in collo ſeu veſtibulo cordis ardere debet, foriſque in operibus miſericordiæ nunquam nõ virere: Carbũculus qui carbonis ardentis ſeu prunæ ſpeciem referens, etiam dilectionem Dei cor noſtrum vulnerantem ſignificat: Topazius qui precioſus lapis, vt teſtis eſt Plinius, gramineum virorem habet: & Smaragdus qui quoque lapis lucidum præſefert virorem: Sardonyx qui, vt ſcribit Plinius, humani vnguis viuentis, hoc eſt, in rubore albicantis ſimilitudinem exprimit: Iaſpis & Amethyſtus qui candoris purpurei sũt: & Sapphyrus qui cæli colorẽ imitatur. Ex quarũ gemmarum & coloribus & virtutibus intelligimus, quod, vt ignis omnem Deut. 4. rubiginem conſumit, ſic & Deus noſter ignis conſumens eſt, & abſtergens dilectione qua dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, omnia crimina noſtra, & ſicut ignis omnia purificat, ſic & ipſe fide purificat corda noſtra, quæ purificatio Acto. 15. & incurruptio hominẽ Deo proximũ facit.

 Atque

Atque hic est ille ignis, de quo Christus loquitur igne dilectionis: Ignem, inquit, veni
Luc.12. mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat & accendatur. Elementorum omnium ignis est violentissimus: virtutum verò vni-
Cant.8. uersarum charitas fortissima est: fortis enim est, vt mors, dilectio; aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Ignis ardet & lucet, charitas ardet castis desiderijs, & lucet bonis exemplis. Ignis carbonem mortuum accendit, & ferrũ mollefacit, charitas mortuã peccato animã viuificat. Ignis oĩa redigit in cinerem, charitas efficit, vt sese vel infra cinerem homo humiliet, ignis semp fertur sursum, charitas cõuersationem in cęlo affectat. Ignis est in motione cõtinuata, semper. n. mouetur: charitas in cõtinua exercitatiõe bonorum operum. Rubiginẽ ferri ignis, rubiginẽ peccati tollit charitas. Ignis scintillas elidit, charitas cælestia desideria eiaculatur. Ignis ollã feruere facit, dilectio cor ebullire cogit. Ignis lampadem cõseruat, ne vespertilio oleũ exorbeat: charitas lãpadem cordis, ne cacadæmon oleum diuinæ gratiæ exiccet, conseruat & munit. Iã prætereà in huius paludamenti pectore crux rubra formari debet, in cuius crucis medio ex auro fuluo scutulum formetur, in quo nomen Iesus cœlestis seu blauei coloris literis depingatur, adq; cõsimilem modum

in ter-

in tergo crux & ſcutulũ auri fului fiat, in quo conſimilibus litteris nomen hoc, Chriſtus, ſcriptum ſit, atque ſuper hæc nomina antè & retrò aſbeſti duo præcioſiſsimi lapides perpetuò lucentes & inextinguibiles ſuperaddãtur, vt p hęc nomina cuius ſimus milites, teſtatum fiat. Hiſce armis inſtructus Chriſti Ieſu miles validus & inuictus erit contra mundum, carnem, peccatum, mortem, dæmonem & infernum, regnumque cœlorum acquiret ſecundum quod ſcriptum eſt: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. PELTO. O vtinam ea nobis contingat felicitas, ſed tu quæſo ſi qua nobis neceſſaria adhuc ſunt arma, præterire noli. VRAN. Vis igitur, vt equũ tibi cõmõſtrem? neq; enim cathaphract⁹ Chriſti miles pedes incedere debet. PEL. Opto. VR. Equo tibi cãdido, forti, imperterrito, acri, nõ pauido, nõ ſuccuſsãte aut tardo tibi opus eſt. Equũ huiuſmodi efficies carnẽ tuã, quæ cãdida & pura à vitijs eſſe debet & calceata ſoleis ferreis, quatuor nẽpè virtutibus cardinalibus, tẽperãtia, prudẽtia, iuſtitia, & fortitudine, quibus quatuor animi affectiones primarias regemus, gaudiũ, dolorẽ, ſpem & metum; temperantia.n. gaudium cõdire debemus, prudẽtia ſpem erigere, fortitudine metum excutere, & iuſtitia ſeu ęquitate dolorẽ lenire debem⁹. Animus verò noſter huius eq

Matt. 11.

Equus militis caro ſua.

Ca lc ei ſe rei.

4. Virtutes Cardinales.

 ſeſſor

fessor,aut potius ipse Christus esto. Scribit enim B.Ambrosius in hæc verba: Rector noster Christus est,qui misericordiæ suę frenis,vt bonus rector reuocat à lapsu: bonus rector malos equos restringit & reuocat,bonos incitat: Nolite ergo fieri sicut equus & mulus,quib.non est intellectus.In chamo.n. & freno constringet maxillas eorum,qui nō non approximant ad se. Ergo, vt loco iam citato Ambrosius scribit,ascendit equos suos Christus, non enim habitabit in corpore subdito peccatis,quapropter equus noster albus & mundus esse debet, sicut legimus in Apocal. dum apertum esset primum è septem sigillis, quòd exiuerit equus albus, & qui sedebat super eum,habebat arcum,& data est ei corona, & exibat vincens vt vinceret.PELT.Intelligo,ipse enim dicit: Confidite, ego vici mundum. Ipse enim semper vincit in nobis & pro nobis. Sed ephippium quodnam esse iudicas?VRANO. Apollinis Delphici responsum atque oraculum erat, Nosce te ipsum. Sanè cognitio propriæ fragilitatis,& humanæ imbecillitatis ephippium. quod equo nostro imponamus, & cui insidere debemus, esse censeo: neque enim eques confidenter & firmiter equitauerit, qui vectoris sui naturam & ingenium ignorat,putà an equus pauidus, an contrà effrenis,an succussator,an sternax, sic neque animus

Libro de Isaac & anima. cap. 8.

Psalm.31.

Sapien.1.

Apoc.6.

Ephippiū. Cognitio sui.

mus noster benè moderabitur corpori suo, nisi eiusdem propensiones prauas, infirmitatem, totumque eius ingenium pernouerit. Præterea vt firmiter ephippium hæreat equo, tribus zonis opus est, antilena, postilena, & cingulo ventris. Antilena est quæ pectus equi cingit, quæ spiritualiter contritio peccati est, quam concipimus, quoties anteactam in peccatis vitam consideramus. Postilena quæ à tergo subijcitur caudæ, est eorundem peccatorum confessio, sicut enim equus fimum suum à postico excernit, sic & peccator delictorum stercora per confessionem exonerat, & proijcit post tergum oīa peccata sua. Cingulum autem ventris equi est coartatio carnalis voluptatis, q̄ fit emendatione vitæ, per quam satisfactionem commissorum intelligimus. Et sicut hęc tria cingula sunt equo necessaria, ne ephippium cadat, antilena quippe ne ad tergum retrocedat facit, postilena, ne in collum equi pro ruat efficit, ventrale porrò ne ad dexteram vel sinistram intorqueatur, retinet: ita & tres partes pœnitentiæ humanæ fragilitati sunt necessariæ. PELTOMA. Equidem ad conseruandum tam sessorem, quàm vectorem, has tres pœnitentiæ partes prorsus esse necessarias firmiter credo. VRAN. Sed audi cætera: Stapedes etiam duos habeamus oportet, eosque mediocriter longos: è quibus

Antilena, Postilena, Ventrale. 3 Partes pœnité. Contritio, Confessio, Satisfactio

2. Stapedes bonorum

& malorũ recordatio vnus eſt, humilitas in proſperis, alter patien tia in aduerſis. De priore ſtapede ſcriptum
Eccleſ.23. eſt. Extollentiam oculorum meorum ne de
Hebræ.10. Eccleſ.11. deris mihi, & animo irreuerẽti & infrunito
Iob.2. ne tradas me. De altero dicit apoſtolus: Pati entia vobis neceſſaria eſt. De vtroq; ſimul ſcriptum eſt: In die bonorum ne immemor ſis malorũ, & in die malorum ne immemor ſis bonorum. Si .n. bona ſuſcepimus de manu domini, mala quare non ſuſtineamus? Si ꝓinde cõtingat, vt in dexterã ſeu proſperitaté res noſtræ & equus noſter inclinentur, cõ tineamus nos ſtapede ſiniſtro, aduerſitatis nempè memoria, ſi verò declinet ſe ſtatꝰ noſter ad læuã infelicitatis tunc ne excidamus, requieſcamus in ſtapéde dextro, nempè memoria bonorum. Atq; hos ſtapedes mediocriter longos eſſe decet, quia ſicut moleſtũ eſt breuiorib arctari ſtapedibus, ita & qui nõ perſeuerauerit vſq; in finem, ſaluus eſſe nõ poteſt. PEL. At q̃ſo frenũ & calcaria pro
Frenum. fer: Frenum quo hunc equũ inflectemus ac
Mediocritas. dirigemus, Mediocritas ſeu diſcretio eſt,
Iacob.3. quæ virtutum oĩa eſt moderatrix. Sicut .n. habena equũ circũducimus, & clauo nauim gubernamus, ita oẽs actiones noſtras quadã epiceia ſeu æq̃tate atq; decoro inſtituamus, oportet, ſicut ſcribit Horat. Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines: quos vltra citra ve nequit cõſiſtere rectum. Videndum .n. ne

quid

q̄d nimis neq; benè neq; malè faciamus. Calcaria quoque duo hæc ſunto, Spes & Metus: 2. Calcaria ſpes met9.
ſpes gloriæ, metus gehennæ, nā vt Horatius ſcribit: Oderunt peccare boni virtutis amore Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Sed aurea ſint oportet hæc calcaria, hoc eſt, vt ex diuino afflata ſpiritu dilectionis procedant, & nec ſpe nec metu ſeruili, ſed filiali incitemur ad bonum, & fugiamus malū. Et ita demùm equo inſideamus, & rectè ad cœleſtem ciuitatem Hieruſalem ſuperandam equo calcaria addamus, & eundē exhortemur. PELT. Sanè diuinis hiſce armis, quæ mihi ex ordine profers, nemo vnq̄ aduerſarius ſpero, repugnare poterit, placet ergò cō ſcendam equū, & ad hoc ſacrū bellū vna ꝓficiſcamur. Ecce equū meū ꝓ voto circumagito. VRAN. Siſte gradū, inq̄ ſubſiſte. PEL. Quid amabo nos detinet? VRAN. Quid ſi cōmeatu prohibeamur? Cibaria proinde cō- Commeatus panis verbi dei.
feramus nobiſcū oportet, nam tibi dictū puta, ꝙ angelus dixit Eliæ: Grandis tibi adhuc 3. Reg. 19.
reſtat via. PEL. Hui mones probè. At qs aut cuiuſmodi erit hic panis? VRAN. Non in ſolo pane viuit homo, recitat Chriſtus ex Moſis Deuteronomio, ſed in omni verbo ꝙ ꝓ- Deut. 8.
cedit de ore Dei: Hoc cibo nutriri petit Da- Matt. 4.
uid, vbi dicit: Sicut adipe & pinguedine re- Pſalm. 62.
pleatur anima mea. Rationem addit alibi di- Pſalm. 103.
cēs: Panis cor hominis cōfirmat. Hūc panem

hæc verba vitæ in alueolo cordis noſtri recõ
Luc.2. damus, ſicut Maria Deipara virgo conſer-
Vinum. uabat omnia verba hæc, conferens ea & ma-
Conſciẽtia bona. ſticans in corde ſuo. Quin & in vtre vinum
Pſalm. 103. conferamus, nam ſicut ait Dauid Vinum lę
Iudic.9. tificat cor hominis. Legimus in libro Iudicum, dum ligna quodam tempore ierunt, vt vngerẽt ſup ſe regem, excuſaſſe ſe eas arbores, quarum attamen fructus cuiuis reipublicæ cum primis ſunt neceſſarij: Oliua enim dixit, non poſſum deſerere pinguedinem meam, qua dij vtuntur & homines: Ficus dixit, non poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuauiſsimos: Vitis dixit: non poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines. Quæ parabola, quãquam moralia doceat etiam alia, idcircò tamen à me profertur, quòd audiamus vinum lætificare Deum, & homines ſicut & oleum: vinum enim & oleum etiam Deo in veteri lege offerebantur, ſed vinum naturale nunquam adeò Deum lætificauit, atque lætificat eum illud vinum ſpiritale, quod Christus obtulit deditque diſcipulis ſuis, qui ſan guis eius eſt noui teſtamenti. Hunc panem, hoc vinum, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ identidem ſumamus, oportet. Quin & ſecura mens quaſi iuge conuiuium eſt. Gloriatio noſtra, inquit Paulus, hæc eſt teſtimonium conſcien-

tiæ

tiæ nostræ. Et, vt scribit Apostolus Ioannes, 1.Ioan.3.
si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo. Si enim lagena cordis nostri munda non est, quidquid vini infundas, acescit. Non ergo est hoc vinum nouum, nobile, & forte mittendum in vtres veteres. PELTOM. Sed dum circumspicio, esse in me biuio conspicor, vtram ergo viam tenebimus. VRAN. Prudenter tu quidem hoc interrogas, ne dum malè concurreris, magno labore & pœnitudine debeas recurrere. Ista est spaciosa, sed ducit ad perditionem, & multi ambulant per eam: hæc est arcta, sed ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam. Hanc viam rex ille & Propheta Dauid intrauit, scribens: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. Hanc quoque viam filius eius sapientissimus ille Salomõ laudat scribẽs: viæ eius vię pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. Sũt ergo viæ præceptorum Euãgelicorum, quæ absolutè cuiuis militi Christiano sunt ad æternam salutem necessariæ: sed hæc via regia & militaris obsessa est multis insidiatoribus & raptoribus, propterea breuiores tibi & tutiores commonstrabo, viam licet angustiorem præ se ferentibus, videlicet semitas consiliorum Euangelicorum, nempè trium votorum monasticorum, vt nùnc vulgo vo-

Via militaris.
Via crucis.
Matt.7.
Psal. 118.
Prouer.3.
Via mandatorum.
Via consiliorum.

go vocantur, quæ sunt Renunciatio propriç voluntatis sub obedientia sui superioris. Voluntaria paupertas, cũ abdicatione proprietatis. Perpetua castitas in vita cœlibe. Sed non omnes capiunt verbum hoc. nõ enim facilè est stare loco vel Christi vel Ioannis apost. Quin & quando stamus super viam et interrogamus de semitis antiquis, inuenimus q in via Dei ális sic, alius sic ibat. Illud modò curandũ est, vt nõ abeas in cõcilium

Psalm 1. impiorum, nec steteris in via peccatorum.

Prouer. 4. Iustorũ enim semita quasi lux splendens, procedit & crescit vsq; ad perfectã diem, via autẽ impiorũ tenebrosa, nesciũt vbi corruant.

Procrastinatio periculosa. PEL. Placet ergò proficiscamur? VR. Imò & vrgeo, nã omnis nostra victoria in celeritate

Ioann. 12. polita est. Ambulate, inquit Christus dũ lu-

Gala. 6. cem habetis vt tenebrç vos nõ cõprehendãt. Dum tempus habemus operemur bonum. Quapropter rectè scribit Horat. *Omnẽ crede diẽ tibi diluxisse supremũ Quis scit an adijciant hodiernæ crastina vitæ*. Tempora dij superi. PEL. In me nulla erit mora, verũ est adhuc vnum quiddam cuius doctior esse velim, nempè quis sit huius ciuitatis obsidendi vincendiq; modus cõpendiosiss. VRA. Mones probè, probrosum quippe foret post armorum apparatum cassa spe, & infecta re obsidionẽ soluere, nõ aliter q̃ iuxta poëtã: Parturiunt mõtes, & nascitur ridiculus mꝰ. quamobrem quasi breui tabella, obsidẽ-

di expugnandiq; rationẽ accipe. Quum ad ciuitatẽ ſanctã Hieruſalẽ celeribus affectuũ bonorũ pedibus ventũ erit, mox tentoria & papiliões figemus extendemuſq; pelles deſuper, quibus ab omni vento, pluuia, niue & reliqua aſperitate iniuriaq; cæli, hoc eſt, ſpiritualiũ nequitiarum, aerearumq; poteſtatũ quas volucres cęli Chriſtus appellat, quę tollunt ſemen boni propoſiti è cordibus noſtris, hi. n. vento tentationis & pluuia ignem dilectionis extinguuntur. PEL. Sed quas amàbo pelles & tergora dicis quibuſue tentorijs. V-RAN. Exemplis varijs ſanctorum patrum maiorumq; noſtrorũ qui nunc eãdẽ ciuitatẽ occupant, & in domo domini habitãt, & in ſæcula ſæculorum laudant, ſicut quódam quoq; ſuos milites facere docuit fortiſsimus ille vir Iudas Maccabæus: Mementote, ait, quomodo ſalui facti sũt patres noſtri in mari rubro, cuiuſmodi exemplorum racemationem lõgã in epiſtola ad Heb. collegit, tandemq; ita cõcludens: Fide inquit, muri Hiericho corruerunt circuitu ſeptẽ dierum, & quid, ait, adhuc dicam? deficiet me tempus narrantem de Gedeõ, Barach, Samsõ, Iephte Dauid, Samuel, & prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones. Horum igitur & ſimilium diuorum diuarumque exuuijs tecti, tuti conſiſtemus. Sciendum porrò hanc ſanctam ciuitatẽ habere portas duodecim,

Ephef. 6.
Lucæ 8.
Tentoria exempla ſanctorũ.
Pſalm. 88.
1. Macc. 4.
Hebræ. 11.
Orbis ſitus
Apoc. 21.

tarijs apostolis, dico patriarchis & prophetis, arma nostra & precum iacula ad regem deferentibus, tandem vt strenui milites ad mittamur. Sanctorum enim omnium intercessionem nos valde adiuturam quis dubitet, quando vnius viri iusti precatio tantum valuit, vt cælũ triennio clausam & sex mēsibus, vnica orationis catapulta reserauerit. Quin & si moram fecerint portarij, scalas interim contemplationis diuitiarum cælestiũ muris admouebimus, conscendemusque: Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, atque si forsitan dum hærent parietibus scalæ, per impatientiam relabamur, (neque enim dudum scalis illis insistere poterimus, quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animũ, & terrena cogitatio deprimit sensum multa cogitantem) nihilominus continuemus oppugnationē, quia rex ipse huius ciuitatis eminus clamitat; Petite & accipietis, quærite & inuenietis. pulsate, & aperietur vobis: Regnũ enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Non est ergo desistendum, sed fortius insistendum, & gladijs, telis, globisque gemituum pugnandum, donec effringamus portas & turres, & easdem inclinemus ad preces nostras, & ad commiserandũ prouocemus. Neque enim in iustifiicationibus nostris prosternimus preces, sed in misera-

Sanctorũ intercessio

Iacobi. 5.

3. Reg. 17.

Scalę contemplationis.

Rom. 1.

Sapien.

Lucæ 11.

Daniel. 9.

tionibus eius multis. PEL. Quid si nos tela & globi destituãt, vnde nouos petemus? VR. Ex armario Bibliorum sacrorum apud Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Mosen, Iosue, Dauid, Manassen, Iudith, Danielem, & alios non paucos, qui huiuscemodi organa nobis facile sufficient. PEL. Capta demum ciuitate sese inclinantibus muris & turribus ad votum corruentibus quid agendum? VRA. Exclamandum & acclamandũ, Viuat Rex Iesus. PEL. Rogas? quid quæso aliud, quàm

Esai 9. Saccos ad spolia parare.

quod victores qui exultãt capta præda, quã do diuidunt spolia. PEL. Quid, an cœlum spoliabimus? VRAN. Imo & saccos parabimus ad spolia conuasanda maximos. Ciues

Rom 13.

enim illos sanctæ illius ciuitatis vestibus suis byssinis spoliabimus, eorumque exuuias seu pietatis exẽpla nosipsos induemus, imo

Matt. 11.

& regem ipsũ induemus, sicut nos hortatur Paulus, Induimini, inquit, dominum Iesum Christum: detrahemus ipsis igitur omnibus ciuibus suum ornatum & ab ipsis exempla pietatis capiemus. Nam & ipse rex Christus gaudet spoliari dicens: Venite ad me omnes qui laboratis aliqua penuria, & ego reficiam vos. Similiter à regina cœli sponsa Christi, omne genus ornata monilibus humilitatẽ, virginitatem, pudicissimum pudorem, & reliquum totum pallium virtutũ accipiemus, nam hoc velle videtur ipsa quæ dicit: Tule-

runt

runt pallium meum custodes murorum. Can.3
Et sic de reliquis, nempè ab Abrahamo fidem, à Ioseph castitatem, à Mose mansuetudinem, à Iob patientiam, donec sacci nostri omnes compleantur. Ita ergo eundũ est de virtute in virtuté, donec perpetua visione Psal. 83.
videamus Deum deorum in Sion, & fiat vt iam non hostes aut seruos, sed amicos nos dicat Christus, & promissum suum compleat, id quod nobis victoribus cœli omnibus Vranonicis promisit dicens: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradyso dei Apoc.2.
mei patris, qui cum filio & spiritu sancto sit benedictus in æuum. Poteram (vt opinor, intelligis) hanc Panopliã pluribus exornare vtriusque instrumenti flosculis, & etiam tam ethnicorum quàm Christianorum emblematis condecorare, sed fastidio parcens, hisce impræsentiarũ super sedebo, tute hoc interim quasi paruo catechismo vtere, bonique conatum nostrum consule. PELT. Vale mi Vranonice, & quoties adhuc te consulam fac obsecro, vt semper abeam doctior. VRAN. Adnitere, ego partibus meis non deero. PEL. Heus heus vranonice. VR. Quid vis? PEL. Quid si redux ipse ab hoste latéte omni exuar meo spoleo, & fugere cogar? VR. Vir fugiẽs denuo pugnabit, et ijsdẽ se instruet armis. PEL. Habeo gratiã.

FINIS.


LEGATORIA